32
3 1
8



Digitized by Google

R. 59—

Digitized by Google

IOANNIS LAVRENTII BERTI

FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI

DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAS HABVIT

IN ARCHIGYMNASIO PISANO

VOLVMEN I.

IN QVO ILLVSTRIORES EPOCHAE

EXPONVNTVR

ET AD CHRISTIANA SAECVLA

ACCOMMODANTVR.

FLORENTIAE MDCCLIII.

Apud ANDREAM BONDVCCIVM

PRAESIDVM ADPROBATIONE.

POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE IMPERATORI
CAESARI FRANCISCO
PIO AVGVSTO FELICI

FR. IOANNES LAVRENTIVS BERTI AVGVSTINENSIS
In Imperiali Archigymnasio Pisano Eccl. Hist. Professor.

Vereor, Avgvstissime Imperator, ne, cum tanta ſit Nominis Tui maieſtas, & amplitudo; ut nullum Tibi Opus inſcribi,

debeat, non expolitum, non elaboratum, atque perfectum, Imperioque Tuo Regnorum, ac Provinciarum commiſſum ſit regimen, quod maxima vigilantia, & providentia, ſancte, ſalubriterque adminiſtras; dum Hiſtoricae Lucubrationes a me conſcriptae in lucem prodeunt ſub feliciſſimis Auſpiciis Tuis, haud benigna experiar iudicia eruditorum Virorum: Quorum aliqui ingenii mei mediocritatem, & audaciam damnabunt; aliqui vero iſtiusmodi ſcripta ſummis Reipublicae Moderatoribus nuncupanda nequaquam eſſe cenſebunt. At enim iis, qui nullum, vel certe minimum iſtorum Librorum precium, cum auctoritatis, & dignitatis Tuae, qua inter mortales nequit inveniri ſublimior, conferunt magnitudine, nil aliud afferre poſſum excuſationis, niſi privatorum hoc eſſe, implere invicem aequalitatis officia: Poteſtates autem, quae ſingulis gloria, munificentia, meritorumque qualitate praecellunt, aequalia nec habere

poſ-

poſſe, nec poſcere, nec iubere. Neque vero, cum talis ſit maximorum Principum, privatorumque hominum conditio, ob Throni celſitudinem, ac ſplendorem, exanimari prorſus, & cohibere ſe debet ſubditorum voluntas, quin altiſſimo, potentiſſimoque Domino debitum pro ſua paupertate perſolvant, praeſertim ſi ad illius iura pertineat, atque ex eius munere venerit quod rependitur, ſedeatque in ſummo Principatus faſtigio cum Maieſtate Clementia, adeo ut dum una incutit admirandam venerationis ſpeciem, ingentemque terrorem; altera hilari vultu, magnanimitate, & beneficentia proſtratos erigat, confirmet, & complectatur, omnemque expellat formidinem. Quare, OPTIME IMPERATOR, dum animadverto me in Etruriae Oppido, ideſt, intra fines Ditionis Tuae exortum eſſe ſingulari Numinis beneficio, tum in Archigymnaſio Piſano inter ſapientiſſimos, clariſſimosque Inſtitutores a Te cooptatum,

tum, propoſitam habeo ſpem, aequo lubentique animo Te paſſurum, ut Hiſtoricae Diſſertationes Tuo patrocinio conſcriptae, & in Tuo Imperiali Athenaeo ſtudioſis Adoleſcentibus traditae, licet inculto ſtilo, licet vulgari & perexigua eruditione compactae ſint, glorioſiſſimo Nomine Tuo decorentur; quique aliena carpunt, & rodunt, inſimulent me, ut libet, & criminentur, quoniam ea, quae Caeſaris ſunt, reddens Caeſari exequor quod praecipit Legislator, aequitas poſtulat, exigunt tua erga me benefacta, flagitatque grati animi recordatio. Illi autem, qui opinantur, pertractantes de Hiſtoria Libros non eſſe Auguſto Caeſari conſecrandos, propterea quod gerendis bellis, foederibus ineundis, curandae paci, & Reipublicae tranquillitati, & felicitati ſervandae incumbat eius ſolicitudo, vellem mente repeterent, quae Latinorum nobiliſſimus Livius, Graecorumque egregius ſcriptor Polybius in Praefatione Hiſtoriarum ſuarum litteris tradiderunt,

hoc,

hoc, ſcilicet, eſſe in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, Hiſtoriam eſſe inſtitutionem politicarum rerum longe veriſſimam, eosque dumtaxat aſpernari hiſtoricas narrationes, qui ſcelerum ſibi conſcii reformidant poſteritatis memoriam, ſicut in quadam epiſtola aiebat Plinius (1): Iulium quoque Caeſarem, & Octavianum Auguſtum, Imperii Tui Conditores, necnon Claudium Tiberium, Aelium Hadrianum, Marcum Antoninum, Severum, Conſtantinum Porphyrogennetum, Ioannem Cantacuzenum, aliosque invictiſſimos Imperatores non ſolum legiſſe Hiſtoriarum volumina, verum etiam propria manu, depoſito interdum ſceptro, ſcripſiſſe. Dicent fortaſſe moroſi, quos paullo ſupra commemoravi, obtrectatores, neque Romanorum, neque aliarum gentium narrari a me politicum regimen, conflictus cum hoſtibus, praeclara

Cae-

(1) Plinius Lib. v. Epiſt. 8.

Caeſarum, Regumque facinora, aliaque id genus in publicum commodum conducentia; ſed me in ſolis rebus verſari ad Eccleſiam, ad ſacros nimirum Antiſtites, ad Sanctorum Faſtos, ad religionem, & diſciplinam ſpectantibus. Verum id opponentes, principio ut ſemel in editos a me libros coniiciant oculos, oro, obteſtorque, horum ſane plura, quae Viris Principibus exiſtimant proponenda, inſpecturi. Oportet deinde, ut iidem cenſores advertant, nullum mihi ineſſe ſtudium ineundi gratiam Principis alicuius Pagani, & Idolorum cultoris, neque me laborare illo aſſentationis vitio, quo peccaſſe dicuntur cauſa Marci Bruti Empylus, Pompeii Magni Theophanes, Iuliae Vxoris Severi Philoſtratus, Diocletiani Aſclepiodotus, & Veſpaſiani, Caeſaris alioqui laudatiſſimi, Flavius Ioſephus: confidentia autem plurima, non ex temeritate mea, ſed ex beneficentiſſimi animi Tui argumentis innumeris, & perſpicuis exorta, accedere

me ad Auguſti Catholicae Fidei Propugnatoris ac Vindicis altiſſimum ſplendidiſſimumque Tribunal, adeo a ſuperba laudatione abhorrentem, ut decora, & dotes, quibus corpore, animoque praeſtas, mirari potius decreverim, quam praedicare. Novi ſiquidem, ac probe ſentio, poſſe me ad illarum celſitudinem, fulgoremque pertingere admiratione, non laude. Iam vero, AVGVSTE CAESAR, neminem latere arbitror quod Sacerdotum Principem Petrum docuit Rex Regum, & Dominus Dominantium, in Eccleſia duos eſſe gladios (1), ſpiritualem videlicet unum, materialem alterum; quorum ille Sacerdotis manu, iſte exercendus eſt manu Tua. Neminem puto ignorare quae ad Ioannem Epiſcopum Antiochenum Sixtus Romanus Pontifex (2), eiusque Succeſſor Leo Magnus ad Cognominem Imperatorem Graecorum ſcripſere (3), Coeleſtem Regem foederatos habere Re-

(1) Lucae 22. S. Bernardus Lib. IV. de Conſid.
(2) Sixtus III. Epiſt. ad Ioann. Antioch.
(3) S. Leo I. Epiſt. ad Leonem Imp. n. 20.

ges terrarum, Tibique regiam poteſtatem non ſolum ad Mundi regimen, ſed etiam maxime ad Eccleſiae praeſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quae bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem iis, quae ſunt turbata, reſtituas. Quae cum ita ſint, Tibi in Eccleſia gladium tenenti, ad nutum Sacerdotis Maximi contra perduelles Fidei hoſtes evaginandum, dicare nobiliora Eccleſiaſticae Hiſtoriae monumenta iure, meritoque conſtitui; ac ſpero fore, ut Auguſtiſſimorum Filiorum Tuorum, a quibus Etruriae felicitatem, diuturnitatem Imperii, & Religionis, pietatisque incrementum boni omnes expectant, aliquando manibus pervolutentur: quod utique erit laboris huiuſce mei fructus praeſtantiſſimus & uberrimus. Neque enim illis integritatem, caſtimoniam, Fideique tutelam minori anxietate niteris inſpirare, quam Filio Caeſari Imperator Baſilius; cuius erat frequens illa, & repetita exhortatio,

tio [1], *Hiſtorias Veterum ne unquam ceſſes evolvere*, quod adoleſcenti etiam atque etiam ſuadebat Princeps ſapientiſſimus, ut ad veram capeſſendam virtutem maiorum incenderetur exemplis. Haec non remota ſolummodo, vel externa, verum etiam propinqua, & affinia hauriet ex Hiſtoriis beatiſſima Proles, ſive ad Lotharingiae Gentem, ſive ad Caeſares Auſtriacos mentem animumque convertat. Occurrent enim in longa priorum ſerie, & in vetuſtiſſima Auberti propagine adſcripti ſuperum Faſtis [2] Arnulphus ſanctiſſimus Metenſium Antiſtes, & rigidiſſimus cultor Eremi; Clodulphus Eccleſiaſticis item infulis, & ſanctitatis gloria coruſcans, atque Romanus Pontifex Stephanus [3] Monachorum primum, tum Apoſtolicae Eccleſiae ſplendor, & columen: Lotharius inſuper Ludovici Pii Germen inclytum, a quo Tuum Auſtraſiae Regnum fertur Lotharingiae nomen

(1) Imp. Baſilius Exhort. ad Leonem filium ſuum cap. 56.
(2) Martyrologium Rom. 18. Iulii, & 8. Iunii.
(3) Stephanus x. alias ix.

traxiſſe, aeque terreni Imperii contemptu, ac vitae auſteritate admirandus: Carolus virtute ſimul & nomine Magnus, primus Imperatorum Occidentis a Leone III. ſolemni ritu inauguratus, & in Beatorum catalogo recenſendus (1): Godefridus huius nominis Quartus, ſtrenuiſſimus Hieroſolymorum expugnator, & Rex praeclariſſimus, ſpinea Corona, quam Regio Diademate, & humili ad Golgotham ſepulcro celebrior, quam elegantiſſimo Mauſolaeo; Balduini, Fulco, ceterique Palaeſtinae potentiſſimi Reges, qui & compreſſerunt Saracenorum tyrannidem, & everterunt barbarorum phalanges, & inſtituerunt Procerum ad ſacrum Domini Monumentum excubias. Occurrent ex glorioſiſſima Gherardi, ac Friderici ſtirpe cum Agnatio Tua ex Antonio Renati (2) primogenito, tum Guiſiorum ex Claudio fratre deducta, & in utraque Pronepotes conſpicui, quales fue-

re,

(1) Vide Card. Lambertinum de Canoniz. SS. Lib. I. cap. 9. num. 4.
(2) Renatus II. cognomento Potens.

re, ut perpauci commemorentur, Philippus Emmanuel Turcarum aggreſſor, & oppugnator magnanimus; Henricus haereticorum, quos Huguenotos appellitant, debellator acerrimus; Antonius alter Anabaptiſtarum, aliorumque etherodoxorum infenſiſſimus adverſarius; Franciſci illi, quorum ut nomen habes, ita res ſancte, fortiter, prudenterque geſtas imitaris, & ſuperas: Avus denique tuus Carolus Gentis Tuae claritudine celebris, coniugio Eleonorae Auſtriacae celebrior, militari autem virtute, praefectura Exercituum, bellorum eventu, & erga Auguſtiſſimum Imperatorem Leopoldum fide, erga Deum Optimum Maximum pietate celeberrimus. Occurrent inter Auſtriacae Proſapiae Auguſtos Rodulphus Magnus, ſummum Principatum ob religioſum SS. Euchariſtiae cultum indeptus, & inauguratus aurea Cruce coeleſtibus radiis delineata; Albertus laeva gerens Crucifixi imaginem, dextera gladium ſtringens, & irruens in hoſtes:

Fri-

Fridericus avertens a Romana & Catholica Eccleſia Schiſmatum monſtra; Maximilianus ob inſignem pietatem a praecipitio inacceſſae & imperviae rupis ereptus; Carolus V. Imperii magis abdicatione celebrandus, quam ſubacta Africa, recuperato Belgio, liberata Italia, domitaque Germania; Ferdinandus perpetuus haereſum inſectator; verbo dicam, Auſtriaci Caeſares univerſi ad excolenda Religionis officia, ad pietatem augendam, ad Fidem vindicandam, ad eliminandos errores, ad omnia demum perficienda exercitamenta virtutum, ſuaviſſimos, cariſſimosque Nepotes exhortabuntur. Vides, opinor, MAXIME CAESAR, quot emolumenta in Auguſtam, Regiamque Familiam ex Eccleſiaſtica Hiſtoria derivent, dum haec maiorum virtutes in memoriam revocat poſterorum. Profecto ex his, aliisque plurimis optimorum exemplorum ſimulacris, & imaginibus, quibus Imperialis Aula undique ornatur, & fulget, Tu Ipſe, admonente Tuo immor-

mortalis memoriae Patre, Magno Leopoldo a Lotharingia, aſſecutus es tam perfectam formam regiminis, ut Tibi uni ex cunctis Orbis terrarum Principibus prudentiſſimus, piiſſimusque Imperator Carolus VI. delicias amantiſſimi cordis ſui, Auguſtarum Feminarum decus, & ornamentum, atque Hungariae, Germaniae, & Etruriae felicitatem, MARIAM TERESIAM cum ſumma rerum poteſtate committeret: ex cuius perpetuo, caſtiſſimoque Connubio, & generoſa Progenie Domus Auſtriaca firmiſsimo innixa eſt fulcimento, Theutonicis, Italis, exterisque Nationibus apprecantibus IOSEPHO BENEDICTO Principi Iuventutis, quod olim primogenito Mallii Theodori Conſulis Claudianus (1):

Procedat Libris pariter, Faſtisque legendus,
Accipiat Patris exemplum, tribuatque Nepoti
Filius, & coeptis ne deſit faſcibus heres:
Decurratque Auguſta Domus, tradatque Coronam

Mu-

(1) Claudianus de Mallii Theoduri Conſulatu.

Mutua poſteritas; ſervatoque ordine Fati
„ *Continuo Auſtriacus numeretur Caeſar in orbe* (1).

Eadem mihi vota concipienti neceſſum non eſt de fortuna, librisque meis quidquam addere; modo enim valeas, & imperes, nihil mihi ſupereſt expetendum; ſiquidem Tu, IMPERATOR AVGVSTE, quemadmodum de Gratiano affirmabat Auſonius Burdigalenſis: (2) „ Spem ſuperas, cupienda praevenis, vota praecurris; quaeque animi noſtri celeritas Divûm inſtar affectat, beneficiis praeeuntibus anteceditur: Praeſtare Tibi eſt, quam nobis optare velocius „.

(1) Verſus immutatus exemplo Auctoris Libri, cui titulus, *Caeſares Auſtriaci* pag. 169.
(2) Auſon. Grat. act. ad Gratianum Imperatorem.

AD PRAELECTIONES ECCLESIASTICAE HISTORIAE PROLVSIO

HABITA IN ARCHIGYMNASIO PISANO

V. KAL. DECEMBRIS

CIↃIↃCCXLVIII.

NVnquam ego, NN, tanta affectus ſum animi iucunditate, quantam nunc experior, dum in hac vetuſtiſsima Etruriae Vrbe, in hac celeberrima Academia, in hoc frequenti doctiſsimorum Virorum conſeſſu, munificentia Invictiſsimi atque Auguſtiſsimi Romanorum Imperatoris FRANCISCI, rerum in Eccleſia geſtarum aggredior enarrationem. Principio enim occurrit memoriae praeclarum honeſtumque nomen ſummi illius Viri, qui omnium primus in hoc ipſo Athenaeo, mandante beneficentiſsimo literarum patrono COSMO III. Mediceo, ſubiit pertractandi huiuſce argumenti provinciam, Henrici nempe Cardinalis Noriſii, de Auguſtinienſi Familia, de Civitate, Lyceoque Piſarum, de Purpuratorum Patrum Se-

natu, ac de universa literatorum Republica optime meriti: cuius egomet institutum amplexus, doctrinam sectatus, eique illata a proletariis invidisque Scholasticis perpessus convicia & calumniosas criminationes, haud mediocriter recreor tanti Viri recordatione, ac mihi videor ex loci huius auctoritate, ex disciplinae amplitudine, ex auditorum corona honorem maximum consecutus. Deinde clarissimorum Virorum, quorum subactum ingenium, exculta eloquentia, vis ratiocinationis robusta, sacra ac profana eruditio, atque celebritas famae longe lateque diffusae, iam antea in me alibi commorante aemulationem quamdam, vehemens desiderium, & magnam excitaverat admirationem, fruiturus modo praesentia, humanitate, doctrina, quid, obsecro, vel iucundius, vel commodius, excusso tandem scholarum pulvere, & Romanae Vrbis ambitione contempta, poteram exoptare? Quamquam vero, Auditores praestantissimi, non nihil commoveor, propterea quod vestrum nemini aut mentis acumine, aut verborum delectu, aut gratia dicendi, aut scientiarum ornatu sim comparandus; animadvertens tamen cum laudum vestrarum praecipuam, ideſt, sapientiam comitati, dignitatemque humilitati coniunctam, tum ingenium illud meum, quo ita a Natura comparatus sum, ut nulli invideam, omnibus obsequar, ac propter communem hominum necessitudinem, aeque, ac de propriis, gaudium de aliorum commodo atque utilitate percipiam; nequit ingenioli mei parvitas, nequit facultatum mearum inopia labefactare praecon-

conceptam animi voluptatem. Ad hanc quoque plurimum confert commiſsi mihi muneris qualitas & conditio; nam, quemadmodum Proluſione iſta, non quidem elaborata, & ſuco illita rhetoricorum verborum, ſed perſpicua, & ſuffulta veritatis praeſidio, oſtendere adnitar, Eccleſiaſticae Hiſtoriae ſtudio, ea praeſertim methodo, qua illam tradere cogitavi, nihil utilius, nihil iucundius, nihil facilius poteſt adinveniri. Qua autem ratione complures Hiſtorici maiorum noſtrorum facta ſtuduerint poſteris conſignare, ſive magni Caeſarienſium Antiſtitis Euſebii inhaerendo veſtigiis eadem eruentes ex veterum monumentis, ſive cum Severo Sulpitio exhibentes in compendium redacta, ſive cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus in certas claſſes diſtributa, ſive cum eximio Eccleſiaſticorum Annalium parente, iuxta temporum ſeriem digeſta; qua itidem cura plurimi elaboraverint, ut Sacram Hiſtoriam locupletarent diſquiſitionibus chronologicis, animadverſionibus criticis, polemicis ac dogmaticis diſſertationibus, necnon Imperii & Sacerdotii collatis invicem Faſtis, commonſtrat ſatis ſuperque ingens copia librorum, qui ſingulorum teruntur manibus; quos videlicet elucubrarunt Panvinius, Vſſerius, Pagius, Alexander, Tillemontius, Dupinius, Baſnagius, atque ut ſexcentos alios omittam, qui etiamnum colluſtrandae Hiſtoriae ſedulam navant operam, Vrſius & Muratorius, lumina Italiae, huiuſque aetatis clariſsima. Verum quia monentibus Tullio, Luciano, Graecorumque Patrum eloquentiſsimo Ioanne Chryſoſtomo, in

qualibet hiſtoria lucidus adhibendus eſt ordo, in Eccleſia autem depoſitum Fidei diligentiſsime cuſtodiendum eſt, tum excolendae virtutes, moreſque formandi: ea priori loco inveſtigare conſtitui, unde Fides derivat, & incorrupta ſervatur, deinde reliqua, quorum adiumento ad virtutes capeſsendas accendimur & inſtigamur. Quoniam inſuper ad perſcrutandam propugnandamque Fidem Apoſtolicam & Orthodoxam maxime conducunt Romanae Eccleſiae firmitas, ſanctitas, diſciplina, & ad haec comprobanda Romanorum Pontificum legitima & imperturbata ſucceſsio, collineantque in eumdem ſcopum Patrum traditio ex Conciliorum ſtatutis diiudicanda, portenta mendaciorum refutanda ex haereticarum fabularum commentis, doctrinae conſenſio eruenda ex ponderatione ſcriptorum; ad componendos autem regendosque mores exempla Sanctorum, Martyrum fortitudo, & perantiquae conſuetudinis ratio, prae oculis ſunt habenda: praemiſsis nonnullis prolegomenis, primo de Paſtoribus Romanae Vrbis, deinceps de Conventibus Epiſcoporum, poſtea de melioris notae Scriptoribus, tum de Sectis haereticorum praecipuis, ac poſtremo de Sanctorum illuſtrioribus actis pertractare conabor; idque poſthabito partium ſtudio, neglectis ſyllogiſmorum ambagibus, ſtilo nec artificioſe expolito, nec nimium ſordido, abſque verborum rerumque prolixitate, quae faſtidium gignat, abſque brevitate item, quae pariat obſcuritatem. Profecto hac methodo, caſtiganda quoque, ſi vobis, Viri litteratiſsimi, minus arrideat, quantum utilitatis afferre

re valeant hiſtoricae Lucubrationes, aperte ſuadet Religio, cultusque Numinis; cuius nos imaginem rationali natura gerentes, gratiae autem beneficio, adoptione, & hereditatis arrha donatos ignorare dedecet Eccleſiae primordia, myſteria, ritus, inſtitutiones. Etenim Religio ipſa, quae bene ſapienterque ab Apoſtolo dicitur, ἐπίγνωσις ἀληθείας, non ſinit quemquam ratione utentem ac litteris deditum ea neſcire, quibus Deum optimum maximum veneramur, nec patitur nos, dum ab heterodoxis audacter ac temere laceſsimur, turpiter obmuteſcere. Iidem quippe veritatis hoſtes acerrimi, ut clamitent verboſiſsima garrulitate, nos a recto itinere aberrantes in ſuperſtitionem fuiſse prolapſos, in pſeudohiſtorias fingendas nervos intendunt omnes: atque hac animi perverſitate Flacii & Vigandi Centurias, Origines Montacutii, Adverſaria Oſiandri, Exercitationes Caſauboni, Dallaei Opus de uſu Patrum, Hiſtoriam priorum ſaeculorum Ioannis Clerici, aliasque huius furfuris commentationes prodiiſse, compertum eſt univerſis. Quamobrem comparantibus illis ſupremos Eccleſiae Rectores filio perditionis venturo in ſignis prodigiisque mendacii, Patrum decreta Gnoſticorum figmentis, ſacras aedes aris Athenienſium, templiſque Idolorum, liturgias Aegyptiorum Orgiis ac ſymbolis, fuſasque Deo preces carminibus et incantationibus magicis, quidnam, vos amabo, reponendum eſse arbitrabimur, niſi mendacia haec eſse bullata, ac fruſtra novitatem inceſsere vetuſtati, nos Paſtorum vocibus obtemperare, cavere a ſubdolis operariis,

riis, & extremum falſumque cenſere quidquid apocryphorum librorum fabularumque architecti inducere auſi ſunt nefario atque inexſpiabili ſacrilegio? Ceterum ad hoc iure praeſtandum, ad obſtruendum os impudentium quid conducibilius, quid aptius, quam memoria repetere praeteritorum ſaeculorum hiſtorias, ſcrutari quae maiores tradiderint, quae commenti fuerint pſeudoprophetae, verbo dicam, palam facere quantum ſpernenda ſit ſenectutis ſera & contumelioſa emendatio? Verum tamen eſt ad Catholicam Religionem, quae initio Epiſtolae ad Titum non ſolum dicitur ἐπίγνωσις ἀληθείας, ſed etiam κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, perutilia eſſe & admodum neceſſaria incitamenta virtutum; quibus deſtituta pietas marceſcit, vitiiſque irruentibus, inſeminatae cupiditatis conflictus, nubeſque teterrima evellit germina probitatis, rationisque lumen extinguit. Valere utique ad hoc excitandum, & ad regendam amplificandamque rempublicam haud parum conferre exempla virorum, quorum aequitatem, pudicitiam, fortitudinem Herodotus, Caſsius, Livius, Tacitus, aliique innumeri deſcripſere, nos ultro lubenterque fatemur, neque ſumus, ut calumniantur quidam, ex eorum grege, qui huiuſmodi virtutum decora veluti ſordes & inquinamenta aſpernantur: ſed ab Auguſtino parente ac praeceptore noſtro didicimus laudandos non eſſe ſterilium arborum fructus, inanes cenſeri virtutes, quae Deo Virtutum non ſerviunt, atque libertate & cupiditate laudis humanae viros illos percelebres ad facta compulſos eſſe mi-

miranda. Nitatur idcirco, nitatur acutiſsimus Plato coniecturis comprobare Socratis innocentiam: exornet Livius latinitatis flore caſtitatem Lucretiae: celebrare Seneca ſtudeat in Catone ſollicitudinem patriae, & animi magnitudinem: Caeſares, Pompeos, Camillos, Fabricios, clari Romanarum hiſtoriarum auctores commemorent laudent extollant; vitia tamen vitiis, crimina criminibus ſuperarunt, aut ſaltem vincere neſcierunt aviditatem illam laudis & gloriae, quam unam exiſtimavit Cicero laborum periculorumque mercedem; ſed viros ipſos fortiſsimos, qui univerſum fere terrarum orbem Romano ſubiugarunt Imperio, quemadmodum ad cohoneſtandum parricidium ait de Bruto Latinorum Poetarum nobiliſsimus,

Vicit amor patriae, laudumque immenſa cupido.

Non huius generis ſunt, Auditores ornatiſsimi, maiorum noſtrorum virtutes; neque celebrantur in Eccleſiaſtica Hiſtoria nomina & facta virorum, qui torquentur aeternis reproborum ſuppliciis. Enarratur antiquorum Fidelium vivendi genus horridum & inultum; enarratur victus tenuiſsimus & aſperrimus; enarrantur caumeniae atque inediae; enarrantur Martyrum cruciatus, quos haud illepide appellabat Tertullianus ingenia poenarum: atque ita *armantur filiorum animi, dum patrum recenſentur triumphi*, inquit Lugdunenſis Epiſcopus Eucherius. Quisnam veſtrum ignorat conſcriptam Africanis ad metalla damnatis confeſsionem beatiſsimi Cypriani, commenda-

tam

tam Smirnenſibus paſsionem Polycarpi, miſſa Antiochenis Alexandrinorum Martyrum acta, Romanis enarrata Ignatii itinera, atque Apoſtolorum certamina, exhibitas coenobitis degentium in ſolitudine collationes, Eccleſiis tandem ſingulis praeſcripta diptycha, ac tradita menologia, ad hoc ut fideles recolendo quae Viri ſanctiſsimi praeclare fortiterque geſſerunt, ad incrementa virtutum egregiis horum exemplis incitarentur? Quod ubi fiat, ſicuti hi fecerunt, ordine caritatis ſervato, non vero cupiditate laudis, non voluptatis cauſa, non ambitione virtutis; iam immortalis animus commutabilia quaeque tranſcendens tollitur ad virtutum faſtigia, atque pietatem illam exercet, quae nulla vitii turpitudine contaminatur, fructusque profert uberrimos. Praeterea ipſe ſcientiarum cultus, cuius potiſsimum gratia huc lectiſsimi adoleſcentes convenerunt, ad ſtudium Eccleſiaſticae Hiſtoriae, quae humanarum diſciplinarum ornamentum eſt maximum, divinarum autem fulcimentum eſt ſingulare, vehementer allicit & compellit. Enimvero poſteaquam erupit evaſitque barbara illa & contentioſa Scholaſtices, ob quam nos irridebat moroſus criticus Eraſmus Rotherodamus, quaſi diſputaremus, ſit ne Deus cucurbita, vel in antro ſcarabaei commoretur; poſtquam plurimorum induſtria decorem priſtinum adepta eſt Theologia, arduum valde, imo impoſsibile exiſtimo in ea quemquam vel mediocriter proficere abſque Eccleſiaſticae Hiſtoriae praeſidio. Vos appello divinae huius Facultatis Inſtitutores ſapientiſsimi, qui captivantes in ob-

ſe-

ſequium Fidei rationem, Theologicas controverſias ad hiſtoriae capita, quae ſuperius commemoravi, tanquam ad Lydium lapidem, ſedulo expendendas eſſe cenſetis. Gratulor eamdem vos docendi ac diſputandi viam iniiſse, quam praemonſtrarunt adverſus Valentinianos Irenaeus, Tertullianus adverſus Hermogenem & Marcionem, Antiocheni Patres contra Paulum Samoſatenum, Nicaeni adverſus Arium, Hieronymus adverſus Helvidium, Auguſtinus contra Iulianum, Propugnatores Eccleſiae omnes adverſus haereticos peſtilentiſsimos: gratulor, inquam, vos pro dirimendis quaeſtionibus theologicis, ut laudati Hieronymi utar phraſi, *non Rhetorici campum, non Dialecticorum tendiculas, non Ariſtotelis ſpineta perquirere*, ſed per Antiſtitum coetus, per Synodorum congreſſus, per agmina Patrum, per floridiſsima quaequae Hiſtoriarum prata decurrere. Habetis (ut ad vos mea convertatur oratio) habetis, Iuvenes ſpectatiſsimi, in huius Academiae Inſtitutoribus praeclarum, quod imitemini, exemplum: quumque trahat unumquemque, ac maxime floreſcentibus annis, voluptas potius, quam utilitas rei; attendite, quaeſo, hauriendam ex Eccleſiaſticae Hiſtoriae fontibus iucunditatem animi incomparabilem. Cunctorum ſententia eſt, ab humana mente, quam rerum corporearum imagines obtenebrant & excruciant, nil cupidius appeti, nil deguſtari ſuavius lucidiſsima ac ſplendidiſsima veritate, quam perquirendam eſſe in Hiſtoria monet vel ipſius Hiſtoriae vocabulum ab altero, quod *ſcientem* ſonat, derivatum, affirmatque

Marcus Tullius, a quo Hiſtoria appellatur *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriae*, *magiſtra vitae*, *nuntia vetuſtatis*: generalis quidem hiſtoriarum omnium deſcriptio, ſed congruentior tamen Eccleſiaſticae, quae dignitate ceteras antecellit. Huic ne comparabimus philoſophicas meditationes? At etiamnum ignoramus num a ſenſibus, num ab anticipatis ideis oriatur perceptio, latent ſubtiliores philoſophos primordia rerum, neſcimus naturam corporum, atque a Matheſeos elementis ſuppetias petimus, ut de illorum energia ac motu andabatarum more pugnemus. An oratorum, poetarumque facundiam? Hi complura invertunt & fingunt, verborumque ſpecie potius, quam veritate delectant. An vero Graecorum hiſtorias? Sed Ephorus Hellanicum, Timaeus Ephorum, Plinius Diodorum, Herodotum quamplurimi falſitatis revincunt, exclamatque Satyricus, *Quidquid Graecia mendax audet in Hiſtoria*. An denique Romanorum Annales? At enim deterret me Tacitus, qui Hiſtoriarum ſuarum initio fatetur pluribus modis, ac primum inſcitia Reipublicae, mox libidine aſſentandi, rurſus odio adverſus dominantes veritatem ſaepenumero fuiſſe infractam. Sola itaque Eccleſiaſtica Hiſtoria, nec omnis, ſed quam litteris mandarunt primaevi Patres, inſcitiae, odii, & aſſentationis expertes, prae reliquis ſcientiis, iis ſaltem quae ſpectant res incommutabiles ac ſempiternas, veritati facem praeſefert, ceteriſque omnibus praeſtat, ſi duntaxat excipias divinas Scripturas: quarum etiam, ſi ab Eccleſiaſtica ſegregentur Hiſtoria, canonem,

nem, verſiones, & uſum nulla alia ratio demonſtrat. Accedit veritati laudis honeſtas: quae adeo humana pectora accendit, ut vitia quoque improborum, ubicunque laudantur, vividiori delectatione titillent. Neque enim magno in pretio habiti ſunt ſoli profanarum hiſtoriarum ſcriptores, Thucidides, cuius de Bello Peloponnenſi hiſtoriam octies exſcripſit princeps Graecorum Oratorum Demoſthenes, Xenophon, in quo Tullius πολιτείαν, rerumque conſtituendarum formam omnem admirabatur, & ne ſingulos perſequar, Lucius Lucullus, quem Rex glorioſiſsimus Mithridates omnibus militiae ducibus praeferebat: verum etiam ſplendidiſsimis laudibus condecorati ſuerunt, qui ſeſe hiſtoriis Eccleſiaſticis devovere. Atque ut mittam Euſebium, Socratem, Sozomenum, ac Theodoritum, quorum nomen celeberrimum eſt, quamvis ille Arrianae perfidiae a multis non infimi ſubſellii ſcriptoribus inſimuletur, alii duo cenſeantur addicti Novatianis, iſte autem fuerit patrocinator Neſtorii, & magni Cyilli inſectator; Hiſtoricum unum honoris cauſa commemorabo, Caeſarem S. R. E. Cardinalem Baronium, Baronium, inquam, quem etſi angue peius & cane oderunt heterodoxi, horum tamen unus Wilelmus Caveus fatetur pectore adamantino fuiſſe praeditum, laboremque ſuſcepiſſe ſupra vires omnes humanas; & Samuel Baſnage teſtatur, elaboratiſsimum Annalium Opus auctori gloriam maximam peperiſſe, atque movere cordatis lectoribus ſummam admirationem. O veram, dignamque tali Viro laudem, & profectam ex invitis inimi-

corum pectoribus, veritate cogente! Ad hunc fere gloriae apicem pervenerunt quotquot ex Baronii fontibus hortos ſuos exiguo labore irrigarunt, praetermittendi ſilentio, ne apud rudiores ipſorum minuatur exiſtimatio. Vellem quippe, Auditores optimi, ut Hiſtoriae Sacrae cultoribus honores laudesque ab hominibus ſingulis deferrentur; quemadmodum ipſi iucundiſsimam & efficiunt, & experiuntur ſingulorum hominum neceſsitudinem. Si enim, quotieſcunque in Vrbis angulo ephemerides, ſeu diaria leguntur, confluentes ſimul cives, atque optimates, qualis fuerit eventus belli, ubi conſiſtant exercitus, quomodo munitiſsimam arcem obſederint, vel expugnaverint, aliaque id genus, quae nihil ad ipſos attinent, nullumque eis afferunt aut diſpendium, aut commodum, porrectis auribus avidiſsime excipiunt: ſi recreandi animi gratia in hac urbe perambulantes ocio fruimur iucundiſsimo, commonſtrantibus incolis illic poſita a Teucris Alphaeae fundamenta, iſtic moenia non diruta a Carthaginenſium, Gallorum & Ligurum legionibus, ibi colluſtrata a Noriſio Caii, & Lucii antiquiſſima cenotaphia, alibi epitaphia Albiorum & Faniorum, in ea parte Baſilicam aſſumptae in coelum Deiparae, ex hoſtium manubiis, & Saracenorum ſpoliis magnifice erectam, atque ne longius vagemur, hoc ipſo in loco Ferdinandi olim, & Coſmi liberalitate inſtauratum, nunc autem Caeſaris, Dominatoris ac Maecenatis noſtri, FRANCISCI ſingulari beneficentia, legibus ſacroſanctis, ampliſsimoque patrocinio fulcitum antiquiſsimum clariſsimumque Lyceum; nulla unquam

quam oratione comprehendi poterit magna illa voluptas, quam ſentiunt Eccleſiaſticae Hiſtoriae amatores, dum in unum quaſi theatrum collecta, Reparatoris humani generis, Conditorum Chriſtianae Fidei, Martyrum, Sanctorumque aliorum natalem diem, vitam, obitum, gloriam, mores, doctrinam & conſilia conſpiciunt, tantumque aſsequuntur brevi temporis intervallo, ac ſi vitam duxiſsent ab Eccleſiae incunabulis ad aetatem hanc ſeneſcentem. Quae quum ita ſint; excutiat, Adoleſcentes, torporem animi utilitas: voluntatem alliciat trahatque voluptas; neque imaginaria difficultas rei ſummopere utilis & delectabilis veſtram impediat alacritatem. Cur muſſitant, vobisque aures vellicant ſacrarum Hiſtoriarum oſores? Infidam eſſe aiunt Dionyſianam ſupputationem, obſcuras epochas Herodianam & Auguſtaeam, innumeras de anno Chriſti emortuali ſententias, oppoſitas calculis Aſtronomicis inveteratas opiniones: aſſerunt deceptos quoque in Hiſtoria accuratiores Chronologos, decurtatos a Baronio Romanorum Conſulum Faſtos, eosdem falſis characteribus ab Onuphrio deſcriptos, duos Sextos a Blanchinio e propria ſede deiectos: addunt pugnare invicem catalogos Romanorum Pontificum, diſcrepare in hiſtoria haereſeon Irenaeum, Epiphanium, Philaſtrium, in colligendis Sanctorum Actis interpolatorem fuiſſe Metaphraſtem, Surium ſtyli veteris corruptorem, adbreviatorem Miraeum, piſcatores congregantes ex omni genere piſcium Bollandianos. Aſt deſinant iſtiuſmodi fabulatores, deſinant animum veſtrum

ſtrum perturbare; ſiquidem vobis facillimum futurum fore Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſtudium nequaquam dubito. Egomet ex nummis Herodiadum, ex Hiſtoria Auguſtorum, ex Aera Martyrum, ex Patrum conſenſu, ex Chronologorum praeceptionibus curabo Chriſtianam Epocham definire: ego Conſulares Faſtos producam, numiſmatum lapidumque inſcriptionibus emendatos: ego catalogis Liberianis, Diurnis vetuſtioribus, pictisque ſub Sixto III. imaginibus opem ferentibus, certiorem proferam Pontificum Romanorum ſeriem & chronotaxim; atque pro mea virili, pro modulo ingenii mei perlectis celebriorum Auctorum libris, & veritate comperta, (videte, adoleſcentes optimi, quam parum curae & laboris debeatis inſumere) vobis ſpatio unius tantum horae quotidie audientibus, partes Eccleſiaſticae Hiſtoriae nobiliores ego, egomet explanabo. Praeter hanc autem induſtriam meam, qualiſcunque futura ſit, planiorem vobis ſternet viam ipſius Hiſtoriae natura; ad quam minime neceſſariae ſunt venus & affluentia verborum, in quibus ſita eſt gratia poetarum, atque oratorum poteſtas: non opus eſt perpetuo diſputationum conflictu, ſine quo flacceſcit vigor philoſophorum: non requiritur diſpendioſa inſtrumentorum ſupellex, quam poſtulant mathematicorum experimenta; non exigitur exoticarum linguarum peritia, quam petit ſacrorum Bibliorum interpretatio; ſuppeditatque Hiſtoriae ordinem naturalis ſaeculorum decurſus, materiem ingens copia rerum praeteritarum, adiumenta templum, ara, monumentum, nummus, la-

lapis, pictura, & quidquid ſub oculos cadit. Ita nimirum Hiſtoria reddetur facilis ſtudio noſtro, facilior ſeipſa, facillima vero frequentatione Piſanae huius Academiae. In ea namque opportuna tempora incidimus, in illa beatiſsima civitate moramur, Iuvenes probatiſsimi, in quibus abunde imperitiam noſtram Gymnaſiarcharum eruditio ſupplebit. Tradent Critices regulas, rationemque methodi praeſtantes illi Philoſophi, qui ad mentem dirigendam edidérunt exquiſitas lucubrationes: Graeciae, Latiique referabunt penetralia, qui dilucidandis Martyrum Faſtis egregiam impendunt operam: enodabunt Chronologicas tricas, qui hanc Spartam libratis diſſertationibus exornarunt: Eccleſiarum iura, Traiani reſcripta, leges Conſtantini, edicta Iuliani nobis exponent ſapientiſsimi Iureconſulti: Superum meritis, vel corporum affectionibus tribuenda quaecunque dicuntur miracula ſecernent Phyſices, Artiſque Medicae peritiſsimi, atque una ſimul reliqui omnes, pro ea, qua pollent, humanitate ac ſapientia, erunt nobis Duces & Praeceptores. Hanc utique ſpem propoſitam habeo, Inſtitutores eximii, eaque fretus vos tandem oro & obteſtor, ne quod hodierna die, vobis adſtantibus, in omnium concione ſpopondi, propter confidentiam & audaciam meam omnino diſpereat, & conteratur oblivione. Implorat ſubſidium veſtrum refloreſcens Auguſtorum Principum largitate, Rectorumque ſollertia, Piſanae Vrbis maieſtas, expoſtulat huius Archigymnaſii decor ac ſplendor, flagitant clariſsimi ac vigilantiſsimi Praeſidis cohortationes &

vo-

vota, expectat Etruria universa; perque famam atque existimationem doctrinae vestrae ubique terrarum disseminatam, per vestram in omnes, qui litteris delectantur, perspectissimam benevolentiam, per sancte colendam in qualibet schola necessitudinem; per singularem illam aequanimitatem, qua dignati estis rudi huic & impolitae Praeexercitationi interesse, per Deum immortalem, primamque bonorum omnium originem, precatur floridissima discipulorum vestrorum caterva. Norunt iidem quantum ad religionem, ad probitatem, ad sapientiam ex Ecclesiastica Historia capere valeant utilitatis; amant in veritatis inquisitione, in laudis honestate, in ceterorum convictu affici voluptate, atque pollicitationibus meis, rerum affluentia, opisque vestrae adminiculo reddantur alacriores. Superest igitur, ut quae dicta sunt celeri & inculta oratione, assiduo perfectoque opere compleantur.

HISTORICAE DISSERTATIONES

QVIBVS

ILLVSTRIORES EPOCHAE

EXPONVNTVR

ET AD CHRISTIANA SECVLA

ACCOMMODANTVR.

HISTORICAL DISSERTATIONS

ON

ILLUSTRIOUS PERSONS

WHO

FLOURISHED IN THE FIRST AND CHRISTIAN SECULA

RESPECTIVELY.

DISSERTATIO I.

DE EPOCHA HERODIANA.

I. QVONIAM in ea prolusione, quam habui in frequentissima Cl. Virorum concione, ut spectatissimos adolescentes ad studium Ecclesiasticae Historiae allicerem, dixi praemittenda a me fore quaedam prolegomena, quibus ad ipsam historiam sternatur via planior atque expeditior; ab iisdem prolegomenis praelectiones in hoc amplissimo loco exponendae exordium ducant necessum est. Harum argumentum suppeditabunt Epochae illustriores, quas ita proponere, firmare, & munimentis fulcire conabor; ut auditores has exercitationes aequo lubentique animo excipientes, non solum Chronologicos nexus facili negocio dissolvant, verum etiam in Eruditorum consessu non omnino appareant illitterati. Epochae vero dilucidandae & ad Christiana praesertim secula pertinentes, quae mihi uberrimam iucundissimamque dicendi copiam suppeditabunt, sunt Epochae Herodianae, Iulii Caesaris, Octaviani Augusti, ac Tiberii; Duplicis Natalis Christi, veri, atque Dionysiani; Dominici item Baptismatis, ac Redemptionis peractae: in quibus non tantum permulta, fortasis non vulgaria, & procul dubio scitu dignissima attingam, verum etiam commonstrabo, ubi opportuna exhibeatur occasio, qua ratione cum Aera Christiana ceterae connectantur, tum quae Christi praecesserunt adventum, ideſt, Mundi a Deo conditi, initi cum Abrahamo foederis, Legis a Moyse datae, Hebdomadarum Danielis, perfecti Ierosolymitani Templi, Trojanae Vrbis eversae, Olympiadum, conditae Romae, Consulum Romanorum, Epocharumque Nabonassari, Seleucidarum, atque Hispanorum; tum quae subsecutae sunt Reparatoris nostri nativitatem ac mortem, Aera nempe eversae Ierusalem, Aera Anni sacri, Aera Martyrum, Aera Constantini, seu Pacis Ecclesiae, Saracenorum, seu Egira Mahumetis, & Caroli Magni, seu fundationis novi Imperii. Puto non opus esse, ut harum utilitatem verbornm amplificatione proponam; ideoque ad pertractandum de Herode, bonis, ut inquiunt, avibus progrediamur.

I. *Eorum, quae discutienda sunt, propositio.*

II. *Diverſae de Herodis genere opiniones.*

II. Principio non abs re erit eiusdem Herodis genus inquirere; valet enim id plurimum ad refellendam Iudaeorum pervicaciam, atque ad commonſtrandum ex ablato Israelitici regiminis ſceptro, (quod circa Meſsiae adventum Patriarcha Iacob auferendum eſſe praenuntiaverat,) eumdem humani generis Reparatorem iam adveniſſe. Inveſtigandum propterea eſt, num Herodes, iſte Iudaico genere procreatus fuerit, an ex gentili, atque externo. Tres autem adinvenio Hiſtoricorum opiniones: quarum prima eſt Nicolai Damaſceni autumantis apud Ioſephum libro Antiquitatum Iudaicarum quartodecimo, Herodem a primoribus Hebraeorum genus traxiſſe; altera eiusdem Ioſephi eo loci affirmantis Herodem genere fuiſſe Idumaeum; tertia Euſebii Lib. 1. Eccleſiaſticae Hiſtoriae, atque Epiphanii H. 20. aſſerentium ipſummet Herodem Aſcalonitam fuiſſe. Ioſepho ſubſcribunt Hegeſippus, Photius, Petavius, Viſſerius, Valeſius, Alexander, Cellarius, & recentiorum quamplurimi; Euſebio autem Cardinalis Baronius, Spondanus, Salianus, Serrarius, Magdeburgenſes, & alii.

III. *Herodem fuiſſe alienigenam, demonſtratur.*

III. In hac opinionum diverſitate firmiſſime pronuntiandum eſt Herodem, de quo agitur, fuiſſe alienigenam. Nam primum id evincunt Chronica quaelibet Hebraeorum, in quibus Regnum Herodianum appellatur Regnum *Proſelytorum*. Erant vero Proſelyti, qui ex Gentium nationibus ad Iudaeorum cultum ac religionem transibant, ita Graece appellati a propoſitione πρὸς *ad*, atque aoriſto ἦλυθον, verbi ἔρχομαι, *venio*; Hebraice *Gherim*, a radice גּוּר *peregrinari*. *Netbitrim* quoque Proſelytorum nonnulli dicti ſunt a radice נָתַן, quod tabernaculi, templique cultui *donarentur*, ſeu *addicerentur*, ut de Gabaonitis, quos Ioſue caedendis lignis, aquisque aſportandis deſtinavit, legimus Ioſ. cap. 9. *Colentes* itidem vocantur Act. 17. ubi legitur Paulum Athenis *cum Iudaeis & colentibus* diſputaſſe; atque ex variis nationibus Proſelytos ipſos fuiſſe, omnesque a Iudaica gente ſecretos haud obſcure innuitur Act. 2. illis verbis, *Iudaei quoque & Proſelyti, &c.* Herodem itaque, ſi Proſelytus fuit; alienigenam quoque extitiſſe neceſſum eſt. Demonſtrat inſuper externum, atque adſcititium Herodis genus, quod ipſe genealogias omnes illuſtrium Hebraeorum perdi, flammisque conſignari mandaverit, *propterea quod illorum ſtirpem nihil ad ſe pertinere, nihilque ad ſuam dignitatem illuſtrandam afferre poſſe adiumenti exiſtimabat*, inquit Lib. 1. Eccl. H. cap. 7. Euſebius Caeſarienſis. Idem evincit Herodis Genealogia a Iulio Africano in epiſtola ad Ariſtidem litteris conſignata. Herodis enim pater fuit *Antipater* filius Herodis cujusdam *Hieroduli*, ideſt, Templorum cuſtodis, ſacrorumque miniſtrorum idolis litantium famuli, ideoque hominis idololatrae. Hinc nos arbitramur Herodem fuiſſe umili genere procreatum; erant quippe *Hieroduli* ignobiles quales fuere Martiales, Venerii, aliique cuſtodiendis idolorum aedibus praefecti. Ioſephus tamen Herodem appellat *nobilitate ac*

opi-

opibus gentis fuae principem; quam ob rem Baſnagius ad an. 43. ante Chriſtum praedictam traditionem Africani fabulis nutricum accenſet: ſed potuit Ioſephus nobilitatem ex recentioribus muneribus adauctam, & divitiarum copiam nuper acquiſitam commemorare. Vt ut ſit, Antipater Herodis genitor conſenſu fere omnium Idumaeus fuit. Eſt autem Idumaea ſterilis regio ad Arabiam, Aegyptumque vergens Iudaeae contermina, *Edom* olim dicta, nunc *Bidumi* ſub Turcarum tyrannide. Matrem Herodes habuit *Cypron* nomine; male Euſebius *Cyprin* dixit, quum iſtud fuerit Graecum Veneris vocabulum, Idumaeis, Iudaeisque ignotum ac peregrinum. Quare quod legitur in quibusdam Ioſephi Codicibus Libro I. de Bello τὸ ὄνομα κύπρις, emendandum eſt iis, quae habentur XIV. Antiq. Κύπρον ὄνομα. Sed haec obiter dicta ſint. Herodem itaque *allophylum*, & alienigenam oſtendunt, primum quod fuerit proſelytus; ſecundum, quod Iudaeorum genealogias flammis conſignando ſe alienigenam commonſtraverit; tertium, quod parentem habuerit natione Idumaeum.

IV. Summorum Eccleſiae Patrum, Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini teſtimoniis ſuperius dicta confirmo. Nam Ambroſius in libro de Bened. Patriarcharum cap. 4. necnon I. in Lucam ſcribit, *Herodem nulli affinem generi Iudaeorum adulterina ſucceſſione ac fraude* regnum quaeſiviſſe. Hieronymus in cap. 3. Oſeae, *Poſtquam defecit* (inquit) *Dux de foemore* Iudae, *Herodes alienigena & proſelytus ſuſcepit imperium*; & Auguſtinus lib. XII. contra Fauſtum cap. 47. ait: *Certiſſimis ipſorum quoque Iudeorum hiſtoriis oſtenditur primum alienigenam Regem fuiſſe in gente Iudaeorum, quo tempore natus eſt Chriſtus*.

IV. *Patrum aliquorum idem aſſerentium teſtimonia.*

V. Sed tria haec occurrunt non praetermittenda ſilentio, nempe cur Patres complures, neque infimae notae, ut Iuſtinus Martyr, Epiphanius, Severus, Sulpitius, Euſebius, aliique dixerint Herodem *Aſcalonitam*; nos vero paullo ſupra appellaverimus *Idumaeum*: deinde cur fides non ſit adhibenda Nicolao Damaſceno aſſerenti Herodem fuiſſe Iudaeum genere, quando etiam Strabo lib. XVII. Herodem appellavit virum *Iudaeorum popularem*; tertio tandem cur aſſeramus natum Dominum ſceptro a Iudaica gente ſublato, cum ante 34. annos ad alienigenas & proſelytos pertranſierit, facta hypotheſi quod Herodes alienigena & proſelytus ſit habendus.

V. *Quaedam ex dictis emergentes oppoſitiones.*

VI. Verum haec facili negocio expediuntur. Ad primum enim quod attinet; etſi Herodem *Aſcalonitam* dixerimus, alienigenam tamen ipſum fuiſſe comprobabitur. Fuit enim Aſcalon, (nunc exigua litterarum permutatione *Scalona* ſub ditione Turcarum, & crudeliſſimo excidio Sacerdotum & Virginum ſub Iuliano Apoſtata, notiſſima Civitas) inter Azotum & Gazam, una ex quinque Vrbibus Philiſtinorum. Quare alienigena fuit Herodes, ſi fuit Aſcalonita. At nihil vetat, ut Aſcalonitam ſimul & Idumaeum appellemus, ad concordiam

VI. *Diluitur prior oppoſitio.*

diam revocatis Ecclesiae Patribus vetustissimis, sive dixeris cum Iulio Africano, & Epiphanio, Antipatrum Herodis patrem Ascalone natum, & illinc abductum ab Idumaeis; sive cum Iosepho, cui subscribendum esse puto, Idumaeum genere, & Ascalone tandiu commoratum, ut ius acquireret civitatis. Ratio autem, ob quam amplectimur Iosephi sententiam, petitur ex hujus Auctoris antiquitate ac doctrina. Ob hanc vero apertissimam facillimamque conciliandi sententias Patrum rationem, constat eos inter versari nominis, non rei discrepantiam; ac non satis librato judicio inter Historicos Turniellum, ac inter Theologos Frasenium asseruisse in quaestione de genere Herodis traditionem antiquorum Patrum nequaquam esse attendendam.

VII. *Ad secundam oppositionem responsio.*

VII. Oppositio altera facilem iridem habet expeditionem. Nam cum Herodes fuerit Proselytus, ut paullo supra dicebamus; ideoque ad Iudaeorum religionem migraverit, recte Iudaeus censebatur. Ita eos omnes qui ex Christianis parentibus procreati sunt, & qui ex superstitione ad Ecclesiam accessere, & regenerati fuerunt sacro baptismatis mysterio, promiscua appellatione Christianos nominamus. Maxime autem Herodes poterat Iudaeus vocari cum foret Idumaeus, propterea quod Idumaei erant Ismaëlis propago; atque de his extabat praeceptum Domini cap. 23. Deuteronomii ver. 7. *Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est.* Quamquam vero Proselytorum, Iudaeorumque aliquod erat discrimen, ac Proselyti deputabantur vilioribus exercitiis, nihilo tamen minus posteaquam circumcisione erant initiati, legisque onus subierant, pertinebant ad Iudaicam Rempublicam; quemadmodum Quirites & Latini, puta Aequos & Volscos, censebantur Romani, tametsi iidem Latini jure Quiritum minime donarentur.

VIII. *Quae postremo loco obiiciebantur, diluuntur.*

VIII. Tertia demum oppositio juxta duas notissimas interpretationes celeberrimi Oraculi Iacobaei, duplicem habet solutionem. Vel enim oraculum ipsum accipiendum esse contenditis de sola persona Regia, vel de hac simul ac de Synhedrio, seu curia, & judicum consessu, ut mea fert opinio, alibi prolixis dissertationibus comprobata. Si primum asseratur, facile reponam, ablatum sceptrum aliquo annorum intervallo ante Christi nativitatem, quando Herodes Iudaeorum Regnum obtinuit, quoniam signa rem, quam promittunt, debent aliquantulum praecedere: si vero arrideat sententia nostra, respondeo Herodem anno tricesimo Regni sui synhedrium ex viris Iudaeis coalescens penitus deleviſse, atque hoc pacto vaticinium Iacobi, instante Redemptoris nostri salutifera Incarnatione, undequaque fuisse completum. Demonstravi id lib. xxv. *Theolog. disciplin.* cap. 1. consensione Rabbinorum: nunc vero idem confirmo auctoritate Philonis, cujus libro 2. de Temporibus haec sunt verba: *Anno tricesimo Principatus sui Tyrannici* (Herodes) *Sanhedrin de domo David delevit, & Annalenum quemdam, atque Sanhedrin ex proselytis suffecit.* Atque ita ius, quae diximus de genere Herodis Magni, tria illa capita su-

ſuperius objecta, non adverſantur. Haec de genere Herodis dicta ſint modo.

IX. Herodem itaque fuiſſe *allophylum*, ſive alienigenam, ſuperius dicta commonſtrant. Nunc Herodiani Regni epocha figenda eſt: quod praeſtare conabor, poſteaquam dixero, quomodo Iudaicum ſceptrum adeptus fuerit. Id hac ratione, tradentibus Hiſtoricis, contigit. Antipater, quem diximus Idumaeum, & patrem Herodis, ita Arabum amicitiam coluit, eosque muneribus ſibi conciliavit, ut totius Idumaeae princeps conſtitueretur. Hunc Iulius Caeſar poſt bellum Aegyptiacum Romana Civitate donavit, propterea quod Mithridatem in Aegypto pro ſe militantem ſtrenue adiuviſſet. Rerum quoque Iudaicarum Caeſar Antipatrum curatorem conſtituit, quod Herodis tyrannidi viam aperuiſſe tradit lib. XIV. Antiq. cap. 16. Ioſephus. Etenim Iulius Caeſar cum in Iudaeam appuliſſet, rebus Syriae compoſitis, ejus filium agentem quintumdecimum aetatis annum, ſeu potius vigeſimum quintum, Galilaeae tutorem creavit. Trucidatus deinde Romae Iulius Caeſar: conſtitutus Triumviratus, ac paullo poſt Antipater e vivis ſublatus eſt. Antonius poſtmodum, quum in Bythiniam perveniſſet, ibique exciperet finitimarum gentium legationes, Herodem ab Hircano ſummopere commendatum ob Coeleſyriae adminiſtrationem, quam ei Caſſius paullo antea commiſerat, invitis licet Iudaeis, aegre ferentibus gentis ſuae regimen in alienigenam transferri, Iudaeae tetrarcham declaravit. Romam deinde proficiſcens Herodes a Triumviris accepit totius Iudaicae Reipublicae adminiſtrandae regiam auctoritatem; atque Auguſti & Antonii fretus auxiliis, in Syriam ac Palaeſtinam traſmittens Ieroſolymam expugnavit. His maiori, quam potui, brevitate narratis, ad nodos Chronologicos ſolvendos progredior.

IX. *Quomodo Herodes Iudaeorum Regnum ſit conſecutus.*

X. De nece Caeſaris ac de Triumviratu conſtituto, ne praemittam quae dicenda ſunt ad inluſtrandam Epocham Auguſteam, nil penitus in praeſentia. Antipatrum vero occiſum, & filium eius Herodem a Caſſio Ducem Coeleſyriae deſignatum fuiſſe affirmo anno 43. ante Aeram Chriſtianam 711. ab V. C. ſecundo Caeſaris Auguſti, Coſs. *Hirtio* & *Panſa*. Id conſtat ex quo Caſſius hoc anno ſeſe in Syriam contulerit, adverſus Dolabellam quondam Ciceronis generum pugnaturus, ipſomet Cicerone Senatum adverſus Dolabellam incitante; quumque is terra marique intercluſus ſemetipſum interfeciſſet in urbe Laodicea, non illa, quae in finibus Lycaoniae ſita eſt, nunc Turcis *Ladik* appellata, ſed illa, quam Hebraei *Rhamata* dicunt in ora Maris Syriaci, Caſſius Herodi detulit regimen Coeleſyriae, regnum quoque pollicitus, bello, quod cum Triumviris gerebat, exhauſto. Quod cum aegre ferret Melichus quidam, cui vetus cum Antipatro atque exiſtioſa ſimultas, hunc, corrupto Hircani pincerna, praeſentiſſimo veneno necavit. Itaque quum id contigerit Caſſio in Coeleſyria morante, evenit procul dubio anno quem paullo ſupra deſcripſi, celebri

X. *Definitur annus, quo Antipater veneno interiit.*

qui-

quidem non tantum ob Dolabellae atque Antipatri necem, verum etiam ob nativitatem illuſtris poetae Ovidii; quem natum Coſs. *Hirtio & Panſa*, iis ſcilicet, qui dum Conſulatum gerebant, in pugna Mutinenſi ſimul perierunt, inquit ipſemet Elegia 10. Lib. IV. Triſtium, ubi ait,

Editus hinc ego ſum; necnon ut tempora noris,
Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

XI. *De anno, quo Herodes a Romanis regnum accepit.*

XI. At ab Antonio Herodes tetrarcha conſtitutus, ac paullo poſt Rex a Romano Senatu declaratus fuit anno ante Aeram Chriſtianam 40. Vrbis Cond. 714. Auguſti 5. Coſs. *Domitio Calvino*, & *Aſinio Pollione*. De hac Epocha omnes accuratiores Chronologi conſentiunt, Petavius lib. x. de Doctr. temporum, Noriſius diſſ. 2. Caenotaph. Piſ. diſſ. 4. de Epochis Syromaced. & in Paraen. ad Io. Harduinum, Pagius in Apparatu num. 80. & poſt doctrinam temporum meliori in lumine conlocatam, univerſi recentiores. Praeter Chronologorum omnium conſenſum ſtatuitur haec Herodis Epocha reſtimonio Ioſephi, qui lib. XIV. Antiq. cap. 14. de Herode ſcribit: *Ille regnum ſuſcipit Olympiade centeſima octogeſima quarta Coſs. Dom. Calvino iterum*, & *Aſinio Pollione*. Conſulatum vero Calvini, & Pollionis, in annum paullo ſupra commemoratum incidere, conſtat ex emendatis Conſulum Faſtis; conſtat ex his quae eodem Conſulatu evenerunt, ideſt, ex combuſta Peruſia, in quam urbem ſe Antonius receperat; ex nuptiis Caeſaris cum Scribonia, & Antonii cum Octavia; ex foedere ejuſdem Antonii cum Pompeio; ex invaſione Syriae facta a Parthis, quae omnia eodem anno contigiſſe Romana narrat Hiſtoria. Idem firmatur ex IV. Virgilii Ecloga, quae inſcribitur *Pollio*, conſcripta dum hic Conſulatum iniret, prout liquet ex iis verſibus,

Teque adeo decus hoc aevi, te Conſule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menſes.

Enimvero Virgilium eam ſcripſiſſe Eclogam, cum Aſinius Pollio ductor Germanici exercitus, poſt captas Solonas Dalmatiae Vrbem promeruit lauream, filiumque ſuſcepit, quem a devicta Civitate Solonium vocavit (quae itidem contigiſſe conſtat anno V. 714.) commonſtrat laudata Ecloga, qua nato puerulo Virgilius cecinit genethliacon.

XII. *Superior Herodis Epocha confirmatur.*

XII. Profecto eodem anno regnum Herodi Romae Triumvirorum aſſenſu fuiſſe delatum, comprobant, quae ſubiiciuntur, momenta. Primo enim Parthis Ieroſolymam occupantibus Herodes matre, ſorore, ac ſponſa ſua Marianna impoſitis in iumenta, cum exiguo armatorum ſubſidio Idumaeam verſus fugam arripuit, atque inde Romam preſſus calamitatibus navigavit: ubi favore Caeſaris, & Meſſalae viri Conſularis, qui Antipatri merita, eiuſque erga populum Romanum fidem coram

Se-

Senatu plurimum commendaverunt, Antonio quoque monente haud parum conducere ad Bellum Parthicum, ſi Herodes regnaret, in id Senatus conſenſit, accedentibus univerſorum ſuffragiis. Haec ex Ioſepho lib. XIV. Antiq. cap. 12. Itaque Herodes declaratus fuit Rex a Romanis eo anno, quo Parthi Syriam aggreſſi eam debellarunt. At Parthos adverſus Syriam arma moviſſe, eamque occupaſſe Ducibus Labieno, & Pachoro filio regis ipſorum Parthorum, anno ab V. C. 714. affirmat lib. XLVIII. Dio Caſſius. Cohaeret Dioni quod eo loci ſcribit Ioſephus, occupatam nempe Syriam a Parthis altero anno poſtquam Antonius perrexit in Aſiam. Antonius vero in Aſiam ſe contulit anno V. C. 713. ex ipſo Dione, quem nuperrime laudavi. Quamobrem de hac regni Herodiani Epocha nulla difficultas videtur ſupereſſe, ut bene ſapienterque affirmaverunt Antonius Pagius in Apparatu num. 90. Henricus S. R. E. Cardinalis Noriſius in diſſert. de Nummo Herodis Antipae, ac diſſert. 1. Antiq. Eccl. Emmanuel a Scheleſtrate.

XIII. *Proponitur Epocha altera Herodis aliquantulum difficilior.*

XIII. Demonſtravi Herodem Seniorem a Romanis declaratum fuiſſe Iudaeorum Regem anno ante Aeram Chriſt. 40. V. C. 714. ac 5. Imperatoris Auguſti, *Domitio Calvino*, & *Aſinio Pollione Coſs.* Inveſtigandum eſt modo, quo tempore rerum potitus ſit, regiamque poteſtatem captis Ieroſolymis, interfectoque Antigono, coeperit exercere: quae Epocha paullo abſtrutior eſt praecedenti. Diſcrepant enim invicem in ea aſſignanda nobiliſſimi duo Hiſtorici, Dio, & Ioſephus; habentque ambo vindices ſtrenuiſſimos: Dio quidem Cardinalem Noriſium in Cenotaph. Piſ. diſſert. 2. Ioſephus autem Pagium ac Baſnagium in Apparatu. Mediat hos inter, egregiosque Hiſtoricos ad concordiam nititur adducere Iacobus Vſſerius; ſed, ut doctiſſimi viri putant, inani prorſus conatu. Sane Dio Caſſius lib. XLIX. expugnatas a Sofio & Herode Ieroſolymas ſcribit *Coſs. Claudio, & Norbano*, ideſt, an. V. C. 716. Imperatoris Auguſti anno 7. ante Chriſtianam Aeram 38. Ioſephus autem captas Ieroſolymas, percuſſumque Antigonum ait, *Coſs. M. Agrippa, & Caninio Gallo*, videlicet, an. V. C. 717. Auguſti 8. ante Aeram vulg. 37.

XIV. *Haud recte Dionem & Ioſephum ab Vſſerio conciliari.*

XIV. Dixi, fruſtra Vſſerium adniti, ut nobiliſſimos, clariſſimosque Hiſtoricos ad concordiam adducat. Inquit ille, Herodem expugnaſſe Ieroſolymas *Calendis Ianuariis anni Periodi Iulianae* 4677. (annus iſte coincidit in Conſulatum Agrippae, & Caninii, & in annum V. C. 717.) *feria 2. menſis Caſleu die 28. quo a Iudaeis celebrari conſuevit ſolemne ieiunium, ob memoriam ſacri voluminis a Ieboiakimo combuſti.* Addit *ex vitioſa intercalandi ratione* Romae eo tempore recepta, *Calendas Ianuarias* incidiſſe *in diem poſtremam Decembris*; qua die annum Conſulatus abſolvebant *Claudius & Norbanus*, ad quem Conſulatum clades Ieroſolymitana a Dione refertur. Specioſa quidem, ſi verba attendamus, ratio pugnantes ſententias conciliandi; ſi rem vero ſpectemus, falſiſſima, atque inſulſiſſima. Nam diem vigeſimam

octavam menſis *Caslev*, qui in anno Hebraeorum civili tertius eſt ordine, concurrere cum die prima Ianuarii, neque ii affirmant, qui ignorant, ut Horatiana utar phraſi, *quid diſtent aera lupinis*: Deinde ſcribit Dio lib. Hiſtoriarum XLIX. captam Ieroſolymorum Civitatem Claudio, & Norbano Coſs. *Saturni die*, *quam* Iudaei *tanta religione feſtam agunt*; ideoque non feria ſecunda, ſed ſeptima, contigit clades commemorata, ſi aſſentiamur Dioni. Praeterea in hoc quoque laberetur Dio, ſi poſtremam diem Decembris in Conſulatu Claudii & Norbani appellaret *diem Saturni*; cum demonſtrent qui Solarem Epactam, & Calendarii computationes noverunt, diem illam fuiſſe hebdomadae primam, ideſt diem Solis, cum fuerit anno V. C. 716. coniuncta littera Calendaris, ſive, ut inquiunt, Dominicalis F. Ad haec plurimis (quibus tamen non aſſentior) videtur inveriſimile, Soſium menſe Decembri, vigente hieme, Parthisque infeſtantibus, cinxiſſe Ieroſolymas obſidione. Miſſo itaque Vſerio, reſtat ut expendamus, num Dioni, num Ioſepho ſit adhaerendum.

XV. *Praeponitur ſententia Ioſephi.*

XV. Ioſepho fidem adhibendam eſſe contendo, atque affirmo expugnatam Ieroſolymorum Vrbem anno ante Aeram Dionyſianam 37. V. C. 717. Auguſti 8. Conſulatum gerentibus *Vipſanio Agrippa*, *& Caninio*. Me, ut id ſentiam, momenta quae nunc propono, compellunt. Sit primum: Accuratiſſima videtur Ioſephi lib. XIV. Antiq. cap. 28. enarratio, in qua devictae urbis annum, menſem, diem, ac temporis individuum inſtans deſignat his verbis: *M Agrippa & Caninio Gallo Coſs Olympiade centeſima & octogeſima quinta, menſe tertio, ieiunii ſolemnitate, recurrente in idem temporis momentum inlata a Pompeio Iudaeis calamitate: nam & eodem die ante ſeptem & viginti annos Ieroſolyma capta fuerat*. Quibus in verbis habemus expreſſum *Agrippae* & *Caninii* Conſulatum, atque idcirco anni Vrb. 717. ſuperius definiti certiſſimum characterem. Depromitur ex productis verbis momentum alterum: Nam inter cladem a Pompeio, clademque a Soſio Ieroſolymae inlatam, anni 26. interfuere. At Pompeius Ieroſolymam ſubegit *Coſs. Cicerone & Antonio*, ideſt, an. V. C. 691. haud diſſentiente Dione lib. VI. ac XLII. ſi autem anno 691. addantur anni 26. ad annum 717. perventum erit. Tertium momentum eſt huiuſmodi: Omnium conſenſu Soſius & Herodes Ieruſalem expugnarunt proximo anno poſt ſecundam victoriam quam retulit de Parthis Ventidius, Pachoro Parthorum principe occiſo. *Ventidius* autem *Antonii legatus Parthos in Syria vicit, regemque eorum interemit, quando Caeſar neceſſario bello contra Pompeium ſuſcepto, duobus navalibus proeliis dubio eventu pugnavit*, inquit Florus in Breviario. Caeſar vero, ac Pompeius, ob violata ab eodem Caeſare matrimonii foedera cum Livia, hoſtilibus animis pugnarunt apud Cumas, pluribus Caeſaris Auguſti navibus naufragio peſſundatis, & Menecrate Pompeii duce interfecto, *Coſs. Appio Claudio, & Norbano*, anno ſcilicet V. C. 716. Sequenti igitur anno 717. Ieroſolyma fuit expugnata. Addamus momentum quartum:

Si

Si exacte Herodis itinera fortunamque attendamus, omni procul dubio compertum erit, tres hiemes ab Herode declarato Rege usque ad Ierosolymitanam expugnationem interfluxisse. Prima hiems fuit, qua exeunte Octobri, regno praeter spem Herodi conlato, is profectus Italia venit Ptolemaidem, ibique collecto exercitu Ioppen coepit, & Hierieunthem expugnavit. Altera hiems est, quam Romanorum exercitum in deditas sibi regiones ad hiemandum dimisit, eaque soluta Antonium obsidentem Samosatam, Syriae urbem ad Euphratem sitam, convenit: ac tertia hiems est illa, in qua, dum obsidione cingeret Ierosolymam, Mariannam alteram sibi copulavit in matrimonium; quare Iosephus recte lib. XIV. Antiq. cap. 27. scripsit: *Castra* (Herodes) *prope urbem metatus est anno tertio, posteaquam Rex declaratus fuerat a Romanis*. Iam vero si anno V. C. 714. quo Rex declaratus fuit Herodes Magnus, tres annos addiderimus, perveniemus ad annum V. C. 717. in quo obsidionem atque expugnationem Ierosolymitanae Civitatis constituimus. Atque hisce quatuor momentis Chronologicis addamus quintum depromptum ex regulis Criticorum: dum enim de rebus Iudaicis & Ierosolymitanis pertractamus, aequum est, ut Scriptori potius Iudaeo, Ierosolymitano, & antiquiori praebeamus assensum, quam homini Graeco & Nicaeo, res, factaque alienigenarum narranti, & qui floruisse dicitur, Commodo, Pertinace, ac Severo, imperantibus.

XVI. Productis demonstrationibus cohaerent quae de morte Antigoni clarissimus Iudaicarum Antiquitatum auctor litteris consignavit. Inquit, Antonium debellatis Ierosolymis dedisse operam, ut Antigonus perductus Antiochiam securi percuteretur, qua poena in nullum alium Regem anteactis seculis fuerat animadversum. Iis, quae Iosephus scribit lib. XV. Antiq. conformia sunt quae tradunt Plutarchus in *Antonio*, atque lib. Historiarum XLIX. Dio Cassius. Hoc unum inter praeclarissimos auctores nuper laudatos adinvenitur discrimen, quod Antigonum non percussum securi, sed alligatum cruci, & flagris coesum fuisse affirmat Dio, (si tamen recte Dionem interpretatus est Xilander Augustanus) in quam sententiam abiit & Cardinalis Baronius, forte Xilandri interpretatione deceptus. Contigit hoc supplicium Antigoni *post tres annos & totidem menses ex quo a Parthis creatus fuerat Rex Iudaeorum*, inquit eo loci Iosephus. Parthos Syriam occupasse anno V. C. 714. demonstratum est in dilucidatione prioris Epochae Herodianae, certumque est id evenisse Pentecostes festo iam proximo. Hinc suppuratis annis tribus, ac totidem mensibus regni Antigoni, meridiana luce perspicuum erit, interfectum fuisse Antigonum mense Augusto anni V. C. 717. ideoque hoc anno finem regni Assamonaeorum, expugnationem Ierosolymae, ac initium temporis, quo Herodes regnare coepit absque competitore, constituere necessum est. His, nisi mea me fallit opinio, utraque Herodis Epocha extra omnem dubitationem conlocatur, prior nempe anno Vrb. 714. altera an. Vrb. 717.

XVI. *Confirmantur superius dicta ex tempore mortis Antigoni.*

XVII. *Proponitur Cardinalis Norisii, & Ioannis Harduini sententia.*

XVII. Verum pudet me dixisse, *extra omnem dubitationem*; Nam magnus ille Norisius, cuius vestigiis me inhaerere publica oratione testatus sum, in Cenotaph. Pisan. diss. 2. censet Dionem Iosepho praeferendum esse, expugnatamque Ierusalem an. V. C. 716. *Claudio, & Norbano Cos.* elevatque testimonium Iosephi propterea quod utens anno sabbatico, qui inchoatus fuit an. Vrb 716. mense *Tisri*, exitque vertente anno Vrb. 717. putavit captam hoc anno Ierosolymam, revera superiori anno expugnatam. Accedit Cl. Harduinus, qui de Nummis Herodiadum neque Dioni, neque Iosepho, adhaerendum esse contendit, sed postremam Epocham figendam esse pronuntiat an. V. C. 718. ea adductus ratione, quod Sosius ex Iudaea Proconsul triumphum egerit Romae III. Nonas Sept. an. 719. ut constat ex nummo eo temporis cuso: in cuius antica Sosii nomen conspicitur cum praedicta nota numerali; in postica vero captivi extant duo manibus post terga revinctis. *Neque enim* (en Harduini momentum, quod ipse putat validum, atque invictum) *Neque enim ultra annum post rem strenue & feliciter gestam differri triumphum illo aevo mos fuit*: Quasi ad hunc plane modum ratiocinaretur; Sosius Romae triumphavit an. 719. debellavit itaque Ierosolymas anno proxime exacto, 718.

XVIII. *Sententiae Norisianae occurritur.*

XVIII. Quantum vero ad Norisium attinet; primum reponendum esse censeo, tantam eius esse in Chronologicis quaestionibus enodandis diligentiam ac perspicaciam, tantamque illius auctoritatem, atque existimationem, ut hoc solo nomine possit sententia ab ipso tradita propugnari. Deinde planissima libertate cum Augustino respondendum est, nos hunc honorem solis divinorum librorum scriptoribus deferre, ut numquam illos erravisse credamus. Praeterea hunc tradimus responsionem, consulto praemissa fuisse ad firmandam Herodianam Epocham complura & invicta argumenta, ne quis opinaretur me a Norisio, quem in rebus Chronologicis ducem habere soleo, ob frivolas, levesque coniecturas defeciviſse. Addam & responsionem alteram, neque Iosephum usum sabbatico anno, neque si usus fuisset, (quantum ad annum spectat,) erroris fore culpandum. Si enim annus sabbaticus, Eruditorum consensu, incepit mense *Tisri*, an. V. C. 716. & desiit sequenti anno, eodemque *Tisri* mense, quod recte ipsemet Norisius animadvertit; haud repugnat, Iosephum in Consulatu *Agrippae & Caninii* statuisse Ierosolymitanam expugnationem, simulque affirmasse eam contigisse in anno sabbatico; quum annus sabbaticus revera in eumdem *Agrippae, & Caninii* Consulatum inciderit. Nulla itaque in Iosepho antilogia, nullus anachronismus; tametsi fateamur accuratissimum hunc Historicum in anno sabbatico consignasse Ierosolymitanae Civitatis expugnationem.

XIX. *Inquiritur de quo mense loquatur Fl. Iosephus, dum recenset Ierosolymorum expugnationem.*

XIX. Verum quia diserte Iosephus etiam mensem, diemque commemorat, dicens contigisse praedictam expugnationem mense tertio in solemnitate ieiunii, tertius autem mensis anni sabbatici exiit in Consu-

ſulatu Claudii & Norbani: res eſt, judicio quidem noſtro veriſſima, in anno ſabbatico expugnatam fuiſſe Ieruſalem; ſed Ioſephum, dum ait cladem illam eveniſſe menſe *tertio*, accipiendum eſſe de menſe tertio Anni ſacri, quem menſem Iudaei appellant *Sivan*; non autem de menſe tertio anni civilis aut ſabbatici, quem menſem dicunt *Casleu*. Captam vero Ieruſalem anno ſabbatico a Septembri in Septembrem decurrente, dictum paullo ſupra, ab ipſo Ioſepho aſſertum, probatumque Chronologis univerſis. Expugnatam autem menſe *Sivan* tertio anni ſacri incipientis a *Niſan*, & nono anni civilis incipientis a *Tiſri*, primo illinc infertur quod Ioſephus anni ſacri rationem habere ſolet, ut conſtat ex libro 1. Antiq. cap. 4. & 9. deinde hoc ipſum commonſtrat, quod in menſe *Sivan*, eiusdemque menſis die 23. Iudaei celebrare ſoleant ieiunium ſolemne propter idololatriam Ieroboami, quam notam & Ioſephus adpoſuit, dum ait captam urbem *tertio menſe in ſolemnitate ieiunii*. Quum praeterea Soſius, & Herodes, Ieroſolymam obſederint tranſacta vix hieme, & obſidio perduraverit ſpatio quinque menſium, ut legimus lib. 1. de Bello Iudaico cap. 13. invenimus uſque ad diem 23. menſis *Sivan* exactum perfectumque tempus eiusdem obſidionis. Ad haec dictum eſt ſupra, regem Antigonum, priuſquam ſecuri percuteretur, regnaſſe tribus annis ac tribus menſibus, ex quo a Parthis fuerat rex conſtitutus, quam dignitatem indeptum fuiſſe an. V. C. 714. inter feſtum Paſchatis & Pentecoſtes, demonſtravimus paullo ſupra: quod item ad amuſſim cohaeret, ſi dicamus die 23. menſis *Sivan*, devicto Antigono, Ieroſolymas veniſſe in ditionem Herodis. Poſtremo Pompeius, redacto in poteſtatem Hircano, & Ariſtobulo ad deditionem coacto, Ieroſolymas oppugnavit tertio menſe anni ſacri, ideſt, *Sivan*, & recurrente ſolemni ieiunio, quod a Iudaeis peragitur die 23. illius menſis, auctore ipſomet Ioſepho lib. 14. cap. 8. Quare ſi eadem die, eodemque menſe Ieroſolymas expugnarunt Soſius & Herodes; conſignanda eſt haec expugnatio in ipſomet menſe *Sivan*, in ipſamet die 23. in ipſamet ſolemnitate ieiunii.

XX. *Deteguntur ex dictis aliquorum Chronologorum errores.*

XX. Ex his videor mihi praeſtantiſſimo Auctori ſtatuenti Epocham Herodianam in anno V. C. 716. ſive in Conſulatu *Claudii & Norbani*, abunde ſatisfeciſſe, necnon annum eiusdem Epochae ſtatutum a nobis ſupra validius firmaſſe, & Chronologiam Ioſephi ubique conſtantem contra adverſarios innumeros oſtendiſſe; & quod crucem figebat viris praeſtantiſſimis, doctiſſimisque Chronologis, etiam diem devictae Ieroſolymae declaraſſe: Quae utique dies ſi fuit 23. menſis *Sivan*, apertum eſt a veritate aberraſſe Vſſerium, qui illam reiecit *ad Calendas Ianuarias*, & patenti contradictione adligavit ieiunio, quod Hebraei obſervant 28. die menſis *Casleu* ob combuſtum Legis volumen: erraſſe quoque Scaligerum, qui in elaborato opere de *Emendatione Temporum* praenarratam Iudaeorum cladem, adhibita difficillima ſupputatione, adligavit diei 16. menſis Iulii, ad

quam

quam extendi nequit dies ſexageſima octava poſt Paſcha, concurrens cum die 23. menſis *Sivan*: erraſſe demum complures, qui aliam inveſtigandi initia Epochae Herodianae viam inierunt.

XXI. *Ioannes Harduinus perſtringitur.*

XXI. Iam vero ad Harduinum accedo: de quo doctiſſimorum virorum iudicium, quod fuerit vir praeſtantis quidem ingenii, ſed ad omnem hiſtoriam ſubvertendam natus, atque audaciſſimus, poteſt etiam ex ea ipſius auctoris aſſertione confirmari, qua putat conſignandam Aeram Herodianam, mortem Antigoni, & expugnationem Ieruſalem an. V. C. 718. propterea quod Soſius devictis Parthis triumpharit Romae anno proximo. Audax ſane, & omnium inſulſiſſima eſt enuntiatio iſta Harduini: audax, inquam, quia Chronologis accuratioribus adverſatur, atque exſibilatur, & expungitur ſuamet novitate. Inſulſa autem & ludicra ſupra quam dici poſſit; quum nihil ineptius ſit, quam ex peracto Romae triumpho reportatae in Syria victoriae tempus inferre. Vt enim Imperatores, ducesque militiae eodem aut proximo anno triumpharent in urbe, hoſtibus in provincia devictis, neceſſum erat & reduces e pugna fuiſſe, & Senatus conſulto triumphum illis fuiſſe decretum, nullamque extitiſſe cauſam triumphi ipſius differendi. Atque ut exempla quaedam producam nulli obnoxia difficultati; Iulius Caeſar triumphavit de Gallis anno Vrb. 708. quando iniit Conſulatum cum Lepido, tametſi Gallias ſubegerit an. Vrb. 705. Coſs. *Marcello & Lentulo*: & Auguſtus triumphum egit de pugna Actiaca anno Vrb. 725. quamvis Actiacam victoriam retulerit ante elapſum biennium, anno videlicet V. C. 723. Ea itaque ratio inveſtigandi annum expugnatae Ieroſolymae ex Soſii triumpho, atque ex hac, aliiſque huius furfuris cavillationibus perſuadendis ſciolis, & plebeculae, Ioſephum eſſe purum putum fabulatorem, Chronologum mendaciſſimum, Scriptoremque falſidicum, ut ab Harduino non uno in loco appellatur: ea, inquam, ratio iure a nobis refellitur, atque eliditur.

XXII. *Alter ejusdem Harduini error detegitur.*

XXII. Neque in ſola Herodiani regni epocha ſtatuenda acumen ſuum oſtentare voluit, & extra oleas deſiliit Ioannes Harduinus, vir alioquin, ut iterum laudem, quam promeretur, ei deferam, ingenio pollens, & eruditione praeclarus: ſed etiam in coarctando Herodis Regno inter ſolius Iudaeae, ac Samariae limites, ideſt, in ſola terra Chanaan ac Palaeſtina, praeſeferre voluit ſingularem opinionum ſuarum abſurditatem. Permotus eſt autem argumento conſimili, petito nempe ex nummo aeris minimi e regia gaza deprompto, & illinc exhibente uvae botrum ſymbolum agri feracis ac vinearum Engaddi, hinc Graecam inſcriptionem, ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ. Falli Harduinum demonſtro ex Ioſepho, qui lib. XV. Antiq. cap. 13. ſcribit ad Herodem pertinuiſſe quoque Tetrarchiam Zenodori, in qua erexit Auguſto marmoreum templum elegantiſſimum: & ne Harduinus appellet rurſus Hiſtoricum illum conſarcinatorem fabularum, produco verba Dionis lib. Hiſtoriarum 54. *Zenodori cuiusdam Tetrarchiam Herodi attribuit An-*

Auguſtus. Addo Strabonem comprehendentem in Herodis imperio etiam Trachonitidem, & Ituraeam: quarum regionum unam inter Iordanem, & Arabiam deſertam, & alteram (ſi tamen ſegregandae ſint) inter Arabiam & Samariam delineant nobis Geographi. Sed quid Ioſephum, Dionem, Strabonemque commemoro? quando poſt Herodis obitum, ex illius teſtamento ita diviſa eſt ditio eiusdem Herodis, ut regnum Iudaicum Archelaus, Herodes Antipas Galilaeam, & Philippus Trachonitidem, Ituraeamque obtinuerit, quod non ſolum lib. XVII. ſcribit Ioſephus, ſed inſuper demonſtrat cap. 3. Sanctus Lucas Evangeliſta. Exploſa eſt itaque haec alia Harduini commentatio de regno Herodis intra limites Galilaeae & Samariae finiendo.

XXIII. *Diluitur inſulſa Ioannis Harduini obiectatio.*

XXIII. Praeter haec vero, quid Harduinum iuvet inſcriptio illa numiſmatis, ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ, ego quidem rudis Minervae homo non video. Nam etſi Spanhemius, quem Harduinus ſequitur, Herodi Magno nummum adiudicet; vero tamen abſimile non eſt, ſpectare ad Herodem Antipam; qui cum fuerit Galilaeae Tetrarcha, potuit & Ethnarcha appellari, quod idem ſonat ac *Genti praepoſitus*. Etenim ubi II. ad Corinth. cap. 11. habent Latini, *Damaſci praepoſitus gentis Aretae regis*, extat in Graeco Codice; *ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως*. Itaque etiam princeps, non ſummus ἐθνάρχης dicitur. Praeterea in epigraphe eiusdem nummi neque Iudaeae, neque Galilaeae fit mentio; ac regionem divinare ex *uva* ſymbolo vinearum, eſt nimis cavilloſa inquiſitio. Ad haec, etiamſi numiſma exhiberet *Iudaeae* vocabulum; norunt omnes Iudaeae nomen aliquando preſſius ſumi pro minima illa, ſed nobiliſſima Aſiae parte inter Syriam, & Idumaeam; ſaepe autem accipi pro regno Iudaeorum univerſo, quo ſenſu Plinius inquit lib. v. cap. 14. *Supra Idumaeam ac Samariam Iudaea longe lateque funditur*. Detur tandem Harduino pro Herode Magno nummum procuſum, in eoque legi, ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ ΤΗΣ ΓΑΛΙΛΑΙΑΣ, quorum unum probabile eſt tantummodo, aliud nec probabile, ſed falſum omnino; ergone regnavit Herodes duntaxat in Galilaea? Vah putida & anilis argumentatio! eodem habenda loco, ac haberetur, ſi ex nummo in Etruria cuſo cum inſcriptione, FRANCISCVS III. MAGNVS DVX. demonſtare vellem invictiſſimum Monarcham, cuius feliciſſimo imperio ſubiicimur, regulum eſſe provinciae noſtrae, non Romani Imperii, ampliſſimorumque Regnorum moderatorem ac dominum. At adverſus Ioannem Harduinum ſatis, ſuperque.

XXIV. *Referuntur ſententiae praeſtantiſſimorum virorum de tempore, quo Herodes deceſſit.*

XXIV. Poſteaquam duplicis Herodianae Epochae ſtatuimus initia, de illarum exitu, ſcilicet, de obitu Herodis agendum eſt modo. Hunc contigiſſe anno 6. Aerae Vulgaris, & ſecundum Baronii Chronologiam anno 8. eodemque anno incepiſſe regnum, ſeu tetrarchiam Archelai, ſententia ipſius Baronii eſt, eorumque omnium, qui illius Chronologiam ſequuntur. At recentiores unanimi conſenſione affirmant,

fatis ceſſiſſe Herodem ante exactum annum V. C. 751. ſeu tertium ante Aeram Dionyſianam; quamvis diſcrepent plurimum in praeciſo tempore Herodiani obitus deſignando, contendentibus aliis demortuum fuiſſe memorato nuper anno circa Azymorum ſolemnitatem, aliiſque aſſerentibus vita functum praecedenti anno 750. Novembri menſe labente. Inter has recentiorum opiniones ita verſabor, ut quam certiſſimam puto, abſque ulla haeſitatione definiam; quam probabiliorem cenſeo, inveſtigare ſtudeam; & quae nonnullis nititur coniecturia, hanc leviter expendam, & temperanter exagitem. Itaque certum puto, Herodem ex hac vita migraſſe anno Vrb. 751. nondum tranſacto, ideſt anno Iuliano 43. ſive tertio ante Aeram communem, Coſs. *Cornelio Lentulo, & M. Valerio Meſſalino*: cuius ſententiae aſſertores habeo Cardinalem Noriſium in Cenotaph. Piſan. diſſ. 2. Aegidium Bucherium in Belgio Romano lib. II. ſect. 3. & Samuelem Baſnagium ad an. P. I. 4711. Deinde probabilius exiſtimo deceſſiſſe Herodem potius circa feſta Paſchalia, quam menſe Novembri; in qua aſſertione ſubſcribendum puto Petavio lib. 11. & 13. de Doctr. Temp. Henſchenio & Papebrochio in Apparatu ad Chronologiam Rom. Pontific. ac Tillemontio in Hiſt. Impp. tom. 1. p. 2. Ac tandem affirmo, non eſſe quidem omnino improbabile, ſed nec eſſe exploratum, & etiam refelli poſſe, quod aiunt de morte Herodis conſignanda menſe Novembri, ut poſt Vſſerium acerrime propugnant Franciſcus Blanchinius in Chronologia Conſulari, & Emmanuel a Scheleſtrate Diſſ. 1. Antiq. Eccl. recenſentque e ſententia Vſſerii abſque ulla confutatione, Noriſius in diſſert. de Nummo Herodis Antipae, & in Apparatu num. 142. Antonius Pagius.

XXV. *Annus Herodis emortualis demonſtratur.*

XXV. Herodem itaque vita functum ante exactum an. V. C. 751. his momentis oſtendo. Definivi duplicem Epocham Herodianam, unam quando declaratus fuit Rex a Romanis an. V. C. 714. alteram quando Regnum obtinuit expugnatis Ieroſolymis, & Antigono occiſo an. V. C. 717. At regnavit Herodes poſtquam Romae ſalutatus Rex fuerat annis 37. poſtquam vero debellavit Antigonum, an. 34. ſcribente Ioſepho lib. XVII. Antiq. cap. 10. *Quinto poſt occiſum Antipatrum die vitam finivit, cum regnaſſet poſt interfectum Antigonum annos* 34. *triginta vero ſeptem ex quo Rex declaratus eſt a Romanis*. Bene habet: addantur annis 714. anni 37. conſurget ſumma annorum 751. ac rurſus addantur annis 717. anni 34. efficietur eadem ſumma annorum 751. ideoque anno Vrb. 751. deceſſit Herodes. Praeterea poſt Herodis obitum filii Romam iter maturantes venerunt, ac de paterna hereditate apud Caeſarem Auguſtum certarunt. Iudicio de hac hereditate interfuit Romae Caius Caeſar Conſul deſignatus, ut ſcribit eodem loco Ioſephus, ubi narrato Archelai in Vrbem adventu, *Auguſtus* (inquit) *amicos in conſilium advocat, & in his Caium Agrippae & Iuliae filium, iam a ſe adoptatum, primum ei locum tribuens*

bertz in conſiſtorio. Sane poſt annum 751. non potuiſſet Caius conſilio habito Romae intereſſe, cum anno Iuliano 44. profectus fuerit in Orientem. Anno itaque Iuliano 43. V. C. 751. de paterna hereditate filii Herodis in Romana Curia diſceptaverunt. Rurſus poſtquam Philippus, unus ex filiis Herodis, obtinuerat tetrarchiam Iudaeae, & Trachonitidis Regionis, ornavit urbem Bethſaidam ad maris Tiberiadis ripam occiduam, regiis ac ſplendidiſſimis aedificis, eamque in honorem Iuliae Auguſti filiae, *Iuliam* ſeu *Iuliadem* appellavit; quemamodum & Herodes Antipa tetrarcha Galilaeae, fraterque Philippi, in honorem Liviae uxoris Auguſti, ac matris Tiberii, ad lacum Aſphaltitem in Palaeſtina, urbem, quam *Liviam* nominavit, per idem tempus aedificari curavit. At enim inveriſimile prorſus eſt, Philippum appellaſſe Bethſaidam Iuliae nomine poſt annum Vrb. 751. quoniam eadem Iulia ineunte anno proximo 752. Coſs. *Auguſto XIII. & M. Plautio Silvano*, ob turpem vitam, deditamque libidini conſuetudinem, in exilium fuit deportata. Ad haec Archelaus, cuius memini paullo ſupra, accuſantibus fratribus ſuis Philippo & Herode, una cum primoribus Iudaeorum, a Caeſare Auguſto Viennam in Galliis relegatus eſt, *anno regni nono*, inquit Ioſephus libro II. de Bello Iud. ſive *anno decimo*, ait idem Hiſtoricus lib. XVII. Antiq. ideſt, nono Principatus anno iam completo, & decimo inchoato, ut Petavius, Vſſerius, Noriſius, Pagius, aliique praeſtantiores Chronologi recte obſervarunt. Sane Archelaus in Gallias relegatus eſt anno a pugna Actiaca 37. ut aperte colligitur ex eodem Ioſepho lib. XVIII. cap. 3. Actiaca pugna, ut oſtendam in dilucidandis Epochis Caeſaris Auguſti, conſignanda eſt anno Vrb. 723. a quo anno, aliis 37. enumeratis, perveniemus ad annum Vrb. 760. atque hinc detractis annis novem principatus Archelai, deſcendemus ad an. Vrb. 751. unde apertum erat hoc anno 751. initium habuiſſe Archelai tetrarchiam, & conſequenter eodem anno obiiſſe Herodem Magnum patrem ipſius Archelai. Herodes item Antipas tetrarcha Galilaeae a Caligula pulſus eſt in exilium anno Chriſtianae Aerae 39. cum ageret annum principatus ſui quadrageſimum tertium. Enimvero Herodem hunc ad praenotatum tetrarchiae annum perveniſſe conſtat ex nummo Rigordiano, in cuius antica inſculptum eſt, ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ, in poſtica vero exſtat palma cum inſcriptione ΕΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΑ, cum nota numerali Ε. ΜΓ. *Anno XLIII.* Porro annus Chriſti 39. incidit in anum V. C. 792. & in Conſulatum Caligulae & Apronii; cum quo ſi componatur annus Herodis Antipae 43. neceſſum eſt, ut eiusdem Herodis tetrarchia initium ducat ab anno V. C. 751. Itaque Herodem Magnum hoc anno e vivis exceſsiſſe demonſtratum eſt ex utraque illius epocha, ex diviſione regni eius in tetrarchias, ex duabus Civitatibus Iuliade & Livia ita appellatis in honorem filiae, & uxoris Auguſti, ex relegatione Archelai, atque ex Herodis Antipae exilio: atque haec ſunt momenta, quae me impulerunt, ut aſſererem, Herodem Magnum ante completum an. V. C. 751. obiiſſe.

XXVI. *Proponitur adverſus dicta argumentum praecipuum Baronii.*

XXVI. Militant vero adverſus ſententiam meam levia quaedam obiectamenta, quae lib. xxix. de Th. diſc. cap. 1. enervare ac diluere curavi. Unum dumtaxat praeferre videtur difficultatem aliquam; & illud eſt, quod urget Caeſar Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 8. num. 1. Herodes quippe, dum illi demandata fuit Galilaea, erat adoleſcens, *& annos quindecim natus*, ex Ioſepho lib. xiv. Antiq. cap. 17. idque contigiſſe anno Vrb. 707. Chronologi omnes conſentiunt. Vixit autem idem Herodes annos ſeptuaginta ex eodem Hiſtorico lib. xvii. Antiq. cap. 8. & lib. 1. de Bello Iud. cap. 21. ſi itaque Herodes anno V. C. 707. agebat annum aetatis ſuae 15. ut perveniamus ad extremum eius annum ſeptuageſimum, addamus 55. annos, oportet. His quoque additis anno Vrb. 707. conſurget annus Vrb. 762. ideoque deceſſit Herodes undecim annis ſerius, quam a nobis ſtatutum ſit nuper.

XXVII. *Solvitur praecedens obiectio.*

XXVII. Nodus iſte non alia ratione ſolvendus eſt, quam reponendo, mendum in Ioſephi textum irrepſiſſe, atque pro *annis* 15. legendum, *anni* 25. qui ſane error haeret in una Graecorum literula, omniumque minima, ideſt, *ι.* loco literae K. ſubſtituta. Non ego hunc mendoſum locum deprehendi, ſed Poſſevinus, Langius, Caſaubonus, Keplerus, Pagius, Hudſonus, Noldius, aliique plurimi praemonſtrarunt. Doctiſſimus autem Noriſius noſter in Cenotaphiis Piſania diſſ. II. cap. 6. non praemonſtravit tantum, ſed etiam invictiſſima ratiocinatione refellit. Animadvertit enim an. V. C. 687. Herodem una cum fratre ſuo Pherora ab Antipatro datum obſidem Aretae regi Arabum. Vivebat itaque, ac puerulus erat eo anno 687. Herodes noſter, & procul dubio anno V. C. 707. quando illi primum commendata fuit Galilaea, iam vigeſimum annum exceſſerat. Non ergo anno aetatis ſuae 15. ſed 25. id contigiſſe dicendum eſt. Atque ita cohaerent omnia, & quae de anno Herodis emortuali dicebamus non everruntur, ſed confirmantur. Dato enim Herodem anno V. C. 707. expleviſſe annos aetatis 25. computatione facta, an. Vrb. 751. inchoaverat annum aetatis ſuae ſeptuageſimum; quem utique annum Herodes minime explevit, eoque labente deceſſit, auctore Ioſepho lib. 1. cap. 21. de Bello Iud. Inconcuſſum eſt igitur, Herodem Magnum decurrente anno V. C. 751. obiiſſe, ut demonſtratum eſt hactenus.

XXVIII. *Quo menſe contigerit mors Herodis.*

XXVIII. Definito anno Herodis emortuali, ad menſem, diemque obitus inveſtigandum progredior, qua in re iam dixi producturum me eſſe argumenta probabilia, & ad perſuadendum idonea, ſi forte non adeo ſint firma, adeo invicta, ut ad extorquendum aſſenſum validiſſima cenſeantur. Itaque affirmo veriſimilius referri Herodis mortem ad menſem *Niſan*, paullo ante plenilunium, ſive ad poſtremos dies menſis Martii, anni Vrb. 751. quam referatur ad diem ſeptimum menſis *Caſleu* praeteriti anni 750. ad quod aſſerendum me iſta momenta perducunt. Principio enim iam demonſtravi deceſſiſſe Herodem, dum ageret annum aetatis ſuae ſeptuageſimum; atque annum triceſimum

ſepti-

ſeptimum regni ſui, ſi hoc regnum computetur a priori Epocha, ſive a Senatus Conſulto, a quo, anno Vrb. 714. conſtitutus Rex fuerat; atque annum regni tricesimum quartum, ſi anni ſubducantur a nece Antigoni: certumque eſt utramque Epocham inchoandam aut verno, aut ſaltem aeſtivo tempore, non autem hiemali, ſive anno Romano exeunte. Anno autem Vrb. 750. die 7. menſis *Caslev*, concurrente cum die 25. Novembris, annus Herodiani regni tricesimus ſeptimus computatus ab an. Vrb. 714. & annus eiusdem regni tricesimus quartus ſubductus ab anno Vrb. 717. vix ſuit inchoatus, menſe autem *Niſan*, poſtremisque diebus Martii commemoratus annus 37. aut 34. neque inchoatus fuit; ut unusquisque percipere poteſt arithmetica ſupputatione. Obitus itaque Herodis, ſi e vivis exceſſit anno 37. regni ſui decurrente, longe maiori probabilitate ad menſem *Niſan* an. Vrb. 751, quam ad menſem *Caslev* an. 750. refertur. Et quidem de anno plura antecedenter praemiſi: de menſe autem nonnulla alia ſunt proferenda.

XXIX. Primo enim ante Livellium, Vſſerium, Emmanuelem Scheleſtratenum, & Graveſonium, omnibus omnino Chronologis, quos viderim, perſuaſum fuit Herodem obiiſſe, menſe *Niſan* & circa feſta Paſchalia; viri autem docti, quos nuper laudavi, mortuum Herodem aſſeruerunt die 7. menſis Cislevi, ob libellum quemdam Rabbinicum, fidei ſubleſtae, & dubiae prorſus auctoritatis. Quis vero ob huiuſcemodi momenta ſcriptoribus omnibus antiquiſſimis, ac probatiſſimis fidem deroget? Deinde Ioſephus lib. xvii. Antiq. cap. 11. ac lib. ii. de Bello Iud. cap. 1. narrat *inſtante feſto Azymorum* nonnullos Iudaeos defleviſſe Matathiam, aliosque Aquilae aureae violatores ab Herode, morti proximo, affectos ſupplicio, atque in ipſum regem paullo poſt defunctum iactaſſe convicia. Appropinquante igitur ſolemnitate Azymorum interiit Herodes, ſceleramque ſuorum poenam luit. Praeterea eodem lib. ii. de Bello Iud. cap. item 2. narrat laudatus Hiſtoricus, Archelaum conſumptis diebus ſeptem in Patris funere, exhibitisque populo feralibus epulis, indutum candida veſte ad templum fuiſſe profectum, ibique aureo ſolio reſidentem cunctis populi poſtulatis indulſiſſe, excitatumque eadem die poſt meridiem fletum illorum, qui plorabant damnatos propter Aquilam auream, quam ſupra commemoravimus. Septem ergo diebus poſt Herodis obitum excitati ſunt hi tumultus; quumque, ut praenotavi, excitati fuerint *inſtante feſto Azymorum*; quis, obſecro, non videt, paucis ante hoc feſtum diebus Herodem e vivis ſublatum? Ad haec vero Archelaus committens Tribuno ut cohiberet tumultus ſeditionisque auctores, deinde immittens exercitum ad multitudinem compeſcendam, arrepta occaſione ſacrorum, ad quae Paſchalibus diebus confluebant Iudaei omnes, & relicto Philippo ad domus regiae cuſtodiam, cum matre, & quibusdam amicis diſceſſit Ieroſolymis, & deſcendit ad mare, feſtinanter navigaturus Romam verſus, ut ſibi Senatus paternum regnum deceraeret. Haec Ioſephus lib. xvii. Antiq. cap. ii. Quis autem credat, hominem re-

XXIX. *Praedicta ſententia demonſtratur.*

gnandi cupidum, ac iter maturantem, diſceſſurum fuiſſe Ieroſolymis poſt Azymorum feſtivitatem, ſi pater tranſacto Cislevo, ideſt, ſex antea menſibus obiiſſet. Tandem cum Sabinus Syriae praeſes audiſſet Herodis mortem, & in Syria moraretur, in Iudaeam aſcendit, *ad pecunias Herodis cuſtodiendas*, atque ea de cauſa Ieroſolymam proficiſcens obviam venit Archelao, ſimulque occurrerunt, diebus Azymorum nuper tranſactis, Caeſareae, urbis Palaeſtinae, quae & dicitur Turris Stratonis, & Apollonia. Atque haec item narrat citato in loco Ioſephus. Quare ex hoc quoque Sabini itinere certiores reddimur, paullo ante Feſta Paſchalia Herodem Magnum e vita migraſſe. Me itaque momenta quinque, petita ex veterum conſenſu, ex tumultu ob Aquilam auream excitato, ex diebus in Herodis funere impenſis, ex diſceſſu Archelai, atque ex occurſu Sabini Praeſidis Syriae, in eam ſententiam lubentem trahunt, quae tenet Herodem demortuum paullo ante Paſcha anni V. C. 751.

XXX. *De duplici eclipſi, quam putant nonnulli praenunciaſſe mortem Herodis.*

XXX. Neminem vero in Hiſtoria Herodiadum aliquantulum exercitatum mirari credo, cur praetermiſerim argumentum illud, depromptum ex eclipſi Lunae praenuncia mortis Herodis, cuius eclipſeos meminit lib. XVII. Antiq. cap. 8. Ioſephus. Si enim eamdem eclipſim illam fuiſſe arbitrabimur, quae in tabulis Aſtronomicis conſignatur die 13. Martii tribus horis ante Solis occaſum anno Iuliano 42. ſive V. C. 750. habebimus quidem praedefinitum menſem exceſſus Herodis, ſed retrahere illum neceſſe erit ad annum praecedentem, atque ad tempus, in quo annus regni Herodiani triceſimus ſeptimus nondum inceperat. Quamobrem Dionyſius Petavius lib. X. de Doctrina temp. cap. 66. ait eclipſim citato in loco a Ioſepho commemoratam non fuiſſe celebrem illam, quam anno Iuliano 42. exhibent accuratiores Tabulae Aſtronomorum, ſed fuiſſe dumtaxat quemdam Lunae pallorem, ac ſolis deliquium, qualis eclipſis ab eodem Hiſtorico recenſetur lib. XIV. cap. 21. Antiq. Iudaicarum. Hinc Antonius Pagius App. num. 142. animadvertens tempore illius eclipſis, quod ego praemonui, annum 37. regni Herodis non fuiſſe inchoatum, ſcite concludit, ex illa tempus mortis, de qua diſſerimus, nequaquam detegi. Nec ſubſcribendum eſt, mea quidem ſententia, iis, qui putant eclipſim, quae Herodis interitum praenuntiavit, eam fuiſſe, quae in Aſtronomicis tabulis conſignatur eodem anno Iuliano 42. & V. C. 750. die 5. Septembris; adeo, ut ab hac die Herodes decumbens languidam vitam protraxerit uſque ad diem 25. Novembris, in qua deceſſiſſe Herodem opinantur recentiorum permulti: non, inquam, iis ſubſcribendum; propterea quod ſicuti prima eclipſis longe abfuit ab anno 37. regni Herodis, ita altera Feſtivitatem Azymorum ſex ac fere ſeptem menſium intervallo praeceſſit.

XXXI. *Fundamentum eorum, qui putant deceſſiſſe Herodem die 25. Novembris.*

XXXI. Quare adligantes Herodis obitum praedictae diei 25. Novembris concurrenti cum ſeptima menſis *Casleu*, non ad eclipſim conſu-

fugiunt, ſed ad libellum quemdam Iudaeorum, qui inſcribitur *Sepher Thabanith*, ideſt, *Volumen Ieiunii*. Hic Vſſerio ad pervertendam Epocham Herodianam, hic Scheleſtratio, hic Graveſonio, hic aliis compluribus prora, ac puppis. Nollus autem pro hoc volumine vindicando pugnavit actius Emmanuele a Scheleſtrate: qui Diſſert. 1. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 1. contendit eſſe antiquiſſimum. Ait prodiiſſe in lucem Amſtelodami an. 1659. cum illuſtrium Rabbinorum commentariis: inquit teſtari *Abraham Hallevi*, hoc opus fuiſſe exaratum a ſociis *Rabbi Eliezer Ben Chaninà*: addit virum hunc ex auctore Bibliothecae Rabbinicae floruiſſe perſiſtente adhuc aede ſecunda; concludit ab Vſſerio non fuiſſe reiectum inter fabulas Iudaeorum; quumque eo in volumine legatur: בשבעה ביה יום טוב יום שמת הרודוס, *ſeptima die huius, dies feſtiva, in qua mors Herodis*, recte ſeptima die Menſis *Chisleu* figitur Herodis obitus.

XXXII. At ego, pace dixerim doctiſſimorum virorum, numquam audivi ratiocinationem, ut modeſte loquar, infirmiorem. Ergone ob unius Rabbini figmenta, fidem Hiſtoricis omnibus derogabimus, aſſertumque unius *Abrahami Hallevi*, quem neſcimus quisnam fuerit ex grege circumciſorum, momenta hiſtorica ſuperius producta nullius roboris exiſtimabimus? dicam abſque ulla temeritate, auctor *Sepher Thabanith* mentitur, *Abrahami Hallevi* mentitur, & R. quoque *Eliezer Ben Chaninà*, ſi tamen eſt auctor praedicti voluminis, mentitur. Conſulite Hebraeos omnes, eosque interrogate, cur ieiunent in menſe *Caslen*, ac reſpondebunt ieiunare ſe ob combuſtum a Ieoiackimo Volumen Legis: ac ſervari hac de cauſa ieiunium illud, nec ſervari ieiunium aliud die ſeptimo ob mortem Herodis, liquet ex Hebraeorum Calendariis, quae legi poſſunt tom. 2. Biblioth. Rabbinicae, quem accuratius pervolutare debebat Emmanuel a Scheleſtrate; ideoque fidenter pronuntio, libro *Thabanith* praeferendam eſſe Ioſephi Chronologiam, eumdemque librum nihili eſſe faciendum: quod non tantum aſſeruit in App. ad an. Iul. 43. Samuel Baſnage, ſed etiam in Conatu Chronolog. Daniel Papebrochius.

XXXII. *Qualis auctoritatis cenſendum ſit praedictum Ieiunii volumen.*

XXXIII. Haec itaque eſt Epocha Herodiana. Cum Herodi commiſſa fuerit Galilaea dum exegiſſet annum aetatis ſuae vigeſimum quintum an. V. C. 707., evidens eſt natum fuiſſe anno Vrb. 682. & ſeptuageſimo ſecundo ante Aeram Vulgarem. Renuntiatus autem fuit Rex a Senatu Romano, an. Vrb. 714. dum annum aetatis ageret triceſimum ſecundum, ideſt, anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo; regnare coepit a morte Antigoni anno V. C. 717. cum expleſſet aetatis annum triceſimum quintum, ideſt, anno ante Aeram Dionyſianam triceſimo ſeptimo; regnavit poſtquam conſtitutus fuit Rex a Senatu annis 34. & poſtquam Ieruſalem debellavit, annis 37. Obiit tandem an. V. C. 751. ſive anno tertio ante Aeram Vulgarem, cum expleviſſet annum aetatis ſexageſimum nonum, & inchoaſſet ſeptuageſimum: quae omnia arbitror me hactenus evidentiſſime commonſtraſſe. Atque haec de Epocha Herodiana.

XXXIII. *Eorum, quae dicta ſunt, ſynopſis.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE EPOCHIS HERODIADVM.

I. *Statuitur initium Regni Archelai.*

I. QVAMQVAM Herodis filii fuerint Caesare Augusto aliquantulum tempore posteriores, eorum tamen Epochae videntur hoc loco exponendae, propterea quod definitis annorum supputationibus defuncti illorum Patris, facillime expediuntur. Inter successores autem Herodis initio connumerandus est Archelaus, quem in Iudaea post patrem regnasse testatur cap. 2. S. Matthaeus Evangelista, qui de S. Iosepho cum puero Iesu, ac beatissima Virgine, & coniuge in Aegypto moram agente haec scribit: *Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire.* Sane quomodo, & quando Archelaus regnum obtinuerit, dictum est supra. Cum enim fixum sit tempus mortis Herodis anno V. C. 751. *Coss. Lentulo ac Messalino*, ideſt, anno 43. Iuliano, ac tertio ante Aeram Dionysianam; atque Archelaus persoluto patri funere, multatisque & supplicio affectis Iudaeis, qui ob occisionem Matathiae, seditionem excitaverant, Romam venerit, auctoritate Senatus regnum consecuturus; evidens est initia principatus Archelai figenda esse ante exitum anni Vrb. 751. quo anno illius Pater decessit. Ex Iosepho autem lib. xvii. Antiq. cap. 12. accepimus, quod licet legatio Iudaeorum quinquaginta, qui Ierosolymis Romam venerant, & una Hebraeorum omnium in Vrbe degentium, plusquam octo millia, apud Caesarem Augustum instarent, ut patriis legibus uti permitterentur; Herodemque accusarent, quod fraudibus ac violentia usus fuerit in gentis perniciem, necnon ipsi Archelao obiicerent, quod nondum principatum adeptus in templo tria millia civium mactasset, Augustus tamen Herodis testamentum ratum habuit, & Archelao paternae ditionis medietatem concessit.

II. *De Testamento Herodis, quod confirmatum fuit ab Augusto.*

II. Memoria hic repetendum est, Herodem testamenta duo condidisse; ac prioribus, ut inquiunt, tabulis heredem constituisse Herodem Antipam; postea vero mutata sententia regnum legasse Archelao, atque Antipam tetrarcham Galilaeae, Philippum regionis Trachonitidis,

die, filiamque Salomem reliquiſſe dominam Iamniae, Azoti, & Phaſelidae. Ita ſcribit Ioſephus lib. xvii. Antiq. cap. 9. Hic adnotatum velim, Lyſaniam Abilinae tetrarcham, cuius cap. 3. meminit S. Lucas Evangeliſta, non fuiſſe filium Herodis, neque ex huius teſtamento tetrarchiam obtinuiſſe; ſed fuiſſe ex poſteritate illius Lyſaniae, qui Antonio per Orientem imperante aleptus fuit Dynaſtiam Abilenam, ita appellatam ab urbe Abila in Caeleſyria, ac ſpectantem ad tetrarchiam illam Zenodori, de qua dixi nonnulla pertractans adverſus Harduinum de amplitudine regni Herodis. Auguſtus itaque (ut illuc revertatur, unde digreſſa eſt diſſertatio) approbans firmansque Herodis teſtamentum, non tetrarcham, ut Philippum & Antipam, ſed regem declaravit conſtituitque Archelaum, eique regendam commiſit Iudaeam, Idumaeam, ac Samariam. Atque haec eſt cauſa, ob quam S. Matthaeus Evangeliſta ſcripſerit, Archelaum regnaſſe in Iudaea *pro Herode patre ſuo*.

III. *Definitur annus, quo Archelaus regno privatus eſt, & relegatus in Galliam.*

III. At, quot annis regnavit Archelaus? quo anno pulſus eſt in exilium? Dico regnaſſe per annos novem, atque e principatu fuiſſe expulſum anno V. C. 760. vertente regni ſui anno decimo: qui annus concurrit cum ſeptimo Aerae Dionyſianae. Non eget haec Epoca alia confirmatione. Nam primo, ut dixi pertractans de anno Herodis emortuali, Ioſephus lib. II. de Bello Iud. inquit relegatum fuiſſe Archelaum *anno regni ſui nono*, & lib. xvii. Antiq. ait relegatum *anno decimo*, non ſibi contradicens, ut clamant quaerentes nodum in ſcirpo, ſed annum unum exactum demonſtrans, & alterum inchoatum. Intercipiuntur vero novem anni inter an. V. C. 751. quo deceſſit Herodes, & annum 760. quo Archelaum in exilium pulſum fuiſſe affirmamus. Deinde Archelao Romae damnato *miſſus eſt in Syriam, ut cenſum ageret Quirinius vir conſularis*; ac cenſus iſte peractus eſt *anno* 37. *poſt pugnam Actiacam*, Ioſepho lib. xviii. Antiquit. cap. 3., qui annus 37. a Pugna Actiaca concurrit cum anno V. C. 760. cum Pugna Actiaca contigerit anno Vrb. 723. Extra controverſiam itaque poſitum eſſe debet, Archelaum, praedicto anno 760. ac ſeptimo Aerae Chriſtianae, redactis facultatibus eius in fiſcum, Viennam in Galliis relegatum fuiſſe.

IV. *Quae obiiciantur adverſus Epocham praecedentem.*

IV. Me non latet, Cl. Annalium Eccl. parentem Caeſarem S. R. E. Cardinalem Baronium, cum alligaverit exilium Archelai anno Aerae Vulgaris decimo quarto, quo Conſulatum duo Sexti geſſerunt, aſſerere Ioſephum erraſſe, & Dioni etiam impoſuiſſe, propterea quod Dio a Ioſepho res Iudaeorum, ut creditur, fuerit mutuatus. Compertum inſuper habeo, Dionem Caſſium Hiſtoricum nobiliſſimum ac celeberrimum conſignaſſe Archelai proſcriptionem in Conſulatu Lepidi, & Arruntii, ideſt, an. V. C. 759. & Aerae Dionyſianae anno ſexto; ad ipſum quippe Conſulatum haec ſcribit: *Herodes Palaeſtinus a fratribus accuſatus, trans Alpes relegatus eſt, ac pars eius ditionis in publicum redacta*; ac ſcio quoque, Ioannem Harduinum in Proluſione ad Chronologiam ex Nummis antiquis reſtitutam, ubi diſſerit de nummis

mis Herodiadum, contendere Archelaum e vivis exceſſiſſe anno Chriſti octavo, cum ageret annum regni ſui ſextum, non decimum, ut placuit Ioſepho. Argumenta vero Harduini, quum peculiaria ſint, non videntur ſilentio praetermittenda. Inquit priori loco, Chriſtum ante annum aetatis ſuae duodecimum frequentaſſe Templum, quod ſaltem ante annos quatuor feciſſe credendus eſt; ideoque annis ſingulis ab anno octavo ad ſacram aedem ſe conferebat, quod utique agere noluiſſet Archelao, quem fugerat, adhuc vivente. Addit ſervari in ſuo, aliisque Muſeis numiſma aeris minimi anno Chriſti 8. aut ſequenti in Iudaea cuſum, cum nota numerali anni xxxix. cum inſcriptione KAICAPOC, atque cum *ſpica* ſignificante agrorum fertilitatem: perſpicuum eſſe autem ex nota numerali, quae eſt Imperii Caeſ. Auguſti in Aſia, nummum procuſum decurrente anno Chriſti octavo, aut ineunte anno proximo, ex *Caeſaris* inſcriptione apparere, eo temporis non Archelaum, ſed Auguſtum in Iudaea imperaſſe; ac demum e *ſpica*, ſymbolo ferrilitatis agri Iudaici, aperte dignoſci nummum in Iudaea fuiſſe procuſum.

V. *Praedicta obiecta ſolvuntur.*

V. Facile, atque, ut aiunt, iniectis vix unguibus, nodos iſtos reſolvam. Nam quantum ad Baronium attinet, ſummi viri labores, doctrinam, eruditionem, egregiasque virtutes commendo tantummodo, veneror etiam, & miror: ſed abſque piaculo fas mihi erit in temporum Chronologia, ea praeſertim, quae ſpectat ad annos Chriſti, & ad regnum Herodianum, a Baronio ipſo diſcedere, ac veſtigia ſectari Noriſii, ac Pagii, aliorumque recentiorum, maxime ubi iſtorum momenta invicta ſunt, communique plauſu recepta. De Dione autem dixi pertractans de ſecunda Epocha Herodiana, dum agitur de rebus Iudaicis, Ioſepho, Iudaeo, & antiquiori potius, quam ipſi Dioni adhaerendum eſſe. Sed quod pertinet ad Archelaum, ex eadem Epocha Herodis, ſive expugnationis Ieroſolymorum, colligimus cur Dio ſtatuerit relegationem Archelai anno V. C. 759. quae erat conſignanda anno proximo 760. Vno ſiquidem anno anticipans Dio initia regni Herodis Magni, debuit uno item anno anticipare illius mortem, atque uno pariter anno anticipare relegationem Archelai, aut Herodis, & Archelai, aetatem minuere, vel ampliare. Cum vero idem Dio in Chronologia aperte a Ioſepho diſcedat, ipſumque Archelaum appellet *Herodem Palaeſtinum*, quod nomen, etiamſi cum Archelao coniunctum fortaſſe fuerit, ut in Archelao iuniore, neque Dio, ut imperiti quidam autumant, allucinetur, non adinvenitur tamen in libris Ioſephi; falſum quoque eſt, quod aiebat Caeſar Cardinalis Baronius, Ioſephum Dioni fucum feciſſe. Quid tandem ad argumenta Harduini? Fateor imbecillitatem ingenii mei: non enim percipio, ex quo puer Ieſus Templum adierit annum agens duodecimum, quod veriſſimum eſt, ac traditur a S. Luca in cap. 2. Evangelii, fieri conſequens, ipſum Ieſum frequentaſſe templum octennem: nec percipio, quomodo non potuerit

im-

imperante Archelao clam ad templum adſcendere in minori etiam aetate, quum ex eodem cap. 2. Lucae certum ſit illuc ſingulis annis perrexiſſe parentes eius, qui adhuc in Aegypto commorantes didicerant, revelante Angelo, defunctos eſſe, *qui quaerebant animam pueri*: nec inſuper percipio, qua ratione e *ſpica* demonſtretur nummum ab Harduino productum, in Iudaea cuſum fuiſſe, cum extet apud Patinum pag. 51. aliosque pertractantes de re nummaria, nummus Auguſti, eiusdem exiguae formae, cum eodem ſpicae ſymbolo, & cum eadem inſcriptione, KAICAPOC, quem nummum ex poſtica referente palmam, typum Alexandriae, conſtat procuſum fuiſſe in Aegypto. Verum iis, quae captum meum ſuperant, praetermiſſis, dico Harduinum, quem liquet confundere relegationem Archelai cum eius obitu, inepte demonſtrare ipſum Archelaum ſex tantum annis regnaſſe, ex quo, anno 8. aut 9. Chriſti regnaret in Iudaea Caeſar Auguſtus; cum idem Auguſtus etiam vivente Archelao in Iudaea ſupremam haberet auctoritatem, praeterquam quod male Harduinus ſtatuit mortem Herodis anno tertio Aerae Dionyſianae, & V. C. 756. ac male in eumdem annum retecit initia regni Archelai, quae duo alligande anno Vrb. 751. praemiſſis exercitationibus demonſtravi. Quae cum ita ſint, haec erit Archelai Epocha hactenus commonſtrata. Archelaus principatum obtinuit anno V. C. 751. imperavit autem annis novem, ac decimum annum regni ſui non abſolvit, atque privatus eſt regno, pulſusque in exilium anno V. C. 760. ſeptimo Chriſtianae Aerae, annoque Iuliano 52. Conſulatum gerentibus Licinio Nerva Silaoo, & Q. Caecilio Metello.

VI. Dixi de Archelao; nunc autem de Herode Antipa dicere inſtituo. Quod priuſquam faciam, praemitto cum Dionyſio Petavio lib. xi. de Doct. temp. cap. 11. ex poſteris Herodis Aſcalonitae in Scriptura commemorari *Archelaum*, *Herodem Antipam*, *Philippum*, *Herodem*, *Agrippam*, *Herodiadem*, *eiusque filiam*; quamvis Herodes ex pluribus uxoribus, quas novem, imo decem habuit, alios filios ſuſceperit, ſcilicet, ex Marianne Hyrcani nepte Alexandrum & Ariſtobulum; quos pater calumniis Antipatri impulſus necari iuſſit Sebaſte Samariae urbe, nunc diruta: ex Marianne altera, filia Simonis Pontificis, Herodem, ſeu Philippum, virum Herodiadis: ex Marthaca Samaritana Archelaum, & Philippum illum, qui Germano fratri (ipſi nempe Archelao) contra Antipam adfuit, uxoremque duxit Salomen filiam Herodiadis, ideſt, ſaltatricem illam, cuius cauſa amputatum fuit caput S. Ioannis Baptiſtae; atque, ut mittam filios alios Herodis Aſcalonitae ad Evangelicam Hiſtoriam minime pertinentes, genuit ille ex Cleopatra Heroſolymitana Herodem Antipam, qui Philippo fratri ſuo rapuit uxorem Herodiadem, matrem, ut nuper dixi, Salomis. De Herodiade autem non una eſt Hiſtoricorum ſententia: nam Ioſephus lib. xviii. Antiq. cap. 7. ait ipſam Herodiadem fuiſſe filiam Ariſtobuli, ac ſororem Agrippae, traditamque nuptui Herodi, ſeu Philippo, filio Herodis Magni

VI. *Herodis familia deſcribitur.*

ex Marianne filia Simonis Pontificis, a viro autem ſuo poſt ſuſceptam filiam Salomen diſcedendo, inceſta connubia cum Herode Antipa patruo ſuo, filioque Cleopatrae copulaſſe. At Rufinus *in Verſione Euſebiana* lib. 1. cap. 13. atque ex Rufino Hieronymus in Matthaeum, ex Hieronymo Venerabilis Beda, aliique interpretes, Herodiadem dixerunt filiam Aretae regis Arabum: quod proculdubio ex falſa Rufini interpretatione ortum eſt; quum Ioſephus, quem Euſebius exſcripſerat, Aretae filiam, non Herodiadem, ſed uxorem, cum qua Herodes Antipas ante inceſtas nuptias convixit, apertiſſime nuncupaverit. Herodias itaque patrem habuit Ariſtobulum, fratremque Agrippam Seniorem, necnon Herodem alterum Regem Chalcidis, quem contra auctoritatem Ioſephi lib. XIX Antiq. cap. 7. ac lib. XX. cap. 3. abſurde Calvinus in *Harmonia* ait fuiſſe Herodiadis maritum. Agrippam hunc fuiſſe Herodem illum, qui occidit Iacobum, & Petrum Apoſtolorum principem coniecit in carcerem, conſentiunt omnes. Huic Agrippae filii fuerunt Agrippa iunior, Berenice, ac Druſilla. Agrippa, qui Paulum cauſam orantem audiit cum Feſto praefecto, ac ſorore ſua Berenice, ut leginus in Act. Apoſtol. cap. 25. primum regni Chalcidis, quod patruus eius Herodes tenuerat, poſtea vero paternae etiam ditionis potitus fuit: Berenices ſuſpecta inceſtuoſae cum fratre conſuetudinis, quam propterea Strabo *uxorem Agrippae fratris* putavit, eſt pulcherrima illa mulier, cum qua Titus *omnia* (inquit Dio), *ac ſi coniux eſſet, gerebat*; ac Druſilla eſt mulier altera, quae relicto marito Emeſenorum rege nupſit Felici Iudaeae procuratori, eique peperit Agrippam, qui Veſuviano incendio miſerrime periit. Haec de Herodis Magni Filiis ac Nepotibus; ne, dum unum, aliumve Herodem nominabo, imperitum aliquem decipiat vocabulorum ſimilitudo. Age modo, & poſteaquam Archelai ſtatuimus aetatem, idem de Herode Antipa facere adgrediamur.

VII. *Principatus Antipae, eiuſque initia, & extenſio.*

VII. Ex quo, ut non ſemel in praecedentibus diſquiſitionibus dictum eſt, an. Iuliano 43. V. C. 751. ac tertio ante Aeram Dionyſianam, ſublato e vivis Herode Aſcalonita, regnum ab Auguſto filiis eiusdem Herodis fuerit diſtributum, manifeſte conſequitur Herodi Antipae, quem ita appellatum puto, quod *vice patris*, prioribus, ac poſtea reſciſſis tabulis, conſtitutus foret Rex Iudaeorum, eodem anno commiſſam fuiſſe Galilaeae tetrarchiam. Galilaeam vero fines habuiſſe a Septentrione Phoeniciam, Samariam, montemque Carmeli ad Meridiem, ad Occidentalem plagam Mare magnum, atque ex parte Orientis Iordanem flumen ſacrum ac celeberrimum, tradunt ſacrae Geographiae peritiſſimi; fuitque ſuperior regionis illius pars, ac Septentrionem verſus, *Galilaea Gentium*; inferior autem pars Tribus Zabulon, in qua Civitas Nazareth, a Hieronymo *Flos Galilaeae* nuncupata, atque Domini noſtri, qui *Nazarenus* idcirco dicitur, incarnatione & incolatu percelebris. In eam quippe urbem, Sanctae

Ma-

Meriae Virginis natale ſolum, conculiſſe ſe reducem ex Aegypto Sacram Familiam teſtatur Evangeliſta Matthaeus; quod factum monente Angelo, dum piiſſimus Ioſeph timeret ad Archelai ditionem divertere: unde coniectant permulti Antipam fuiſſe mitiori indole praeditum; nec adeo caedibus inhiantem ac truculentum; nullusque dubito, quin Sancto Ioſeph admodum timeſcenti obverſaretur animo immanis crudelitas, qua Archelaus nondum principatum adeptus concives maſtaverat, ut dixi, illius Epocham paullo ſupra definiens.

VIII. Ceterum obſcurarunt mite illud Antipae ingenium raptus Herodiadis, horrendaque mors illata ob inceſtuoſam feminam Ioanni Baptiſtae Domini praecurſori. Hunc decollatum tradit Ioſephus lib. XVIII. Antiq. cap. 7. quod *viro ſanctiſſimo Iudaeos excitante ad virtutum ſtudia, & imprimis pietatis & iuſtitiae, ſimulque ad poenitentiae lavacrum, ac magna ad illum confluente multitudine, Herodes populi ſeditionem timeret;* ſed minima haec fuit tanti ſceleris cauſa: nam ex Marco Evangeliſta cap. 6. accepimus perpetratum hoc ſcelus in ſolemnitate convivii, quod die natalis ſui recurrente Herodes exhibuit Galilaeae optimatibus ac tribunis: qua occaſione puella Salome filia Herodiadis ac Philippi, eiusdemque Herodis Antipae neptis, cum ſaltans patrui in ſe traxiſſet admirationem, atque ampliſſima promiſſa excepiſſet regio etiam iureiurando firmata, petiit in diſco caput Ioannis, hortante impiiſſima matre, quae ſanctiſſimo Viro illius adulteria exprobranti moliebatur exitium, atque ipſo Herode ob Praecurſoris perſpectiſſima merita, ob anteactum iuramentum, ob convivarum praeſentiam, ob criminis atrocitatem haud mediocriter perturbato. Verum haec tetigiſſe ſat erit. Enimvero ad temporum rationem magis, quam rerum narratio, annorum pertinet perquiſitio. Sententia autem eſt mea, quam poſtmodum momentis pluribus confirmabo, in praeſentia vero certam ſuppono, Ioannem Baptiſtam inchoaſſe praedicationem ſuam anno quintodecimo Imperii Proconſularis Tiberii Caeſaris, V. C. 779. Conſulatum gerentibus *Getulico ac Sabino*, Aerae Dionyſianae 26. aetatis autem Chriſti triceſimo; ac Dominum Ieſum crucifixum fuiſſe anno Imperii Proconſularis Tiberii XVIII. V. C. 782. Coſs. *duobus Geminis*, anno Aerae Dionyſianae 29. atque verae aetatis Chriſti triceſimo tertio. Cum igitur Ioannes Baptiſta ab Herode capite truncatus fuerit ante Domini crucifixionem, praedicaverit autem baptiſmum poenitentiae, uno ſaltim anno, & aliquantulum ante mortem vinculis fuerit conſtrictus, ut evidentiſſime infertur ex cap. 6. Marci, 3. Lucae, & Matthaei 11. ac 1. Ioannis: haud obſcure colligitur, iuſſu Herodis caput Praecurſori fuiſſe amputatum anno ante Paſſionem Domini, adeſt V. C. 781. Aerae Vulgaris 28. aetatis Chriſti 32. Coſs. *Silano ac Nerva*, atque eiusdem impiiſſimi Herodis, & Philippi ab indepta tetrarchia anno triceſimo primo. Quae cum ita ſint, celebris Victoriana Periodus, quam

VIII. *Herodis Antipae ſcelera, ac tempus decollationis S. Ioannis Baptiſtae.*

ab hoc anno ſubducendam eſſe demonſtrant Bucherius, Pagius, aliique viri doctiſſimi, illuſtriora a me aſſequetur inita, quam nacta fuerit ab annis Tiberii Caeſaris, vel a nominibus Conſulum Romanorum, & inchoaſſe dicetur a martyrio S. Ioannis Baptiſtae.

IX. *De Herodis Antipae exilio, ac fine principatus.*

IX. Poſt huius occiſionem iniquiſſimus Antipas tenuit tetrarchiam Galilaeae uſque ad annum Aerae Chriſtianae trigeſimum nonum, ac tertium Imperii Caligulae, quo Conſulatum geſſere *Caius Caeſar*, ſive ipſe Caligula, & *Apronius Caeſianus*. Quare idem Herodes Antipas is eſt, qui ſcelera ſceleribus accumulans, etiam Salvatori noſtro ſacrilege inluſit, dum ad Pilatum remiſit ludibrii cauſa indutum candida veſte, quam graecus Lucae codex appellat λαμπρὰν, ideſt, *fulgentem*, ac privato cultu ſplendidiorem, ſtultum illum declarans, quaſi affectaret Iudaeorum imperium. At recte Venuſinus Poeta Lib. III. Od. 2.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede poena claudo.

Caius Caligula ad imperium evectus Herodem Antipam bello fractum, devictumque ab Areta rege Arabum, cuius filiam ob Herodiadem repudiaverat, (quam cladem, in qua ad internecionem conciſus fuit totus Antipae exercitus, inflictam illi ob caedem Ioannis Baptiſtae, ut inquit Ioſephus lib. XVIII. cap. 7. *communis fuit Iudaeorum opinio*) ac Romam deinde profectum eum ipſa Herodiade, ut Caium adverſus Agrippam filium Ariſtobuli, fratremque Herodiadis, concitaret, aut ſaltem regium titulum, qualem Agrippa obtinuerat, conſequeretur, Imperator tetrarchia exſpoliavit, multatumque pecuniis Lugdunum primum in Galliam, deinde in Hiſpaniam una cum inceſtuoſa muliere relegavit. Ioſephus enim lib. XVIII. Antiq. cap. 9. ſcribit Herodem exilio damnatum accepiſſe *ὀικητήριον Λούγδουνον πόλιν τῆς Γαλλίας*, ac II. lib. de Bello Iud. cap. 16. mortuum ait in Hiſpania, quamvis Euſebius lib. II. Hiſt. Eccl. cap. 10. affirmet Herodem relegatum *Viennam Galliae urbem*: quod Henricus Valeſius credidit *peccatum memoriae*; ego vero natum puto ex relegatione, exilioque Archelai. Nequit exilium iſtud Herodis Antipae citius, aut ſerius conſignari anno Chriſtianae Aerae 39. aut ineunte ſequenti, cum anno tantum 38. Caligula, occiſo Macrone Praefecto Praetorii, fecerit Agrippae poteſtatem patriam reperendi, eumque regio nomine cohoneſtaverit: invidia autem aliis criminibus coniuncta Herodem Antipam poſt Agrippae reditum primo Romam, deinde in exilium aſportaverit. Quare XLIII. illi anni Herodis Antipae, quos exhibet nummus Rigordianus, de quo ſupra, inchoati tantum fuere, ut docti viri obſervarunt. Atque ex dictis, Epocha Herodis Antipae undique definitur. Nam anno tertio ante Aeram Vulgarem indeptus eſt Galilaeae tetrarchiam: anno vigeſimo octavo eiusdem Aerae decollari iuſſit S. Ioannem Baptiſtam; anno vigeſimo nono Salvatorem Mundi ſacrilege irriſit, atque anno nono ac tri-

tricesimo tetrarchia exspoliatus, & relegatus fuit a Caligula. Hactenus de Herode Antipa.

X. Posteaquam disserui de Herodis Antipae principatu; de Philippo, cui demandatam ab Augusto Iudaeae tetrarchiam ait S. Lucas Evangelista, video instituendum esse sermonem. Affirmavi autem describens supra Herodis Ascalonitae genealogiam, hunc Philippum fuisse genitum a Marianne filia Simonis Pontificis, ac fratrem ex parte dumtaxat patris, Herodis Antipae, qui matrem habuit Cleopatram. Verum coniiciens postmodum oculos in Historicos alios, ab iis, quos legeram, discrepantes, offendi haud levem difficultatem nunc, ut confido, breviter expediendam. Clarissimus Petavius lib. xi. de Doctr. Temp. cap. 10. adversus *Temporarium* stilum acuit, affirmatque hunc contra fidem Iosephi prodidisse, Herodem Antipam fuisse ex Cleopatra susceptum, Philippum vero e Marthaca, seu ut alii vocant, Maltace Samaritana; cum Iosephus scribat Philippum fuisse filium Cleopatrae; adeoque miratur Petavius Temporarium, scriptorem alioqui accuratum, filium a Cleopatra genitum Marthacae suppositisse. At Ludovicus *Balleſter* in Opere, quod *Onomato-graphiam* inscripsit, Herodem Tetrarcham germanum Philippi fratrem, & utrumque Cleopatrae filium, tanquam e tripode, definite pronuntiat. Samuel vero Basnagius ad Annum Christi 29. num. 3. censet, Iosephum inter, & Evangelistam magnam esse discrepantiam, neque spem ullam esse concordiae; quum Evangelista tradat, Herodiadem nupsisse Philippo, qui teste Iosepho lib. i. de Bello Iud. cap. 18. genitrice Cleopatra natus erat, ac Iosephus ipse affirmet Herodiadem iunctam fuisse matrimonio Herodi, fratri quidem alterius Herodis, sed qui matre alia genitus fuerat, Simonis videlicet Pontificis filia: atque, quod me potissimum urget, nulla istarum opinionum cum genealogia Herodiadum, quam superius statui, cohaeret, in qua Philippum Tetrarcham filium Mariannis, Antipam filium Cleopatrae constitui.

X. *De Philippo Tetrarcha variae quorumdam opiniones.*

XI. At primo, si revera opiniones istae nequeunt revocari ad concordiam, cur nobis fas non erit illam amplecti, quae non e cerebello nostro nuper erupit, sed post maturam discussionem ab Antonio *Vitrè*, aliisque recentioribus praefertur, & comprobatur? Deinde, quidquid obganniat Basnagius, non verisimile est tantum, sed plane certum, Herodis nomen posterorum pluribus fuisse commune. Nam praeter Sethum Calvisium, scriptorem in his, quae ad Chronologiam spectant, non contemnendae prorsus auctoritatis, id sensit etiam Antonius Pagius ad Annum Christi decimum quartum. Quod ego item affirmo duplici innixus rationi; quarum prima petitur ex Archelao, quem dictum quoque *Herodem* constat ex Dione Lib. 55. altera depromitur ex Agrippa Aristobuli filio, quem & *Herodem* appellatum novimus ex cap. Act. Apostolicorum 22. Iure itaque; meritoque Iosephus Lib. xviii. Antiquit. cap. 7.

XI. *Sententia nostra, de qua num. vi. corroboratur.*

Phi-

Philippum Tetrarcham, cuius uxor Herodias filia Ariſtobuli, ac ſoror Agrippae, appellavit Herodem ſcribens: *Herodes Tetrarcha* (ideſt Antipas) *uxorem habebat Aretae filiam, cum qua iam multo tempore convixerat. Romam deinde iter faciens divertit ad Herodem fratrem, ſed genitrice natum alia, Simonis Pontificis filia, huius uxoris Herodiadis captus amore, quae erat Ariſtobuli communis fratris filia, & Agrippae maioris ſoror:* quae verba poſſunt & rationem tertiam omnibus Ioſepho non infenſis ſuppeditare. Suppoſita autem hac nominum pluralitate, dico Philippum Tetrarcham maritum Herodiadis, fuiſſe appellatum etiam Herodem, ut Aſcolonita eius pater, ut Archelaus, & Antipas eius fratres, ut nepos eius Agrippa, ac praeterea dico duos diſtinguendos eſſe Philippos, unum Tetrarcham natum ex Marianne, alium germanum fratrem Archelai genitum Maltace Samaritana, & utrumque eſſe fratrem Herodis Antipae, quem Herodi procreavit Cleopatra. Ita collineant, cohaerentque omnia. In hac enim genealogia adinvenimus Herodiadem nuptam Herodi filio Mariannis, ut inquit Ioſephus lib. 1. de Bello Iud. cap. 18. adinvenimus hunc Herodem eſſe Philippum Tetrarcham, ut inquit cap. 3. S. Lucas Evangeliſta: adinvenimus Herodem, cui Antipas uxorem rapuit, fuiſſe raptoris fratrem., *ſed genitrice natum alia*, ut narrat Hiſtoricus lib. xviii. Antiq. cap. 7. adinvenimus denique Philippum, cui nupſit Herodias, non eſſe Philippum, qui in uxorem duxit Salomen, ſed unum, ſaltatricis huius patrem, maritum alium. Quamobrem nec temere, nec male illam ſelegi genealogiam, quae Hiſtoricos cum Evangeliſta conciliat, neque tot, tantisque implicatur ambagibus. Sed legite, quaeſo, Stemma Herodiadum ad ſacra Biblia poſteriorum editionum appoſitum.

XII. *Deſcribitur Philippi Tetrarchia.*

XII. Ad Philippi Tetrarchiam nunc redeundum. Hanc ſimplici vocabulo exprimit S. Lucas Evangeliſta, Philippum *Iudaeae & Trachonitidis tetrarcham* appellans: at liquet ex lib. xvii. Antiq. cap. 15. alias 12. obtigiſſe eidem Philippo Batanaeam quoque, Auranitidem, vicinosque agros nonnullos, ita ut inde perciperet annuum fructum talentorum centum, proventum reditumque duplo minorem, ac percepiſſet Herodes Antipas ex Tetrarchia Galilaeae. Talentum, ut aiunt qui de re nummaria pertractant, eſt nummus imaginarius continens drachmarum ſive denariorum ſex millia, ideſt, coronatos ſexcentos eiusdem ponderis ac ſint argentei, qui modo in Etruria cuduntur, vultu Auguſtiſſimi Caeſaris FRANCISCI III. inſignitos. Vniverſam autem Philippi ditionem ita ſacrae Geographiae deſcriptores definiunt: Batanaea, ſive, ut Lucas loquitur, *Ituraea* complectitur partem illam Iudaeae trans Iordanem inter Samariam & Arabiam, cuius incolae cum Tribubus Gad & Ruben fuerunt permiſtae: Trachonitis continet Tribus Manaſſe dimidium, immo ſi Strabonem audiamus, ab Ituraea non ſecernitur; Auranitis vero Palaeſtinae partem occupat apud lacum Tiberiadis. Iis finibus circumſcripta Philippi Tetrarchia,

quam,

quam, cum ipſe indeptus ſit, anno, quo deceſſit Herodes Aſcalonita, huiusque regnum fuerit inter filios diviſum, idque contigiſſe anno 43. Iuliano, & V. C. 751. in dilucidatione praecedentium Epocharum demonſtraverim, ſi vellem rurſus eiusdem tetrarchiae inveſtigare principia, actum agerem, eamdemque incudem perperam tunderem.

XIII. Gerente principatum Philippo, nil contigit ad ſacram Hiſtoriam peculiari ratione pertinens, & cum rebus ab illo geſtis coniunctum, ſi excipias iniuriam & dedecus ipſi ab uxore flagitioſiſſima inlatum. Divertiſſe hanc ad Herodem Antipam anno Chriſtianae Aerae viceſimo nono, Imperiique Auguſtalis Tiberii decimo quinto, ſive decimo ſexto, tradunt qui eo ipſo anno initia praedicationis Ioannis Baptiſtae conſignant, & qui Paſſionem Domini locant in anno Vulgaris Aerae 33. in qua profecto ſententia ſunt auctores quamplurimi tam ii ſcilicet, qui ſequuntur Cardinalis Baronii Chronologiam, quam ii qui amplectuntur Vſſerianam. Sed quoniam nos aliis ſubſcribimus, Dominicam Paſſionem ſtatuentibus non anno Comm. Aerae 33. ſed anno 29. & initium praedicationis Ioannis retrahendum putamus ad annum 26. hoc itidem, aut praecedenti, arbitramur nefarium turpiſſimumque crimen fuiſſe patratum. Et revera circa haec tempora Herodes Antipas Romam pergens ad Philippum fratrem divertit, captusque amore Herodiadis cum illa convenit, ut Roma rediens mulier viro relicto in Antipae domicilium migraret, quod executioni mandatum eſt eo pacto, quo lib. XVIII. Antiq. cap. 7. narrat Hiſtoricus. Per idem tempus Philippus Paneadem ampliſſimis aedibus exornavit, appellavitque Caeſaream Philippi, cui & nomen Laiſa, Neronis, ac Dioſpolis, ſitam ad radices Libani, & ad fontes Iordanis in finibus Coeleſyriae. Hoc Euſebius in Chronico refert ad annum Aerae Vulg. 24. in Editione Arnoldi Pontaci, in editione tamen Scaligeri ad annum proximum 25. Quae nec invicte demonſtrare poſſum, nec refutare.

XIII. *Quo anno Herodias a Philippo ad Herodem Antipam migraverit.*

XIV. Non exornandis dumtaxat urbibus Philippus impendit operam, ſed probitati & aequitati, ceteriſque virtutibus, adeo ut de ipſo haec ſcribat Ioſephus lib. XVIII. Antiq. cap. 6. *Philippus Herodis frater abiit ad plures anno Tiberii principatus vigeſimo, cum ipſe praefuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi, ac Batanaeae, vir perpetuo modeſtus, & amator quietis ac otii.* Inferunt ex hoc loco praeſtantes Chronologi, Philippum exceſſiſſe anno Chriſti 34. qui eſt viceſimus Tiberii Caeſaris, ac vigeſimus primus, a die tamen 19. Auguſti inchoandus. Hinc Pagius ad an. 37. num. 3. infert obiiſſe Herodem anno Iuliano 42. & V. C. 750. non anno Iul. 43. & V. C. 751. ut nos definivimus. Et quidem ſi anno Vrb. 750. addantur anni 37. reſultabit annus Vrb. 787. qui idem prorſus eſt ac Aerae Chriſtianae 34. Sed operae pretium eſt, ut diligenter adnotemus, quod etiam Scaliger, Baſnagius, aliique obſervarunt, in nonnullis Ioſephi Codicibus legi *viceſimo ſecundo anno Tiberii*, non autem, *viceſimo*, ac revera

XIV. *De Philippi probitate, ac de anno, quo ipſe deceſſit.*

ita

ita legendum esse invictissima argumentatione demonstrari. Vt enim ait eo loci Iosephus, obiit Philippus, quando Vitellius in Syriam missus eam provinciam administrabat. Vitellius autem in Syriam missus est, ut asserunt Tacitus, ac Suetonius anno V. C. 788. *Cestio Gallo*, ac *Servilio Noniano Cos.* ideoque anno Christi 35. in quo inchoatus est die Augusti 19. annus 22. imperii Tiberii Caesaris. Itaque eodem anno 35. Aerae Christianae, atque in eo temporis intervallo, quod a XIV. Calendas Septembris usque ad finem eiusdem anni protenditur, obiit Philippus: Atque ita Chronologia, quam sequimur, valide confirmatur. Etenim decessit Philippus anno V. C. 788. postquam regnasset annos 37. Hi 37. anni ab anno V. C. 788. detrahantur, eritque annus V. C. 751. in quo statuimus obitum Herodis Ascalonitae, & initia principatus filiorum eius, Archelai, Herodis Antipae, & Philippi. En eorum, quae diximus, anacephalaeosis: Philippus adeptus est Tetrarchiam Trachonitidis ac Ituraeae anno V. C. 751. tertio ante Aeram Christianam; passus est probrosum coniugis incestum ab anno V. C. 779. Aerae Christianae 26. sive 19. suae Tetrarchiae; excessitque e vivis anno V. C. 788. Aerae Vulgaris 35. suique Principatus 37. Atque haec de Philippo Tetrarcha.

XV. *Agrippa num idem, ac Antipas. Harduini commentatio.*

XV. Agrippam Seniorem, ad quem, postquam egimus de Philippo Tetrarcha, convertenda est dissertatio, fuisse unum eumdemque hominem cum Herode Antipa, fratremque Philippi, eosque nec Iudaeos fuisse, nec Proselytos, sed Gentiles, cultoresque Idolorum, nova atque inaudita animositate constanter affirmat in Prolusione ad Chronologiam ex nummis antiquis restitutam, sive in Diatriba de nummis Herodiadum, vir doctus atque eruditus, sed fabularum commentator, temporumque subversor, Gallus Iesuita Harduinus. Recte de hoc homine ludos ludente usurpat ironice Norisius *in Paraeneſi* phrasim Plautinam ex Truculento,

Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.

Sed nolumus quemquam causa non spectata damnari. Quaenam Harduinum movere, ut nepotem patruumque in unum eumdemque Herodem confunderet? Ingenti, inquit, ditionis accessione Herodes tetrarcha *Rex magnus* evasit; uti appellatur in antiquo numismate etiam Agrippa, quem iuniorem quidam vocant, dictus quoque ob Claudii amicitiam *Philoclaudius*. At licet Herodes iste Rex fuerit, dici tamen nequit Rex Iudaeae; nam census a Iudaeis exactus sub Praesidibus, aevo Augusti ac Tiberii, annisque saltem decem Claudii postremis, commonstrat ante Nervae principatum, in Iudaea nullum fuisse regem; si fuisset enim, huic, non Caesari, census fuisset impensus. Hinc S. Lucas Act. Apost. 12. hunc Herodem & *Regem*, & regia utentem auctoritate demonstrans, inquit: *Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioan-*

Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudaeis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum. Novimus itaque Herodem regem, regiaque auctoritate pollentem. Neque reponi poteſt hunc eſſe Agrippam Hieroſolymis imperantem, quod ibi adverſus Chriſtifideles exerceret auctoritatem: etenim non ait S. Lucas ab Herode afflictos & carcere mancipatos Hieroſolymitanos Cives, *ſed quosdam de Eccleſia*. Fuerunt hi non Iudsei, ſed Galilaei homines, ſub eiusdem Regis ditione. Eam ob rem etiam Chriſtus, quod Galilaeus eſſet, a Pilato Procuratore Iudaeae miſſus fuit ad Herodem. Confictum eſt itaque regnum Herodis Agrippae Hieroſolymitanum; atque Rex Herodes, de quo Act. Apoſt. 12. idem eſt cum Herode Tetrarcha Galilaeae, de quo in Evang. Luc. cap. 3. Putat autem Harduinus ſuffragari ſententiae huic ſuae S. Iuſtinum Martyrem, qui *in Dialogo cum Tryphone*, Herodem, ad quem Pilatus Chriſtum miſit, ſcilicet Herodem Antipam, filium Herodis Aſcalonitae, appellat Βασιλέα τῶν Ιυδαίων, *Regem Iudaeorum*, nec non Euthymium, cuius in cap. Matth. 43. haec ſunt verba: *Et de Iacobo noverunt omnes, quod ab Herode Tetrarcha ſit interemptus*. Ac demum confugiens Harduinus ad Dialecticam, Herodem nec religione fuiſſe Iudaeum hac ratiocinatione demonſtrat. Qui non ſtudio proprie religionis impulſus, ſed ut placeret Iudaeis alios ex Apoſtolis interemit, alios intruſit in carcerem, nec Proſelytus fuit, nec Iudaeus. Herodes rex, teſtante Luca, occidit Iacobum gladio, ac Petrum occluſit in carcere, videns quia placeret Iudaeis. Igitur Herodes rex nec Iudaeus fuit, nec Proſelytus.

XVI. Satis, diuque Harduinum cavillulas effutientem audivimus. Nunc regem Herodem fuiſſe Agrippam filium Ariſtobuli, & nepotem Herodis Antipae, evincimus. Primum S. Lucas in Evangelio Herodem appellans *Tetrarcham*, in Act. vero Apoſtolicis *Regem*, manifeſte unum ſecernit ab altero; imo in Actibus Apoſtolorum pro *Herode* Syrus Interpres *Agrippam* ſubſtituit, ut vidit etiam Hugo Grotius, ibidem ſcribens: *Herodem hic recte Syrus explicat Agrippam, filium nempe magni Herodis, ex qua familia quotquot erant, communi nomine Herodes vocabantur*; quamquam in hoc Grotius labitur, quod pro nepote *filium* poſuit, aut alterius, aut ambiguae ſignificationis vocabulum. Deinde ſpernenda non eſt auctoritas Philonis, qui Herodis, & Agrippae vidit aetatem, atque in Legatione ſua aperte docet, imperante Caio, Agrippam fuiſſe regem, dicens: *Nec multo poſt advenit Agrippa rex Caium ſalutaturus*; quae verba nequeunt Agrippae iuniori convenire, quem regio titulo cohoneſtatum conſtat *Coſs. Pompeio Gallo & Verannio*, ideſt, anno Chriſti 49. quum Caius interfectus fuerit anno Chriſti 41. die 24. Ianuarii, *Coſs. ipſomet Caio, ac Saturnino*. Scio quidem circumferri ſub Philonis nomine Opuſculum *de Temporibus* Iedidsei Alexandrini, in quo legitur poſt Herodem Aſcalonitam regnaſſe novem annis Archelaum, Herodem Tetrarcham annis 24. poſt hunc Herodem Agrippam ultimum

XVI. *Defenditur adverſus Harduinum vetus communisque de Agrippa rege ſententia.*

annis 30. Sed, praeterquamquod Harduinus ipſe vocat Opusculum illud *opellam improbae factionis*, Archelai, & Herodis Tetrarchiae principatus idem habuerunt initium, nec unus ſucceſſit alteri; atque Agrippa ultimus, cum quatuor annis exiguum regnum Chalcidis tenuiſſet, a Claudio tetrarchia Philippi donatus eſt, *Coſs. Silano & Hatterio*, ann. Chriſti 53. cum antea in Iudaea Felix Procurator per omnem ſaevitiam ac libidinem ius regium ſervili ingenio exercuiſſet, ut lib. v. Hiſtoriarum cap. 9. inquit Tacitus. Poſt Philonem commemorandus foret Ioſephus lib. IX Antiquit. cap. 17. ſed huic Iudaicae Hiſtoriae ſcriptori (iudicio Harduini, *ſtrenuiſſimi*, uti a Baſnagio appellatur, *veterum monſtrorum debellatoris*) infirmum fuit cerebrum, atque *omnia prorſus ignota*. Optume, athletice! At enim Strabo lib. XVI. Herodem Antipam *Tetrarchum*, non *Regem* facit, nec diſſidet a Ioſepho: eidem aſſentitur Euſebius *in Chronico*, ſcribens Agrippam ſolutum a vinculis regnum a Caligula obtinuiſſe; nec diſſentit Dio Coccaeius, ſeu Caſſius lib. LIX. haec mandans litteris: *Caius Agrippam Herodis nepotem a vinculis, quae a Tiberio fuerant indita, liberavit, & avi principatum ei reddidit*. Patiatur itaque audax everſor antiquitatis nos Dioni, Euſebio, Straboni, Ioſepho, Philoni Alexandrino, ac omnibus S. Evangeliſtae Lucae interpretibus, quotquot ad aetatem hanc noſtram floruere, necnon Hiſtoricis omnibus aſſentiri, neque ob ineptiſſimas cavillationes ſuas vetuſtiſſimam firmiſſimamque perſuaſionem extrudere.

XVII. *Solvitur Harduini cavillula.*

XVII. Nemo autem mihi ſuccenſeat, quod momenta huius *Reſtitutoris Chronologiae* (ita enim ſeipſum Harduinus appellat) dixerim *ineptiſſimas cavillationes*: quid enim evincunt, quid ſalivae habent, quid ponderis? Elumbe eſt momentum depromptum ex Actibus Apoſtolicis, in quorum cap. 12. *Herodis*, non *Agrippae* nomen occurrit; quoniam *Herodis* nomen Archelao, Antipae, Philippo, Mariannis, & utrique Agrippae commune fuit, ut oſtendi in ſuperioribus praelectionibus. Inſulſum eſt alterum, quod poſt obitum Herodis Aſcalonitae Iudaea nullum habuerit regem, ibique cenſus fuerit indictus; quia non regnum dispoticum habuerunt Herodis poſteri, ſed ſubiectum Romanis; alioqui exponat, quaeſo, Harduinus, quomodo cenſum egerint Sulpicius Quirinus, *Coſs. Nerva & Metello*, relegato iam Archelao, anno Chriſti 11. & Aerae Vulgaris 7. atque Harduino fatente, illi Syriae Praeſides ſub Tiberio, & ſub Claudio, illumque exegerint etiam in Galilaea, quae ad Syriam pertinet, ideoque in ditione Herodis Regis, cuius regnum ab Harduino in ipſa potiſſimum Galilaea conſtituitur. Ineptum quoque eſt momentum tertium, quod Rex Herodes Hieroſolymis Galilaeos duntaxat vexaverit: id enim ad Herodis Antipae, atque Agrippae diſcrimen nil facit; fatemurque hunc Agrippam in Caeſarea Stratonis Galilaeae civitate regnaſſe, ibique percuſſum ab Angelo efflaſſe animam. Infirmiſſimum denique eſt, quod innititur teſtimoniis Iuſtini Martyris, & Euthymii; quamquam enim,

& Iu-

& Iuſtino, & Euthymio fidem omnem in iis, quae ſpectant ad Hiſtoriam Herodiadum, adhibeamus, quod vereor, ne immerito fiat; ſi vera eſt Harduini opinatio, nullum ante Nervam ſucceſſorem Domitiani, ideſt, ante annum Chriſti 98. in Iudaea, poſt Herodem Aſcalonitam, regem imperaſſe; ac ſi Antipas, dum Iacobum gladio necavit, Rex erat, & non Tetrarcha; profecto & Iuſtinus, qui ait Herodem Domini irriſorem fuiſſe *Βασιλέα τῶν Ἰουδαίων*, atque Euthymius affirmans Iacobum interemptum ab Herode Tetrarcha, non preſſe, ac proprie, *Regem* unus, alter *Tetrarcham* vocavit, ſed ampliori, ne dicam falſa, uſurpatione vocabulorum. Perierunt itaque confictae, non reſtauratae Chronologiae munimenta, nec obolo, nec teruncio, nec vitiata nuce, nec lupino aeſtimanda.

XVIII. Forte quis dicet: At ſaltim fuit Agrippa Gentilis, quod invicto argumento Harduinus evincit. Invictum ne? Ego nullum luſorium magis, magisque amie legi unquam, vel audivi. Herodes, inquit, quosdam de Eccleſia afflixit *ut placeret Iudaeis*, non ergo religionis ſtudio id fecit, adeoque nec Iudaeus erat, nec Proſelytus. Exclamat Baſnagius ad an. Chriſti 36. num. 10. *Egregiam ſane demonſtrationem, omnia Hiſtoriae fundamenta convellere idoneam!* Et quidem hoc ratiocinio; ſtudet placere populo, igitur non eſt princeps: atque hoc item, non ducitur religionis cauſa, ergo religioni nomen non dederat; his, inquam, ratiociniis nec lippus uteretur, nec curculio, nec tonſor. Agrippam, eiusque patruum Herodem Antipam, fuiſſe Iudaeos (ex genere tamen Proſelytorum) commonſtrant quae dixi pertractans de illorum progenitore Herode Aſcalonita: commonſtrat Agrippa ipſe ita loquens apud Philonem in Legatione: *Equidem ut noſti, Iudaeus natus ſum, natale ſolum mihi ſunt Hieroſolyma, ubi altiſſimi Dei Templum ſanctiſſimum ſitum eſt*; commonſtrat quoque S. Marcus Evangeliſta docens, Ioannem Baptiſtam acriter Herodi exprobraſſe, quod haberet uxorem Philippi fratris ſui, id, quod illicitum erat, ac veritum lege Levitici cap. 18. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*. Nova & hic comminiſcitur Harduinus noſter dicens ea Ioannis verba, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, de fratre defuncto eſſe accipienda, quia Graecus codex pro *uxore* habet *γυναῖκα*, ideſt, mulierem viro non ſubiectam. Sunt & alii, qui putant tunc Philippum iam mortuum. Verum falſum id eſt, cum exceſſerit e vivis an. 35. Aerae Dionyſianae, ut ſupra oſtendimus. Γυναικὸς autem nomen, a *γείνομαι*, quod eſt *pario*, derivatum, phraſesque Graecorum *γαμεῖν γυναῖκα*, *λαβεῖν γυναῖκα*, *ἐκπέμπειν γυναῖκα*, atque his conſimiles perſpicue docent *γυναῖκα* potius dici *nuptam*, quam *viduam*: eratque crimen revera reprehenſione dignisſimum vivente viro Herodiadem duxiſſe; quum e contra ſi mulier nubat fratri viri ſui iam defuncti, res turpis minime videatur; imo Iudaeis Deut. 25. praeſcripta fuerit, ſi alter fratrum

XVIII. *Agrippam fuiſſe proſelytum, demonſtratur.*

absque liberis deceſſiſſet. Sed pudet diutius tempus conterere in diluendis lepidiſſimi hominis argutiolis.

XIX. *Quae Agrippae evenerunt antequam regnum conſequeretur.*

XIX. Vindicato adverſus virum Cl. Harduinum Agrippae genere, eoque Herodianae proſapiae, ac familiae Ariſtobuli reſtituto, in illius aetate inveſtiganda ac definienda aliquantulum temporis eſt impendendum. Itaque Agrippam e carcere ad thronum illa rerum humanarum viciſſitudo, quam Maro ineluctabile fatum, Horatius ludentem fortunam, Pacuvius inſanam & caecam & brutam, Plautus vero Divum atque hominum ſpectatricem & heram appellat, ego omnia gubernantem Providentiam exiſtimo, Romanum Imperium ineunte Caligula evexit. Nam cum Romam Agrippa veniſſet, fretusque gratia ac patrocinio Antoniae matris Germanici & Claudii, nepotem eius Caium Caeſarem, cui cognomen Caligula, adeo coleret, ut quadam die, dum eadem rheda veheretur, ei precatus ſit, ut quamprimum Tiberii conſequeretur imperium, Eutychus Caii libertus & auriga rem omnem detulit ad Piſonem urbis praefectum, a quo Tiberius commonefactus Agrippam in vincula coniecit. Fuſe ac ſingillatim haec narrat Ioſephus lib. XVIII. Antiq. cap. 7. Nil aliud expectare poterat a Tiberio tantae diffidentiae, tantae ſuſpicionis principe, ut nurum quoque ac nepotes nunquam aliter quam catenatos, obſutaque lectica loco moverit, prohibitis per militem obviis ac viatoribus reſpicere usque, vel conſiſtere, ut inquit lib. III. Suetonius. Hoc Agrippae obtigit infortunium *Coſs. Plautio, & Papinio*, ſive anno Aerae Chriſtianae 36. nam Tiberius mortuus eſt anno proximo, menſe Martio, die iuxta Suetonium ac Tacitum ſexto decimo, iuxta Dionem vero vigeſimo ſexto, cum per annos 22. ſex menſes, dieſque 26. imperaſſet a morte Auguſti. Fuerunt qui putarunt datum illi a Caio venenum lentum ac tabificum. Diſcant qui Principum palatia frequentant, cavere Tiberii ſuſpiciones, Caii machinamenta, adulationem Agrippae, Eutychi delationes.

XX. *Agrippae a Caio, ſeu Caligula, collatum regnum.*

XX. Vix expiraverat in Villa Lucullana Tiberius, cum Marſyas libertus Agrippae ad eum contendens in Caſtra Praetoriana, ubi aſſervabatur, nunciavit admoto auri capite, utensque Hebraica lingua *mortuum eſſe Leonem*. Poſtridie litterae venerunt a Caio, cum ad Senatum, quibus ſignificabat ſe, demortuo Tiberio, principatum tenere; tum ad Piſonem, quibus iubebat ut Agrippam e Praetoriana cohorte in proprias aedes dimitteret: paucisque exactis diebus iuſſit Caius Agrippam attonſum ac ſplendida indutum veſte ad ſe venire, quem Philippi patrui ſui, & Lyſaniae ditionum regem conſtituit, ipſius capite corona redimito. Habemus explorata principatus Agrippae principia. Enimvero ex Dione lib. LVIII. Hiſtor. atque ex Tacito lib. VI. Annalium, necnon ex Suetonio lib. III. cap. 16. obiit Tiberius *Coſs. Aeerronio Proculo, & Pontio Nigrino*, ſcilicet, anno Chriſtianae Aetae 37. Idem ergo annus eſt primus imperii Caii, cognomine

gnomento Caligulae, ideoque primus regni Herodis Agrippae, ut recte adnotarunt Dionyſius Petavius lib. xiii. de Doct. Temp. Antonius Pagius ad praedictum An. 37. num. 2. Emmanuel a Schelestrate Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 128. atque accurati omnes Chronologi.

XXI. Profectus Agrippa Hieroſolymam collatas ſibi tetrarchias triennio adminiſtravit, usque ad relegationem Herodis Antipae, quem expoliatum a Caligula ditione ac principatu, pulſumque in exilium vertente anno Chriſtianae Aerae 39. ſuperius oſtendimus. Contigerunt interea temporis quae narrantur in Act. Apoſt. cap. 11. multusque numerus credentium converſus ad Dominum, ac primum Antiochiae Diſcipulis Pauli ac Barnabae impoſitum fuit *Chriſtianorum* cognomen. Haud mirum *Chriſtianos* a Chriſto, non *Ieſuitas* a Ieſu fuiſſe appelatos; Chriſti enim nomen unctionem, Ieſus ſalutem ſignificat, ac dicendi *Chriſtiani* ſunt, qui tanquam athletae, & chriſmate delibuti pro fide decertant; *Ieſuitae* vero, qui poſt certamen ac luctam ſalutem aeternam conſequuntur; quare nos in hoc militiae ſtatu Chriſtianos eſſe, in beatiſſima aeternitate Ieſuitas futuros fore, ſcribit in Vita Chriſti Ludulphus Carthuſianus, qui pluribus annis floruit ante S. Ignatium Loiolam; cuius tamen religioſiſſimis filiis, poſt multorum oppoſitiones Ieſuitarum nomen, approbante etiam Sede Apoſtolica, conlatum fuit. At ne extra oleam diſſiliam, legitote Papirium in Vita Pauli IV. Canum lib. iv. de Locis Theol. cap. 2. Thuanum lib. xv. Hiſtoriarum, ac lib. 1. in Ioſuen Serararium; Hoſpiniano ſiquidem, cum erga Ieſuitas infenſiſſimo fuerit animo, fidem nolumus adhibere. Interim nos, ſi dicamur Chriſtiani, contenti erimus, cohoneſtati eo nomine, quod primum inſonuit Antiochiae circa annum quadrageſimum Aerae Dionyſianae, Caio Auguſto III. Conſulatum gerente, eiusdem Caii, & Agrippae anno quarto.

XXI. *Quando inceperit Chriſtianorum appellatio.*

XXII. Hoc eodem anno Alexandriae orta inter Iudaeos, Graecosque ſeditione, utrinque legati ad Caium Romam miſſi ſunt; atque legationis Graecorum princeps fuit Apion Grammaticus, quem Tiberius Caeſar apud Plinium vocabat *Cymbalum Mundi*; legationisque Iudaeorum princeps Philo, Hebraeorum omnium eloquentiſſimus. Apion is erat, quem Gellius & S. Clemens Alexandrinus aiunt πλειστονίκης, ideſt, *Saepevictoris* habuiſſe cognomen, vocatumque Μόχθον ab aſſiduo labore teſtatur Plinius. De eo Seneca Epiſtola 88. *Apion Grammaticus, qui ſub Caio Caeſare tota circulatus eſt Graecia.* Philo autem Iudaeus idem eſt, quem Hieronymus appellat Iudaeorum diſſertiſſimum, auctorem Vitae Moſis, ac Ioſephi, aliorumque librorum, ac talem Platonis imitatorem, ut de ipſo diceretur, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Adite Ioannem Gerardum Voſſium Lib. II. de Hiſt. Graecis cap. 7. Hinc intelligimus anno Domini 40. ſcriptum ab Apione virulentum librum contra Iudaeos a Flavio Ioſepho refutatum, editamque paullo poſt a Philone praeclaram

XXII. *Anni quadrageſimi enarrantur eventus.*

ram illam *Legationem*, in qua enarrat mala Iudaeis inlata ab Avidio Flacco praeſide Aegypti, qui illorum ſynagogas idolorum ſimulacris, Caeſarum imaginibus, aris, victimisque inquinaverat. At Caligula Iudaeorum legationem ſprevit, reiecitque, quod Imperatorum non admiſiſſent imagines, ut narrant Ioſephus lib. XVIII. Antiq. cap. 15. Euſebius lib. II. Hiſt. Eccl. cap. 6. & Oroſius lib. VII. cap. item 5. Verum, etſi Caligula in Iudaeos Alexandrinos amariſſimo foret animo, Agrippam tamen, poſt patrui Herodis obitum, Romam e Regno reverſum, benigniſſime excepit, ac memor veterum officiorum eiusdem Herodis tetrarchiam ei contulit; quod & Ioſephus lib. XIX. Antiq. cap. ult. & Philo in laudata *Legatione* litteris prodiderunt. Ac revera non potuit id ſequentibus temporibus evenire; ſiquidem Caligulam occiſum fuiſſe IX. Calendas Februarias, cum imperaſſet triennio, decem menſibus, diebus octo, ut ſcribit Sueronius in *Caligula* cap. 59. Caligula itaque renunciatus Imperator *Coſſ. Acerronio & Nigrino*, & an. Chriſti 37. menſe Martio, interfectus eſt *Coſſ. Caio ipſo Caligula IV. & Saturnino*, menſe Ianuario, ideſt, ſub initia anni Chriſtianae Aerae 41. ideoque manifeſtiſſimum eſt, conlatam fuiſſe Herodi Agrippae Tetrarchiam Galilaeae anno quadrageſimo eiusdem Aerae.

XXIII. *Quid Claudius Agrippae contulerit, ac poſtea gefſerit idem Agrippa.*

XXIII. Morabatur proinde Agrippa in Vrbe Roma, quando Caligulam Chaerea Caſſius gladio interemit, ſumpſitque Imperii habenas Tiberius Claudius Druſus Caeſarum Quintus: a quo Agrippa auctus principatu Iudaeae, & Samariae, donatus catena aurea, ſymbolo munificentiae ſimul, atque captivitatis, necnon commendatus litteris datis ad Praeſides provinciarum, magna celeritate Hieroſolymam rediit, ubi votiva ſacra perſolvit, atque in Templo praedictam auream catenam ſuſpendit. Res ab eo geſtae a Ioſepho lib. XIX. Antiq. fuſiori ſtilo narrantur. Theophilum filium Anani amovit a Sacerdotio, eique ſuffecit Simonem Boethi filium; poſtea Pontificatum contulit Mathiae, & huic item ademptum dedit Elionaeo. Hieroſolymam ita munire cogitaverat, ut redderet inexpugnabilem, ſed re ad Claudium delata litteris Vibii Marſi Praeſidis Syriae, coactus eſt iuſſu Caeſaris ab incepto deſiſtere. Vrbem Beryti in Phoenicia amphitheatro, balneis, & porticibus exornavit; ibiqve ludos, ſpectacula, & gladiatorum pugnam exhibuit. Ad vexandam quoque Eccleſiam animum adieciſſe commonſtrant quae narrantur cap. 12. Act. Apoſt. Iacobus frater Ioannis occiſus, Petrus incluſus carceri, fideles alii, in quos ἐπέβαλεν τὰς χεῖρας, *iniecit manus*: Haec omnia inter annum 40. & 44. peracta ſunt, atque hoc poſtremo anno figendum eſt S. Iacobi martyrium.

XXIV. *Interitus Agrippae.*

XXIV. Enimvero poſt mortem Iacobi Agrippa a Iudaea deſcendens in Caeſaream Stratonis, metropolin Galilaeae, veritus non eſt praebere aures pernicioſis aſſentatoribus ipſum *Deum* acclamantibus; ſed poe-

poenas ab eo exegit, qui ſolus Deus eſt, & per Angelum immiſſo ſtatim exitioſiſſimo morbo, quo paullo poſt interiit eroſus a vermibus, ſuperbum regem percuſſit. Hanc mortem ita Actus Apoſtolici enarrant: *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo; & conſumptus a vermibus exſpiravit.* Ait Ioſephus lib. XIX. Antiq. cap ult. Agrippam morti proximum haec adulatoribus dixiſſe: *Eu ego, veſtra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali neceſſitate coarguente mendacium veſtrum.* Recte Baronius conſignavit hunc Agrippae interitum anno Chriſti 44. ſive anno 4. Claudii Imp. *Coſs. Criſpino & Tauro*; ac Baronio Petavius, Pagius, atque fere omnes conſentiunt; inquit enim praelaudatus Ioſephus, *Cruciatu deinde per continuos quindecim dies nihil ſe remittente confectus vitam finivit, annum natus quartum ſupra quinquageſimum, poſtquam regnaſſet ſeptennium; quatuor enim annos ſub Caio Caeſare obtinuit regnum primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto anno acceſſit & tetrarchia Herodis; tribus deinde annis ſub Claudio Caeſare, praeter iam dictam ditionem, in Iudaea quoque regnavit, & Samaria.* Itaque haec eſt vera, certisque monumentis definita Herodis Agrippae Epocha. Obtinuit regnum anno Chriſti 37. ſive anno 1. Caligulae. Acceſſit illi Tetrarchia Herodis Antipae patrui ſui anno Chriſti 40. ſive anno Caligulae 4. Adauctum eſt eius regnum addita Iudaea & Samaria anno Chriſti 41. ſive anno primo Claudii. Obiit corroſus a vermibus anno Chriſtianae Aerae 44. ſive anno quarto Claudii; & haec de Agrippa.

XXV. Agrippae Iudaeorum Regi miſerrima morte ſublato ſuperſtites fuiſſe filium Agrippam, quem, ut ſecernatur a patre, Agrippam iuniorem appellant, ac tres filias, Berenicem annos ſexdecim natam, Mariannem decennem, ac Druſillam ſexennem dumtaxat, ſcribit lib XIX. Originum, ſive Antiquitatum Iudaicarum cap. ultimo Flavius Ioſephus. De filiabus Agrippae nil repetam, quum res ab illis geſtae non pertineant ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, praeſensque inſtitutum, ac nonnulla etiam praemiſerim N. VI. producens univerſam Herodis Aſcalonitae genealogiam. De Agrippa itaque diſſertationem inſtituo, natumque arbitror anno Aerae Chriſtianae 27. Imperatoris Tiberii 14. patruorumque ſuorum Herodis Antipae, ac Philippi, 30. quoniam anno Chriſti 44. ſcilicet anno parentis ſui emortuali, natus erat annos decem ac ſeptem, quemadmodum ſcribit citato in loco Ioſephus. Vt vero regnum ipſius, Epochamque facilius definiam, praenarranda duxi perpauca de Herode Dynaſta Chalcidis.

XXV. *Quos ſuperſtites reliquerit Agrippa Rex filius Ariſtobuli.*

XXVI. Fuit itaque Ariſtobulo praeter Agrippam ſeniorem, ſceleſtiſſimamque Herodiadem, filius alter Herodes nomine, quem *Regem Chalcidis* non una Hiſtoria, Ioſephus *Dynaſtam* vocat. Eſt autem *Dynaſta*, qui poteſtate aliqua fungitur, a verbo δύναμαι, quod idem eſt, ac *valeo*, & *poſſum*, ſive δυνατὸν, ſonante *virtutem*, *facultatem*

XXVI. *Agitur de Herode Agrippae ſenioris germano fratre.*

tatem, ac *magiſtratum*: quo vocabulo ab Ariſtotele *in Topicis* vires animi, potentiae, artesque ſignificantur. Virum itaque & amplioris, & minoris ditionis dominum, aeque *Dynaſtam* vocamus: cumque Chalcidica ditio, cuius caput urbs Chalcis media inter Antiochiam & Calybonem, vulgo *Chinſerin*, occupaverit exiguam Syriae partem; malui Herodem Ariſtobuli, non cum pluribus *Regem* dicere, ſed cum Ioſepho *Dynaſtam*. De hoc Herode ita Dio Lib. Hiſtoriarum LX. *Claudius Agrippae, qui ſe in potiundo principatu adinverat, Palaeſtino regnum auxit, fratrique eius Herodi Praetoriam dignitatem, & principatum quemdam conceſſit*. Ioſephus autem lib. XX. Antiq. cap. 1. ad hunc loquitur modum: *Herodes Dynaſta Chalcidis, defuncti Agrippae frater, petiit a Caeſare poteſtatem in templum, & ſacrum aerarium, iuſque eligendorum ſummorum Pontificum, impetravitque haec omnia*. Intelligimus ex eodem Ioſepho hunc Herodem Dynaſtam vita functum *anno octavo Claudii, Coſs. Vitellio & Vipſanio*, ideſt, anno quadrageſimo octavo Aerae Dionyſianae: ad quem proinde annum, qui Baronio, ut omnes norunt, eſt quinquageſimus, inquit ipſe Cl. Annalium Eccleſ. Parens: *Aulo Vitellio*, & *Lucio Vipſano Coſs.*, *dum Claudius ageret octavum annum in Imperio, Herodes Rex Chalcidis Agrippae maioris Regis germanus* (*ut Ioſephus tradit* Antiq. lib. XX. cap. 3.) *vita functus eſt*: Addit-que emunctarum narium criticus Pagius, *Herodes Rex Chalcidis hoc quidem anno vita functus*; ac Petavius de Doctr. Temp. lib. XI. cap. 10. *Moritur anno octavo Claudii*, nullo eruditorum Chronologorum diſſentiente.

XXVII. *Ex dictis quaedam conſectaria eruuntur.*

XXVII. Plura ex his adnotatione digna colligimus. Ac primum: Huic Herodi convenire poteſt nummus ab Harduino productus ad evincendum Herodem Antipam eumdem eſſe cum Agrippa ſeniore, quoniam nummi inſcriptio,

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ
ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΤ. γ.

demonſtrat procuſum fuiſſe anno Claudii tertio, & quadrageſimo tertio Aerae Chriſtianae; quo tempore Herodes Ariſtobuli filius erat Rex Chalcidis: ideoque imperite ex hoc nummo Harduinus nitebatur evincere non eſſe diſtinguendos Antipam & Agrippam: quamquam poteſt idem nummus etiam de Agrippa explicari, quem & *Herodem* dici, & *Philoclaudium* poſſe appellari demonſtratum eſt ſupra; atque ſive de uno, ſive de altero accipiatur, apparet opinio Harduini fulcimento innixa ſiculno. Deinde eruitur ex dictis, male ſcripſiſſe Ioannem Calvinum *in Evangelica Harmonia*, Herodem regem Chalcidis fuiſſe maritum Herodiadis, quum fuerit illius frater, & utrumque procreaverit Ariſtobulus filius Herodis Aſcalonitae ex Marianne Aſmonaea. Praeterea conſtat,

ſtat, quibus annis alliganda ſint quae de Rege Chalcidis Herode narrat Hiſtoria. Etenim ſi Claudius, ut inquit Dio, contulit Herodi principatum, quando ad Imperium evectus auxit regnum Agrippae; neceſſum eſt ut id evenerit anno primo Claudii, & Chriſti 41. Si accepit ab eodem Claudio poteſtatem in Templum, & ius Pontificum eligendorum ſtatim poſt Agrippae fratris ſui miſerrimam mortem, ut ait Ioſephus; id proculdubio contigit anno 4. Claudii, & Chriſti 44. ac tandem ſi Herodes iſte Rex Chalcidis obiit; ſatentibus omnibus, anno Claudii Imperatoris octavo, deceſſiſſe dicendus eſt anno quadrageſimo octavo Aerae Dionyſianae. Hanc Herodis Epocham memoria teneamus oportet, dum ad nepotem eius Agrippam mentem, orationemque convertimus.

XXVIII. Hunc Agrippam Herodi parenti ſuo minime in regno ſucceſſiſſe perſpicuum eſt. Quamvis enim Claudius ad ei regnum conferendum vehementer propenderet, amicis tamen ac libertis diſſuadentibus ob adoleſcentis immaturam aetatem, Procuratorem Iudaeae conſtituit Claudium Cuſpium Fadum, ut inquit Ioſephus lib. xix. cap. ultimo. Quamobrem Tacitus lib. xii. Annalium ſcribit ſub Conſulatu Pompeii & Verannii, ideſt, anno Chriſti 49. Ituraeam Iudaeamque in provincias fuiſſe redactas, atque Praeſidi Syriae commiſſas; quod factum minime foret, ſi poſt Agrippam patrem in Iudaea Agrippa filius regnaſſet. *Ituraeique*, ait Tacitus, *& Iudaei, defunctis regibus Sohemo, atque Agrippa, provinciae Syriae additi*. Primum itaque principatum, Agrippae iuniori a Claudio commiſſum, fuit regnum Chalcidis, quod tenuerat Herodes illius patruus: unde Ioſephus lib. II. de Bello Iud. cap. 11. *Poſt obitum Herodis, qui regnavit in Chalcide, Claudius Agrippam, Agrippae filium, in patrui ſui regno conſtituit*. Hinc evaneſcit ea difficultas, quam Commentariis in Tacitum proponit Iuſtus Lipſius, cui, etſi tanta praedito eruditione rogitandum videbatur a peritioribus, quomodo, cum uterque Agrippa rex fuerit, Iudaei a Tacito dicantur *additi provinciae Syriae*. Nam & nos imperiti difficultatem a Lipſio inlatam una exsufflamus vocula, reponentes Chalcidis, non Iudaeae, Agrippae iuniori regnum a Claudio collatum. Quum vero poſt patrui obitum inceperit Agrippa regnare; agebat proculdubio regni ſui annum primum, *Coſs. Pompeio, & Verannio*, quos paullo ſupra commemoravi, id, quod mox ſubiicienda confirmant.

XXVIII. *Chalcidis, non Iudaeae regnum collatum Agrippae.*

XXIX. Anno Chriſti 53., *Coſs. Iunio Silano, & Haterio Antonino*, atque Claudii Imperatoris anno 13. cum Agrippa per quatuor annos tenuiſſet Chalcidis anguſtam exiguamque ditionem, ut inquit Ioſephus lib. xx. cap. 5. obtinuit ab ipſo Claudio Tetrachiam, quae fuerat Philippi patrui ſui, Batanaeae ſcilicet, Trachonitidis, & Abilenae: de qua ſupra Num. xii. Claudius veneno interiit anno Chriſti 54. die 13. Octobris, ut perſpicue ſcribit Suetonius in

XXIX. *Summatim alia ad Agrippam ſpectantia attinguntur.*

Claudio his verbis: *Exceſſit III. Id. Aſinio Marcello, Acilio Aviola Coſs. XLIV. aetatis, Imperii XIV. anno:* ac Suetonio conſentiunt Dio lib. LX. & citato in loco Ioſephus. Renunciatus poſt Claudium Imperator Nero Claudius Caeſarum Sextus, non tantum Ariſtobulo filio Herodis regis Chalcidenſium, & Agrippae patrueli, donavit minoris Armeniae regnum, verum etiam Agrippae urbes quatuor, Tiberiadem, Arichaeam, Abelam, & Iuliadem, una cum agris earumdem urbium, adiecit. Legite Ioſephum lib. XX. Originum cap. 5. & lib. II. de Bello Iudaico cap. 11. Ad annum Chriſti 59. ac 16. Neronis, quo anno idem impiiſſimus Nero *Coſs. Aproniano, & Capitone* ex Tacito lib. XIV. Annalium, atque ex Suetonio cap. 34. cum ter veneno tentaſſet, matrem pugione necavit; ad hunc annum, inquam, referunt peritiores Chronologi cauſam, quam pro ſe Paulus acticavit, primum coram Feſto, & Agrippa; ut legimus Act. Apoſt. cap. 25. Cum autem Felici praeſidi Porcius Feſtus ſucceſſor miſſus fuerit anno Chriſti 60. cenſeo anno 59. coram Felice, anno 60. coram Feſto, & Agrippa ſuam Apoſtolum cauſam oraſſe. Sequenti anno 61. Iudaei Hieroſolymitani in Agrippam excitavere tumultus, ob conſtructum ab illo coenaculum in Regia ſua prope Xyſtum, unde proſpiciebat quidquid agebatur in Templo. Incepit, fatentibus omnibus, anno Chriſti 66. menſe Maio exitioſiſſimum bellum, quod res Iudaicas peſſumdedit, agebatque eo tempotis Rex Agrippa, ut appareret ex Ioſepho lib. II. de Excidio cap. 13. *annum decimum ſeptimum regni ſui*. Ita confirmatur quod aiebam paullo ſupra, adeptum Agrippam principatum anno Chriſti 49. *Coſs. Pompeio & Veranio;* quoniam ſi anno illi addantur anni decem ac ſeptem, ad annum 66. aetas extenditur.

XXX. *De fine regni Agrippae.*

XXX. Agrippa fruſtra ad pacem Iudaeos adhortatus ſecundo anno belli, ideſt, anno Chriſti 68. pellitur Hieroſolymis; ac paullo poſt audita morte Neronis, qui ſeipſum necaverat die 9. aut 10. menſis Iunii, eique ſucceſſerat Servius Supplicius Galba, una cum Tito Veſpaſiano Romam inſtante hieme profectus eſt, novo Caeſari gratulaturus Imperium. *Ex quo tempore* Agrippa *navigavit Romam ad Galbam, non amplius reverſus eſt in Iudaeam; nec poſt eum aliquis ſuffectus eſt in locum ipſius Rex Iudaeorum, Romanis tantummodo Iudaeis dominantibus*, inquit ad An. Chriſti 73. Caeſar S. R. E. Cardinalis Baronius; nec habent Pagius, Baſnage, Clericus, aliique Critici, quid hoc in loco eidem Baronio opponant, propterea quod haec exſcripſerit ex Ioſepho lib. V. de Bello Iud. cap. 6. Habemus itaque tempora Agrippae ultimi Regum ex Herodis proſapia, ad hunc modum diſtributa ac digeſta. Venit idem Agrippa in poſſeſſionem regni Chalcidis anno Chriſti 49. Obtinuit Tetrarchiam Trachonitidis anno 53. Auctum illius regnum a Nerone anno 54. Interfuit cauſae S. Pauli Apoſtoli anno 60. Iniuria a Hieroſolymitanis excitato tumultu

in

in ipſum conflata fuit anno 61. Vidit infauſti belli primordia anno 66. E regno, e Iudaea, ex patria diſceſſit anno 68. biennio antequam Titus Hieroſolymam expugnaſſet, funditusque Templum everteret; id, quod contigit, ut loco opportuniori dicetur, anno 70. Aerae Chriſtianae.

XXXI. Ne Agrippae poſtremi Regnum, qui ex Herodis genere Iudaeis imperarunt, obitum definirem, duplex ſuadebat ratio; una quidem petita ex regni ac principatus cuiuslibet ab eo, eiuſque poſteris abſciſſione, quam contigiſſe demonſtravi anno Chriſti 68. quando Hieroſolymis expulſus fuit: altera variis innixa opinionibus, quas ad concordiam adducere res eſt impoſſibilis, diiudicare autem, adeo ut vera ſeligatur, & aliae certis monumentis refutentur, ardua res eſt, ac meum ingeniolum excedens. Audere tamen, & conari in difficilioribus etiam quaeſtionibus neceſſarium videtur: quod modo faciam, priusquam Diſſertationi de Epochis Herodiadum finem imponam. Itaque ſententia fuit auctoris, qui Hiſtoriam Iudaicam ſcripſit ſub nomine Ioſephi Gorionidis, Agrippam a Veſpaſiano fuiſſe occiſum triennio cum dimidio ante Hieroſolymorum excidium, ut narrat Baronius ad Annum Chriſti 73. Neminem Ioſephi Gorionidis movere debet auctoritas: quamquam enim Genebrardus in *Chron.* hunc Ioſephum aequalem faciat Flavio Ioſepho a me ſaepenumero in medium producto, imo unum eumdemque exiſtimet Munſterus, cuius opera is primum typis Baſileenſibus in lucem prodiit; obſervarunt tamen eruditi, longe eſſe recentiorem, utpote qui meminit Francorum Gallias occupantium, Gothorum in Hiſpania degentium, aliaque enarret, quae poſt aliquot ſaecula contigerunt: unde auctor iſte nullam promeretur fidem, ut inquit cito in loco Baronius, Poſſevinus in Apparatu V. *Hegeſippus*, Maldonatus in *Matthaeum*; atque ut mittam Caveum, Fabricium, Popebiontium, & Oudinum, ita de illo Gerardus Ioannes Voſſius de Hiſt. Graecis lib. II. cap. 8. *Ipſe quantus quantus eſt, impoſtor eſt.* Sane ea, quae ſubiiciam adverſus ſententiam, quam probare videntur Pearſonius & Dodwellus, ſimul opinionem erroremque Ioſephi Gorionidis confodiunt.

XXXI. *Ioſephi Ben Gorionidis de exceſſu Agrippae ſententia.*

XXXII. Pearſon itaque, ac Dodwellus in *Diſſert. de Annis primorum Epiſcoporum Vrbis Romae cap.* 5. facta hypotheſi Agrippam ad plures abiiſſe anno tertio Veſpaſiani, conſequens fieri pronuntiant id eveniſſe anno Domini 72. ante menſem Quinctilem: *Si a tertio Veſpaſiani anno* (inquiunt) *defunctus fuerit Agrippa ante Iulii initium, anno 72. obierit neceſſum eſt.* Aperta & ineluctabilis conſecutio. Enimvero anno Chriſti 72. Iulio menſe ineunte, incepit Veſpaſiani annus quartus; cum perſpicua res ſit ipſum Veſpaſianum, Galba, Othone, ac Vitellio interfectis, fuiſſe Calendis Iuliis an. Chriſti 69. ad Imperii dignitatem evectum. At falſum eſt obiiſſe Agrippam anno tertio Veſpaſiani, atque ex abſurda praemiſſa abſurdior infertur aſſertio. Hanc duplici

XXXII. *Pearſonii & Dodwelli opinio de morte Agrippae reiicitur.*

plici ratiocinatione ad Annum Chriſti 75. oppugnat Baſnagius. Primo quoniam Ioſephus ſcribendae Hiſtoriae de Bello Iudaico manum admovit poſt triumphum Veſpaſiani, ductum actumque anno Chriſti 71. Hanc autem hiſtoriam abſolutam, ad umbilicum perductam, limatamque legit Agrippa, dum Romae moraretur, tanta approbatione, ut *ſexaginta duas epiſtolas* ſcripſerit ad auctorem, magnopere illum commendans ob operam in Bello deſcribendo fideliter diligenterque navatam. Atque haec ratio duo veriſſima, unum valde probabile, non tamen certum omnino complectitur. Verum eſt, ductum a Veſpaſiano triumphum anno Chriſti 71. dum tertio Conſulatum gereret cum Nerva, quod commonſtrant nummi apud Patinum pag. 141. cum ſymbolo Iudaeae lugentis ſub palma, atque inſcriptione IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. Verum eſt item, poſt actum a Veſpaſiano triumphum a Ioſepho libros de Bello fuiſſe conſcriptos, perlectos, commendatosque ab Agrippa, atque ab eo datas auctori *ſexaginta duas epiſtolas*, ac tanti aeſtimatos, ut propter ingenii & eruditionis ornatum ſtatuam Romae promeruerit: nam Ioſephus ipſe inquit exaratum a ſe Opus Veſpaſiano ac Tito poſt illorum victorias obtuliſſe, quod illorum iudicium non expaveſceret. At hinc magna utique probabilitate, non invicta conſecutione eruitur haec poſt annum Chriſti 72. contigiſſe. Alterum Baſnagii argumentum petitur ex Nummis Agrippae, quibus inſculptus cernitur annus regni eius XXVII., qui annus concurrit cum anno Chriſti 76. ideoque Agrippa, qui hoc anno vivebat, nequaquam defunctus eſt anno Chriſti 72. Profecto annum regni Agrippae 27. concurrere cum anno Chriſti 76. perſpicuum eſt; quoniam Agrippa, ut ſuperius oſtendimus, renunciatus fuit Rex Chalcidis anno Chriſti 49.

XXXIII. *Iisdem momentis evertitur praemiſſa Gorionidis aſſertio.*

XXXIII. Corruit hac duplici ratione non tantum opinio Pearſonii ac Dodwelli, verum etiam Ioſephi Gorionidis abſurdior ſententia. Si enim Agrippa poſt annum Chriſti 71. alterum a Hieroſolymorum excidio, legit ſeptem libros de Bello Iudaico; ſi extant Agrippae nummi cum nota numerali anni 27., omni dubio procul inſanus eſt, qui ait triennio cum dimidio ante Hieroſolymitanam caedem, regem Agrippam a Veſpaſiano fuiſſe interemptum: quamquam qui Hiſtoriarum lectione intellexerit Agrippam ab ipſo Veſpaſiano uſque ad mortem amiciſſime habitum, absque Chronologicis diſquiſitionibus ſatis percipiat quam ludicra ſit opinio Gorionidis aſſerentis hunc regem e ſtirpe Herodis poſtremum occiſum fuiſſe a viro principe adeo miti, ut quemadmodum ſcribit cap. 15. Suetonius, *neque caede cuiusque umquam laetatus, iuſtis ſuppliciis illacrymaverit etiam & ingemuerit.*

XXXIV. *Samuelis Baſnagii de tempore obitus Agrippae coniectura profertur.*

XXXIV. Refutata Pearſonii, ac Dodwelli ſententia, ſimulque Gorionidis reiecto mendacio, breviter expendenda eſt opinatio Baſnagii eo propendentis, ut exiſtimet, Agrippam fatis ceſſiſſe anno Chriſti 81. in illo temporis intervallo, quod eſt inter VIII. Calendas Iulii, ac

inter

inter Idus Septembris. Animadvertit ſiquidem vir peracutus, in Chronologia Iuſti Tiberienſis apud Photium locari Agrippae obitum anno tertio Traiani; ibidem quippe de Agrippa legitur: Τελευτᾷ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ; ſed quoniam non perveniſſe Agrippam ad annum Traiani tertium, ſive ad annum centeſimum Aerae Chriſtianae, videtur Baſnagio apertiſſime demonſtrari ex Flavio Ioſepho, putat pro Traiano *Titum* ſubſtituendum eſſe, ac ita legendum, Τελευτᾷ ἔτει τρίτῳ Τίτου. Baſnagii pro corrigendo Iuſto Tiberienſi haec eſt argutatio: „ Iuſtum Tiberienſem Ioſephus verbis ſic ſuis inſectatur, *Nunc poſtquam illi*, Veſpaſianus ſcilicet, Titus, Agrippa, *non ſunt inter nos amplius, nec putas eſſe qui coarguant, audax factus es.* Quibus luce clarius eſt, Epaphroditum & Domitianum fuiſſe regi Agrippae ſuperſtites. „ Ni fallor haec eſt vis huius ratiocinationis: Scribebat Ioſephus vivente Domitiano, qui occiſus fuit anno Chriſti 96. XIV. Calendas Octobris: At enim dum Ioſephus ſcribebat, Agrippa non erat amplius inter vivos; deceſſerat ergo ante annum Chriſti 96. ideoque Iuſtus Tiberienſis, ubi ait mortuum Agrippam anno tertio Traiani, aperte mentitur.

XXXV. Non alia ratione Baſnagius ad corrigendum Iuſtum Tiberienſem adiecit animum, niſi ut reiiceret quoque opinionem Scaligeri affirmantis Agrippam usque ad annum Traiani tertium regnaſſe: quod Scaliger hauſerat ex Chronologia Iuſti Tiberienſis apud Photium. Atqui, ut verum fatear, Scaligero ſubſcribendum eſſe puto, cui & Gerardus Voſſius, & Ioannes Clericus adhaeſit; neque enim piaculum eſt, ubi de fide non agitur, horum veſtigiis inſiſtere. Principio potuit Agrippa ad annum Chriſti 100. Traiani 3. vitam protrahere; nam cum natus fuerit anno Chriſti 27., ut ſupra oſtendimus, anno Chriſtianae Aerae centeſimo agebat annum aetatis ſeptuageſimum tertium: in his autem, quae fieri potuerunt, atque a Scriptoribus ſynchronis ac fide dignis traduntur, indecorum eſt doctis viris, absque rationis pondere, pugnaciter adverſari. Deinde contemnendum non eſt Iuſti Tiberienſis teſtimonium. Hunc enim Scriptorem, praeter Photium & Scaligerum, laudant Diogenes Laertius in *Socrate*, Euſebius Hiſt. Ecc. lib. III. cap. 9. Stephanus in *Vrbibus*, verbo Τιβεριάς, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Honorius in *Luminaribus*, atque ut alios praeteream, Voſſius lib. II. de Hiſt. Graecis cap. 8. ac in Diſſert. praeliminari ad Hiſt. Eccl. Dupinius. Praeterea cuiusnam autographi codicis auctoritate, qua praeeunte lectione, perantiqui Scriptoris textum emendare audet Baſnagius? Si eo iudice errarunt Pearſon & Dodwellus, qui pro τρίτῳ ἔτει Τραϊανοῦ, ſuffecto pronomine, legendum putarunt in Chronico Iuſti, τρίτῳ ἔτει αὐτῷ, nonne potiori iure culpandus ipſe Baſnagius, qui maiori litterarum mutatione divinavit ſcriptum olim fuiſſe, τριτῳ ἔτει Τίτου? Poſtremo coniectura Baſnagii non

XXXV. *Producitur & defenditur ſententia Scaligeri.*

luce

luce clarior videtur, ſed obſita tenebris atque obſcuriſſima. Flauius enim Ioſephus reprehendit quidem in libro *Vitae ſuae* Iuſtum Tiberienſem, quicum ei graviſſimae inimicitiae intercеſſerunt; ait non auſum fuiſſe vulgare hiſtoriam a ſe conſcriptam, vivo Veſpaſiano ac Tito, atque Agrippa ſuperſtite: ſed haec non ſcribebat Ioſephus, Epaphrodito ac Domitiano viventibus: nam libros, quos abſolvit anno 13. Domitiani, ſunt Libri xx. Antiquitatum Iudaicarum, quibus *Vitam ſuam* longe ſerius adtexuit. Quare ex eo, quod ſcribat Ioſephus in *Vita ſua* Agrippam fuiſſe iam mortuum, nequit inferri eidem Agrippae ſupervixiſſe Domitianum, niſi evidens ſit *Vitam* illam a Ioſepho fuiſſe mandatam litteris, Domitiano ſuperſtite. Levis eſt itaque ac futilis coniectura Baſnagii pro corrigendo Chronico Regum Iudaicorum, edito a Iuſto Tiberienſi: de quo citato in loco Cl. Voſſius: *Scripſit, Photio teſte, Iudaeorum Regum Chronicon qui coronati fuere. Incepiſſe illud ait a Moyſe, & perduxiſſe usque ad exitum Agrippae, ſeptimi e Familia Herodis, ac Iudaicorum Regum ultimi: qui Claudii tempore regnare coepit; ſub Nerone crevit, maioraque incrementa ſumpſit ſub Veſpaſiano; ac tertio Traiani anno obiit, quousque & Hiſtoriam Iuſtus perduxit.* Si obiit Agrippa anno tertio Traiani, fluxerunt ab anno ſexto Iuliano, quo Herodes Aſcalonita declaratus fuit Rex a Romanis, usque ad Agrippae iunioris obitum, anni centum & quadraginta, ideſt, anni 37. Herodis magni, anni 3. quibus huius mors antevertit Aeram Dionyſianam, atque anni 100. eiusdem Aerae. Atque haec de Epochis Herodiadum.

DISSERTATIO III.

DE EPOCHA C. AVGVSTI.

I. AD explicandam C. Auguſti Epocham ſtilum orationemque convertens, nonnulla, quae ad Romanam Hiſtoriam ſpectant, arbitror praemittenda: quumque annorum Vrbis, Iulii Caeſaris, ac Romanorum Conſulum ſaepenumero habenda ſit mentio, de iis principio pertractandum eſſe videtur. Itaque anni ab V. C. diverſa ratione apud veteres Hiſtoricos ſupputantur, atque alii ſunt anni Varroniani, alii Capitolini, alii iuxta Fabii Pictoris chronotaxim enumerati.

I. *Supputandi annos V. C. multiplex ratio.*

II. Varro poſita Vrbis fundamenta exiſtimavit *anno tertio Olympiadis ſextae*, deſinente tamen, adeo ut iuxta ſupputationem Varronis annus 1. Vrbis fuerit ante Aeram Chriſti Dionyſianam 753. & quartus laudatae Olympiadis. Suppono autem hoc in loco, primum agonem Olympicum ab Iphito inſtitutum, ſeu potius inſtauratum fuiſſe anno ante Chriſtianam Aeram 776. ideoque in hunc annum, diemque decimam nonam Iulii, incidiſſe primam Ludorum Olympicorum, atque hanc eſſe Aeram Olympiadum celebriorem, ac certiorem, prout demonſtrarunt in *Diſſert. de Periodo Graeco-Romana* num. 82. illuſtris Pagius lib. XIII. de Doct. Temp. Cl. Dionyſius Petavius, atque ut mittam Viſerium, Vallemontium, Noriſium, Langletium, Delfinium, ceterosque Chronologos praeſtantiſſimos, inſignis aevi noſtri Mathematicus Euſtachius Manfredius Bononienſis. Suppono itidem, quod praecedentium conſectaria res eſt, annum primum communis Aerae, alligandum conſentientibus eruditis omnibus anno V. C. 754. fuiſſe annum Olympiacum 777 five annum primum Olympiadis 195. Atque opportuniori loco, ſi quid in his occurrit arduum ac perdifficile, dilucidabitur & explanabitur.

II. *Sententia M. Varronis.*

III. Sequuntur recentiores omnes ſupputationem Varronianam, quae & certiſſima putabatur vivente Eutropio Sophiſta, qui militavit ſub Iuliano, huiusque expeditioni in Perſas interfuit, & *Breviarium Romanae Hiſtoriae* a ſe conſcriptum Flavio Valenti Auguſto dicavit; ac ſenior fuit Auguſtino, non eius diſcipulus, ut viſum Raphaeli Volaterrano, Poſſevino, Geſnero, necnon Philippo Bergomati, aliisque Inſtituti noſtri Hiſtoriographis, in errorem, ut opinor, inductis ſimi-

III. *Eadem Varronis ſententia approbatur.*

li-

litudine nominis alterius Eutropii, de quo Gennadius in illustrium virorum Catalogo. Igitur Eutropius in primo Breviarii sui libro de Romulo inquit: *Is, cum inter pastores latrocinaretur, Vrbem in Palatino monte constituit XI. Calendas Maii, Olympiadis sextae anno tertio, post Troiae excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto.* Quapropter aequum est, ut Varronis rationem nos amplectamur, idque ob tres causas; quarum una petitur ex veterum ac recentiorum exemplo; altera desumitur a providentia adhibenda, ne abiectas supputationes sectando turpiter rationes temporum pervertamus; tertiam suppeditat ipsius Varronis nomen honestissimum ac celeberrimum. Varro enim is est, quem Terentianus in *Phaleuciis* appellavit *virum undequaque doctissimum*; quem Tullius in libris Academicis dixit *hominem omnium facile acutissimum, & sine ulla dubitatione doctissimum*; quem Symmachus apud Vossium lib. 1. de Hist. Latinis cap. 12. ait esse *Romanae eruditionis parentem*. Varro is est, de quo Gellius lib. III. testatur *octogesimo quarto anno scripsisse quadringentos nonaginta libros*: de quo fertur, Pollionem ei adhuc viventi, quod nemini antea factum fuerat, statuam posuisse in Bibliotheca, quam omnium primam Romae aperuit publicae commoditati; de quo S. P. Augustinus lib. VI. de Civit. Dei cap 2. inquit: *Quis Marco Varrone diligentius, pleniusque scripsit?* ac infra: *Qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur: tam multa scripsit, quam multa vix quisquam legere potuisset.* Pertimescam me tanto viro adhaerere? Nequaquam. Quartum annum sextae Olympiadis fuisse annum V. C. primum, absque ulla haesitatione pronuncio.

IV. *De Annis Romae Capitolinis & Frontinianis.*

IV. Attamen duas alias sententias non praetermittam. Ergo iuxta annos *Capitolinos* natale Vrbis statuendum est desinente *anno quarto Olympiadis sextae*, ita ut annus 1. Vrbis incidat in annum primum Olympiadis septimae. *Capitolini* anni dicuntur qui in Fastis Capitolinis adnotantur; horumque Fastorum auctor creditur Verrius Flaccus conditione libertinus, quem Augustus nepotibus suis Caio & Lucio erudiendis praefecit: quod vulgo creditur manifestum esse ex verbis Tranquilli de Illustribus Grammaticis: *Statuam habet prope Vestae, in inferiori Fori parte, contra hemicyclum, in quo Fastos a se ordinatos, & marmoreo parieti incisos, publicabat.* At non desunt, qui eo loci non *Prope Vestae*, sed *Praeneste* legendum esse contendant. In annum item primum Olympiadis septimae, at exeuntem, retulit Vrbis originem Frontinus, a quo Chronologi quidam cum Pagio Epocham istam Romae appellant *Frontinianam*. Iulius Frontinus temporibus Nervae, ac Traiani, in pretio fuit, ante Domitianum Praetor Vrbanus, scripsitque iubente Nerva egregium libellum de Aquaeductibus, librosque strategematum, ac de scientia militari, Taciti, Aeliani, ac Vegetii laudationibus clarus. Adoptavit Frontinianam Epocham Ioannes Rosinus scribens lib. 1. Antiquitatum Romanarum:

An-

Anno Numitoris *secundo Romulus & Remus urbem Romam in eo loco, ubi expositi fuerant, anno a capto Ilio* 431. *Olympiadis septimae anno primo, die* 21. *Aprilis condiderunt.*

V. Videntur hanc Epocham stabilire quae subiicio. Primum Dionysius Halicarnassensis accuratissimus Scriptor statuit Vrbis primordia *in anno* 1. *Olympiadis septimae*, quae eadem est, ac Frontini, aut saltim Verrii Flacci, aut quisquis Fastos Capitolinos ediderit, vetusta sententia. Deinde Plutarchus in *Romulo* similiter scribit conditam Romam in Solis & Lunae ecliptico congressu, quem & Antimachus Poeta, & Tarrutius praestantissimus Mathematicus agnoverunt, contigitque vertente commemorata Olympiade. Verum facilis est utriusque difficultatis enodatio. Prior enim diluitur ex quo Dionysius more Athenienſium annos subducat ab aestivo solstitio, ideoque primus annus Olympiadis septimae, si attendatur initium Vrbis conditae xi. Kal. Maias in sententia Dionysii, est annus 4. sextae Olympiadis; unde repetenda esse iuxta Halicarnassensem initia Vrbis ab anno 24. Iphiti, sive ab anno 4. Olymp. sextae demonstrat adversus Scaligerum lib. ix. de Doct. Temp. cap. 52. doctissimus Petavius. Quare sententia Dionysii Halicarnassi optime cum Varroniana supputatione cohaeret. Atque eadem facilitate difficultas altera eliditur. Enimvero eo loci Plutarchus conditam urbem constituit ἐν ἔτει τρίτῳ τῆς ἕκτης ὀλυμπιάδος, *in anno tertio sextae Olympiadis:* quae si de anno desinente accipiantur, Plutarchi etiam auctoritate, missis Tarrutio & Antimacho, quorum hac in re assertiones nullius sunt ponderis, Varroniana Epocha stabilitur: atque idcirco firmatur, non evertitur hisce momentis, quod supra diximus, incidisse primum annum Vrbis *in quarto ipsiusmet Olympiadis.*

V. *Pro annis Capitolinis momenta quaedam.*

VI. Quid vero de sententia tertio loco proposita, sive de Fabii Pictoris Chronologia? Si hanc sequemur, corruunt quaecumque firmare conatus sum; siquidem Fabii Pictoris assertio est conditam urbem *Olympiadis octavae anno primo*, ideſt, anno ante Aeram Christianam 748. ac sexto ab initiis computi Varroniani. Contemnenda non videtur haec Aera; illam namque primum commendat nomen auctoris sui praeclarissimum. Fabius enim, *Pictor* cognominatus, quod spectaret ad gentem illam familiamque clarissimam, cuius princeps pinxerat Aedem Salutis sub Claudii principatu flammis absumptam, ab Appiano in Annibalicis laudatur, ac dicitur a Tito Livio lib. i. & il. *longe antiquissimus auctor*, atque a Tullio in Bruto, *Et iuris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus.* Deinde Fabii Pictoris Chronologia laudatur cap. 2. Historiarum a Iulio Solino, eamque ceteris omnibus certiorem existimat Fastorum pater Onuphrius, de Augustinienſi familia nostra, & de Romana Historia optime meritus, qui, ut inquit Dionysius Petavius lib. iv. de Doctr. Temp. cap. 55. *In Fastis accuratissime disputans, omnes propemodum Scriptores, qui annorum Vrbis utcumque meminissent, suas in sectas & factiones distribuit, & causas etiam*

VI. *De sententia Fabii Pictoris.*

ſcrutatus eſt, cur antiquiores praeſertim tanto recentiorem Vrbis originem fecerint. Praeterea Vſſerius vir in Chronologicis praeſertim controverſiis accuratiſſimus & diligentiſſimus, ad annum Per. Iul. 3966. & ipſe Fabii Pictoris amplectitur opinionem, eoque anno P. Iul. *ante initium Olympiadis octavae* conditam Romam adfirmat.

VII. *Ad ea, quae dicta ſunt, reſponſio.*

VII. Haec tamen a Varrone me non divellunt: atque iis, quae de ſapientia & antiquitate Fabii Pictoris dicta ſunt, oppono quae de Marco Varrone num. 3. produxi: quamquam non inficias ibo Fabium, qui primus omnium ſoluta oratione Romanorum Hiſtorias circa annum Vrb. 538. quo contigit Cannenſis Clades, conſcripſit, ſuperaſſe aetatem Varronis, quem certum eſt floruiſſe poſt annum ſeptingenteſimum. Ad Solinum vero quod attinet; is varias de Vrbis origine ſententias ita recenſet: *Cincio Romam duodecima Olympiade placet conditam: Pictori octava: Nepoti, & Luctatio Eratoſthenis & Apollodori opiniones comprobantibus, Olympiadis ſeptimae anno ſecundo: Pomponio Attico & M. Tullio Olympiadis ſextae anno tertio.* Recitat ergo Solinus, non adprobat Fabii Pictoris opinionem, immo ipſe annos Capitolinos enumerat, ſcribens paucis interiectis: *Par eſt Romam ſepsimae Olympiadis anno primo credi conditam.* A Panvinii vero ſententia absque ulla temeritate diſcedam; quoniam & ipſe illam abiiciendam, nec in uſum aſſumendam eſſe fatetur hac ratione permotus: *Cum viderem* (inquit) *omnes quotquot exſtant Hiſtoriae Romanae ſcriptores vel Varronianam ſententiam ſequi, vel uno, aut altero anno tantum ab ea recedere, id facere omiſi* (ideſt, ſequi Pictoris annorum rationem in Faſtis digerendis (*ne dum hac ipſa annorum ſerie eos illuſtrare nitor, ipſos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem, quam omnes fere, praeter admodum paucos, ſequi liquet.* Idem dicendum de Vſſerio, quem praeterea oſcitanter legiſſe locupletiſſimum Solini opus inſcriptum *Polyhiſtor*, animadvertit in Diſſert. de Periodo Greco-Romana Antonius Pagius, atque facile dignoſci poteſt ex verbis eiusdem Solini paullo ſupra productis. Quae cum ita ſint, ex variis Romanae Vrbis, huiusque primordiorum Epochis, praeſertim tribus illuſtrioribus, Varroniana, Capitolina, & Fabii Pictoris, iure meritoque priorem ſeligimus, & Vrbem conditam affirmamus anno ante Aeram Dionyſianam ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio.

VIII. *Qua die Roma condita ſit.*

VIII. Poſt annum Vrbis Romae natalem, inveſtigandus eſt dies, & quaedam de origine ipſius Vrbis fabellae ſunt diſpungendae. Diem itaque primum Romae fuiſſe undecimum Kalendas Maias, ſive vigeſimum primum Aprilis, fuit conſtantiſſima veterum & recentiorum opinio. Vnus eſt Tarrutius Mathematicus, quem laudat Plutarchus in *Romulo*, a quo literis proditum eſt conditam fuiſſe Vrbem *nona die Pharmuthi*, quam diem Cl. Petavius lib ix. de Doctrina Temp. cap. 55. ait fuiſſe *diem quartam Octobris*. Verum & Petavius,

vius, ne a communi opinione discedat, non alia ratione id affirmandum existimat, nisi quatenus in diem Octobris quartam fortasse inciderat undecimus Kalendas Maias Anni sive Albani, sive Romulei. Quod, cum annorum Romuleorum peculiaris ratio sit prorsus ignota, videtur mihi species quaedam ingeniose excogitati figmenti. Ego insuper arbitror Tarrutium ceteris omnibus consentire: de ipso quippe Tarrutio haec habet cap. 2. Iulius Solinus: *Romulus fundamenta murorum iecit, duodeviginti natus annos*, XI. *Kalendas Maias, hora post secundam ante tertiam, sicut Lucius Tarrutius prodidit, Mathematicorum nobilissimus, Iove in Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis*. Ac Tullius lib. II. de Divinatione: *L. Tarrutius Firmanus familiaris noster imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, Vrbis etiam nostrae natalem repetebat ab iis Parilibus quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque cum in iugo esset Luna, natam esse dicebat*.

IX. Hinc ad primum Vrbis diem statuendum habemus characteres complures, quorum tres faciliores enumerabo. Habemus *XI. Kalendas Maias*, expresse a Iulio Solino adnotatum; quem diem esse vicesimum primum Aprilis nemo unus ignorat; ac miraremur Antonium Pagium virum accuratissimum in Dissert. de Periodo Graeco-Romana pag. 46. edit. Antuerp. ad refellendum Vsserium, qui Solinum citavit, asserere nullam factam ab eodem Solino mentionem diei Romae natalis, miraremur, inquam, nisi menti nostrae succurreret vetus illud proloquium, *Quandoque bonus dormitat Homerus*. Habemus praeterea *Solem constitutum in Tauro*, ideoque mensem Aprilem, quo Sol in Tauro annum aperit, idest, superiori mense inchoatum explicat, atque extendit & floribus herbis germinibusque exornatum reddit venustiorem, necnon annorum Vrbis, qui ab Aprili inchoantur commonstrat initia; quo sensu interpretor verba Virgilii I. Georgic.:

IX. *Tres eiusdem diei coniecturae.*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, &c.

alioqui enim vel a Ianuario, vel a Martio, non ab Aprili, annus incipit. Habemus & *Palilia* Romae celebrata XI. Calendas Maias, ita appellata, ut putat Varro, a Pale Pastorum Dea, seu, ut inquit Festus ab hostiis, quae pro partu pecoris eo die sacrabantur; unde & *Palilia*, & *Parilia* latinissime scriptum legimus. Nemo autem in dubium revocat, quin *Palilia* aut a Romulo primum instituta fuerint propter Vrbis primordia, aut saltem ob eamdem causam celebriori cultu peracta. Quare Ovidius Fast. IV. *Palilia*, eorumque sacra describens, praemissis quibusdam symbolis acervorum stipulae, quae tunc accendebatur, inquit,

Hoc tamen est vero propius: dum condita Roma est,
Transferri iussos in nova tecta lares,

Mutantesque domum tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturae ſuppoſuiſſe caſae,
Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos:
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

Haec nil aliud ſignificant, niſi Romulum, aliosque paſtores incenſis mapaliis ad Palatinum inhabitandum migraſſe. Recte igitur Tullius de Tarrutio, Mathematicorum praeſtantiſſimo, in libro, quem ſuperius commemoravi, *Vrbis noſtrae natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus*. Itaque dies primus Romae tribus characteribus firmatus eſt, Kalendis Maiis, ſigno Tauri, feſtisque Palilibus.

X. *Conciliantur Faſtorum Catalogi.*

X. Ex quo initia Romae a die 21. Aprilis ſint repetenda, colligimus nullum diſcrimen eſſe inter ſcriptores, qui Romanorum Conſulum Faſtos uni Vrbis anno alligarunt, atque inter Chronologos, qui eosdem Faſtos retulerunt in annum proximum; ſi quidem Conſulatum primum, qui eſt *Bruti & Collatini*, quidam in annum Vrb. 246. quidam vero in annum praecedentem detrudunt. Etenim illi ab undecimo Kalendas Maias ſupputant annos Vrb. iſti vero eosdem annos cum anno Iuliano copulantes, a Kalendis Ianuariis illos auſpicantur. Ita nempe nullum diſcrimen eſt ſi ante octavum Kalendas Apriles hunc annum 1748. & 1749. dixerimus, uno modo a Virgine per Angelum ſalutata & a Verbo carneſacto, alio autem modo ab eiusdem Verbi temporali nativitate annum exordientes.

XI. *Sententia, quae ante Romuli aetatem ſtatuit primordia Vrbis.*

XI. Nunc definitis anno, dieque natali Vrbis Romae, fabellae quaedam ſunt exſufflandae. Quarum prima eſt commentum eorum, qui longe ante Romulum aedificatam Romam dixere, eiusque nomen pervetuſtum *Valentiam* fuiſſe autumarunt, tum puellae cuiusdam nomine dictam Romam. Me non fugit opinionem hanc a Iulio Solino initio 2. capitis commendari, ac de illa erudite diſſerere in Plinianis exercitationibus Claudium Salmaſium. Nec ignoro in eam abiiſſe ſententiam complures, qui Commentaria edidere in Virgilium ad ea verba prioris Eclogae, *Vrbem, quam dicunt Romam*, quae innuere videntur aliam huius Vrbis fuiſſe appellationem antiquiorem, atque ad 6 primi Aeneidum libri,

Inde lupae fulvo nutricis ſegmine lactus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Moenia, Romanosque ſuo de nomine dicet.

Quo in loco aiunt, ne dicam, nugantur, non Romam, ſed *Romanos* a Romulo nomen accepiſſe, addentes nomen Romae antiquiorum pluribus fuiſſe incompertum, propterea quod Vrbis nomen ſacroſanctum haberetur, & Valerius Soranus illud pronuntiare auſus in crucem levatus fuerit. Scio denique ortam de origine Vrbis quaeſtionem, quod

ante

ante Romulum Palatium Aborigines habitaverint, atque in Foro Boario ſacellum Herculis, & in Monte Capitolino Saturni templum extiterit.

XII. Haec tamen omnia quae ſuperius de Romulo Vrbis conditore dicta ſunt, nequaquam evertunt. Quid enim, obſecro, illinc eruueretur, ſi verum foret, Romam olim vocitatam *Valentiam*, nomen *Romae* derivatum aut a filia Aeſculapii, aut a filia Telemachi, aut a nepte Aeneae, quae omnia, etſi invicem pugnent, dicuntur tamen? Quid ſi Romani religioni duxiſſent nomen patriae nunquam proferre? Quid, ſi ubi condita eſt Roma, praeexiſtiſſent Herculis Ara, Aedesque Saturni? At veriſſimum eſt, idem Romin Ῥώμας Graece & *Valentiam* Latine ſignificare, ac Romam, Romulum, Romanosque a robore, viribusque denominari; ideoque ſi vetitum fuit aliquando Romae vocabulum pronuntiare, non aliam cauſam huius legis fuiſſe arbitror, niſi quod Latii linguam incolae Vrbis excollerent, & Graecam tunc temporis aſpernarentur. Veriſſimum quoque eſt Herculi aedem in ea Vrbis regione aedificaſſe Cornelium Sullam, in Circo Flaminio Publium Victorem, ad Portam Geminam Octavium Herennium, atque in Foro Boario ſimulacrum Herculis pro agendis triumphis fuiſſe collocatum: Saturno autem antiquiorem aedem ſacravit Tullus Hoſtilius poſt Albanos Sabinosque devictos; aedemque aleae, in Clivo Capitolino erexit Lucius Tarquinius, ut ex Varrone lib. 1. Saturnalium cap. 8. docet Macrobius, atque aedem iſtam apud Dionyſium Halicarnaſſenſem dedicatam legimus *Atratino & Minutio Coſs.* Quae omnia quum poſt Romuli aetatem contigerint, indubitatum prorſus eſt quod tanquam Sybillae effatum apud antiquos Romanos in ore omnium verſabatur, Ῥωμαῖοι Ῥώμυ παῖδες, *Romani Romi* (ita diminutione, & blandimenti cauſa vocatus Romulus) *liberi ac filii*: maneque diſpuncta fabula ſtatuentium ante Romulum urbem *Valentiae*; quam fabulam recitat quidem, ſed non probat Dionyſius, ne poſt multa concludit: *Sed quamquam iſta ſic congruant, palam eſt proſpero illi vulgario deberi gloriam Romani nominis, maxime cum annorum ratio faciat eandinem veritati: nam ut affirmat Varro auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus & Rhea Sylvia, vel ut nonnulli, Marte & Ilia.*

XII. *Praecedens ſententia refellitur.*

XIII. In diluendis quae dicta ſunt e Virgilio non moror; nam ipſe in Bucolica ait tantum, Vrbem, ad quam Mantua migraverat, dici *Romam*; atque Aeneidum I. ſolummodo inquit Romanos ita appellatos a Romulo: quod utique pro adſtruenda Romanae urbis praeexiſtentia nil facit. Quamquam in Poëtis plura conficta ſunt, plura etiam ἀναχρονισμῶς uſurpata, ut quando in eadem Ecloga Virgilius patriam ſuam Mantuam *Galateam*, & Romam *Amaryllidem* nuncupavit eo in verſu,

Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

XIII. *Altera Virgilii fabula reiicitur.*

Sed

Sed cum Virgilii meminerim, fabellam alteram refutabo, qui ille fingit Aeneam, antequam perveniret in Latium, Carthaginem nobilissimam Africae urbem appulisse, ibique Didonem, seu Elissam captam insano eius amore in ardentem rogum semet iecisse; quod Poeta Aeneidum vir eloquentissime natus. Sed Elissae, Poeta, iniuriam maximam irrogat; haec enim post Sichaei viri sui obitum intulit sibi manus, ne Iarbae regi Getuliae ni armisque insultanti copularetur connubio; unde cum noluisset prioris lecti iura polluere, post mortem Punica lingua *Dido*, hoc est, Virago, nuncupari promeruit. Sunt qui alio nomine Poetam reprehendunt, asserentes Byssam, seu Carthaginem ab Elisa aedificatam septuagesimo nonum anno post Romam conditam. Verum Velleius Paterculus lib. 1. Hist. Carthaginem ab *Elissa Tyria* condiam asserit *ante annos quinque & sexaginta, quam urbs Romana condiretur*; & Iosephus lib. 1. contra Apionem *annis ante Romam* 134. Quamobrem ex hoc potius capite refellendum est Virgilianum commentum; quoniam nempe ab expugnata Troia, & Aeneae in Latium adventu fluxerunt anni quadringenti ac triginta; & idcirco Aeneas neque Didonem nondum natam, neque Carthaginem nondum conditam videre potuit. Sed qui a Poetis postulant veritatem, nescire videntur illud Horatianum:

Pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

XIV. Virgilio itaque cum suis anachronismis commentisque rejecto, videndum superest quid sentiendum sit de opinione Temporarii, aliorumque existimantium Romulum Conditorem Romanae Vrbis nunquam in rerum natura extitisse, & quae de natali eiusdem Vrbis dicuntur, poetica esse figmenta; quidque asserendum sit de Prospero scriptore Etruscarum Antiquitatum, qui, si credimus Fragmentis a Curtio Inghiramio prope Volaterras inventis, floruit Marii, Syllae, & Ciceronis temporibus, & a quo res penitiae, a Romulo gestae, & pertinentes ad Vrbem traduntur, omnino aetatis Historicis incompertae. Temporarii opinio, cum temere innitatur veriis de Romuli parentibus, de Lupa, quae illum fractemque lactavit, & de ipsius excessu opinionibus, neque fulcimenta habeat alia; non indiget confutatione. Ineptissimum quippe est ob circumstantiarum obscuritatem ambigere de rerum substantia: quamvis quid de Romulo verisimilius dicendum sit educere possunt Livius, Plutarchus, Solinus, Lucius Annaeus, Sextus Aurelius Victor, aliique Romanarum Historiarum Scriptores. At de Auctore Antiquitatum Etruscarum, editisque ab Inghiramio Fragmentis, contemnas eam iudicio viri doctissimi Gerardi Ioannis Vossii lib. 1. de Historicis Latinis cap. 10. ubi haec habet: *Omnino Fragmenta illa Pseudo-Prosperi sunt commentitia ad maiorem gloriam laudatissimae Hetruscorum genti, ac*

prae-

XIV. *Fabulae aliae explodunturs.*

praecipuae Volaterranis conciliandam. Id satis ostendunt, sermo non sat latinus, Graecae linguae inscitia, αὐτογράφου ipsius characteres dispares vetustis temporibus: ut tot alia omittam, quae suppositicium esse hunc foetum non dicunt, sed clamant. Quanti vero faciendum sit iudicium Vossii, percelebre ipsius nomen, ac momenta ab eo producta declarant.

XV. Alligantibus profanarum sacrarumque Historiarum Scriptoribus annos ab V. C. quorum annorum initium paullo supra constituimus septingentesimo quinquagesimo tertio ante Aeram Dionysianam, Fastis notisque Consulum Romanorum; consilium mihi est post Romanae Gentis Archilogiam, Consulatuum originem, institutionem, & canones explicare. Consulatus itaque Sigonius, Pighius, Cuspinianus, aliique permulti, inchoarunt ab anno V. C. 245. ante Aeram Christianam 509. post illustratos autem a Norisio, distinctosque annis Bissextilibus & eis accommodato Cyclo *Ogdoecontesseraeteridos*, sive annorum 84. Fastos Anonymi erutos e Bibliotheca Caesarea, accurati omnes Scriptores ab anno Vrb. 246. ante Christianam vulgatamque Aeram 508. Consulatus ipsos enumerant. Nulla tamen, aut certe leviſſima occurrit in his discrepantia, enimvero quum anni Vrbis a *Palilibus* inchoentur, Consulatus vero a Kalendis Ianuariis; doctissimi viri noluerunt rationem habere anni Romani labentis, atque maiori ex parte transacti, ut una simul iunctis Palilibus & Kalendis, statuerent cuiuslibet anni unicum, certum, notissimumque principium.

XV. *Tempus ab V. Condita ad Consulatum initia.*

XVI. In annum vero Vrbis 245. aut potius neglectis eiusdem anni quatuor postremis mensibus, in annum proximum 246. referendum esse Consulatum omnium primum *Bruti & Collatini* aperte evincitur; ex quo ab aedificata Roma ad creationem Consulum fluxerint anni 244. quibus Reges tenuerunt imperium. Testatur id Titus Livius prope finem lib 1. ubi ait: *Regnatum Romae a Condita Vrbe ad liberatam annos 244. duo Consules inde creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.* Nec Livio adversantur Eutropius, qui libro primo *Breviarii* Romanae Historiae inquit: *Romae regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus*, & Rufus Festus, qui ait, *sub Regibus numerantur ducenti quadraginta tres anni*; quibus & Iornandes subscribit initio Operis de Regnorum ac Temporum successione, quod a verbis hisce sumit exordium, *ab origine Vrbis Romae, & usque ad Tarquinium regem cognomento superbum, qui expulsus est, numerantur anni* 243. non inquam, hi Tito Livio adversantur, quum post Romuli excessum, centum Patres decem decuriis factis inter se partiti fuerint imperium; quod singulis quinquenniis finiebatur, *annuumque intervallum regni fuit*, ut ait praelaudatus Livius lib. 1. cap. 7. Petenti autem quinam fuerint hi Reges, & quot singuli annis regnaverint, ne a Livio discedam, respondeo: *Romulus septem & triginta regnavit annos, Numa tres,*

XVI. *Vnde nam Fasti Consulares exordiantur.*

tres, & quadraginta, ita Livius lib. 1. cap. 8. *Tullius magna gloria belli regnavit annos duos & triginta*, ita cap. 12. *Regnavit Ancus annos quatuor & viginti*, ita cap. 12. *Obiit Tarquinius duodequadrageſimo ferme anno ex quo regnare coeperat*, ita cap. 16. *Servius Tullius regnavit annos quatuor & quadraginta*, ita cap. 18. *Tarquinius ſuperbus regnavit annos quinque & viginti*, ita cap. 23. Habetis ſeptem Reges, & cum interregno unius anni inter Numam Pompilium, & Romulum ſummam annorum 244. quam & Dionyſius Halicarnaſſenſis, & vetuſti alii Scriptores concordiſſime tradunt, qui licet in praedictorum annorum diſtributione aliquantulum diſcrepent, in collectione tamen conveniunt; uno excepto Caſſiodoro, qui in Chronico ad Theodoricum Regem annos tantum 240. ſubducit: ſed Chronicon iſtud *temulentiae* comparat Onuphrius Panvinius, *Farraginem* appellat Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, atque *non magnae rei* illud eſſe monet lib. II. de Hiſt. Latinis cap. 19. Gerardus Voſſius: quae tamen non Auctori aeque litteris & genere nobilitatis clariſſimo, ſed alienorum Scriptorum depravatoribus adtribuenda eſſe puto.

XVII. *Cur poſt Reges eiectos inſtituti fuerint Conſulatus.*

XVII. Cur autem expulſis regibus Conſules moderarentur Romanam Rempublicam, arbitror neminem vel mediocriter in Hiſtoria verſatum latere. Quum enim Tarquinii filius, Sextus nomine, captus libidine Lucretiae, nobiliſſimae matronae ſtuprandae, improboque hoc conſilio ad mulierem Collatiam urbem in finibus Sabinorum veniſſet, ibique poſt coenam, ſopitis omnibus, acceſſiſſet ad dormientem, atque ſtricto gladio, ſiniſtra femineo pectore oppreſſo, & ad mortis metum addita ſuſpicione dedecoris, muliebrem pudicitiam vitiaſſet; quumque Lucretia Romam ad patrem, Ardeamque ad virum nuntios miſiſſet, ut cum Amicis Collatiam ſeſe conferrent, iis advenientibus mulier obortis lacrymis execrabile facinus enarravit, cultroque ſub veſte abdito ad laevam defixo, prolapſa in vulnus cecidit moribunda, & ferro illatum ſibi dedecus expiavit. Tunc igitur Collatinus Lucretiae maritus, & Iunius Brutus eius avunculus, duces atque auctores fuere, ut Populus Romanus ad vindicandam libertatem ac pudicitiam pulſis regibus conciraretur, & in eosdem decoris vindices transferret imperium, ad annum tamen poteſtate coarctata, ne aut mora, aut ſolitudine corrumpi poſſet. Mutato etiam Regum nomine, Romanus Populus *Conſules appellavit pro regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent*, inquit lib. 1. Rerum a Romanis geſtarum cap. 9. Lucius Florus. Percipiet hinc unusquisque cur Anchiſes narraturus Aeneae prolem Troianam, nepotes, & Romae fata, a praeſtantiſſimo Poeta ita loquens nitidiſsima Proſopopoea Aeneid. VI. inducatur,

Vis & Tarquinios Reges, animamque ſuperbam
Vltoris Bruti, faſcesque videre receptas?

Con-

Conſulis imperium hic primus, ſaevasque ſecures
Accipiet; natosque pater nova bella moventes
Ad poenam pulcra pro libertate vocabit.

Percipiet rurſus, cur Annales his verbis auſpicetur preſſioris floridique ſtyli cultor Tacitus: *Vrbem Romam a principio reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* Verum haec ex Romana Hiſtoria primoribus duntaxat labris attingimus.

XVIII. Primum itaque Conſulatum Lucius Iunius Brutus, & Lucius Tarquinius Collatinus geſſerunt, tametſi huic dignitas fuit ſtatim ſublata, ne quisquam in Vrbe, & maxime in Magiſtratu permaneret, qui vocaretur *Tarquinius*, dante operam ipſo Bruto Collatini collega, ut pulſis in exſilium Tarquiniis P. Valerius ſufficeretur: *Brutus*, inquit Livius lib. II. Decadis primae, *ex Senatus Conſulto ad populum tulit, ut omnes Tarquiniae gentis exſules eſſent; collegam ſibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium, quo adiutore reges ejecerat.* Quamobrem iure meritoque Conſulatuum Faſtos, ſacri, profanique Hiſtoriographi omnes a Bruto, & Collatino ſubducunt, quum eorum, qui ſuffecti erant, ab Hiſtoricis nulla, aut vix nulla ratio habeatur. Faſtos autem Conſulum Romanorum digerere, & illuſtrare potiſſimum conati ſunt, praeter Verrium Flaccum, de quo diximus num IV. Magnus Aurelius Caſſiodorus, Ioannes Cuſpinianus, Onuphrius Panvinius, Dionyſius Petavius, Carolus Cointius, Henricus Noriſius, Antonius Pagius, Franciſcus Blanchinius, & Emmanuel Scheleſtratenus; de quibus praeſertim, neque enim de aliis Faſtorum Collectoribus pertractare opus eſt, perutile atque opportunum exiſtimo nonnulla dicere, quibus ad Conſulares Faſtos diiudicandos, ſeligendos, adhibendosque, praeceptiones & adiumenta cuique ſupperant.

XVIII. *Primi omnium Conſules quinam fuerint.*

XIX. Si nobis Faſtos Capitolinos lapidibus inſculptos, ac pretio aeſtimanda illa fragmenta, quae in Capitolii Aedibus Clementis XI. & poſteriorum Romanorum Pontificum munificentia diligentiſsime collecta, & recte diſpoſita conſpiciuntur, fas eſſet quotidie intueri, aut ſaepenumero verſaremus collectum a Cl. Muratorio *Theſaurum veterum Inſcriptionum*; non opus eſſet in Faſtos illos cogitationem intendere, qui in editis voluminibus comprehenduntur. Hos inter commemorandi veniunt *Faſti Idaciani*, ſive editi ab Idacio Epiſcopo Lemicenſi, qui floruit extremis Valentiniani III. temporibus, & Scaligeri, Camilli, Voſsii, aliorumque laudibus celebratur, Idaciani autem Faſti protrahuntur usque ad Conſulatum alterum *Aetii Auguſti*, ideſt, usque ad annum Chriſti 466. eosdemque Faſtos Sirmondus in lucem edidit omiſſa parte magna, quae extat in MSS. integros autem Tom. II. Bibliothecae MSS. inſeruit Labbeus, ambo Societatis Jeſu celebres, & eruditi Presbyteri. In hiſce Faſtis figitur Nativitas Chriſti in Conſula-

XIX. *De Faſtis Idacianis.*

sulatu *Augusti* & *Silvani*, biennio ante Aeram Dionysianam, Christi passio in Consulatu duorum *Geminorum* anno 29. eiusdem Aerae, Martyrium Apostolorum in Consulatu *Neronis*, & *Messalae Corvini* anno Aerae Chr. 58. & excidium Hierosolymitanum in Consulatu *Vespasiani* & *Domitiani*, anno eiusdem Christianae Epochae 77. sed spongia indigent, mendisque innumeris scatent, ut docti omnes fatentur.

XX. *Quaedam aliae Fastorum Consularium Collectiones.*

XX. Circumferuntur & *Fasti Heraclani* Graece editi a Ducangio & Dodwello, ac Latine a Scheleſtratio, quorum initium ab anno Aerae Vrb. 221. finis in Christi anno 630. qui cum ex variis fragmentis sint βαρβαρικῶς concinnati, atque ad annum usque 457. omittant sexaginta Consulum paria, communiter exploduntur, & Heraclio suppositos esse viri complures existimant. Eo in pretio habentur itidem Fasti, Theoni Alexandrino attributi, ac opera Dodwelli, quem paullo supra commemoravimus, luce donati, ab anno 138. usque ad annum 372. progredientes. Sed quid singulos Fastorum Codices adnitor perperam recensere? Conscriptos a Cassiodoro paullo supra laudavi: Editos a Panvinio omnes celebrant: Commentariis illustratos a Ioanne Cuspiniano perpauci ignorant: Collecti ab Antonio Contio exstant post Codicem Iustinianeum: Anonymi ceteris praestantiores habentur Volum II. Operum Henrici Norisii: A Francisco Blanchinio emendati praemittuntur novae Editioni Anastasii: In variis dispersi voluminibus subiiciuntur Operi Chronologico Scheleſtrateni. Age dum, expendamus, quis recte iisdem Fastis utatur, quis illos exacte producat, quis recte annis Christianae Aerae eosdem accommodet.

XXI. *De Fastis Cassiodori.*

XXI. De Cassiodoro, ut priori dicam loco, floruit is Anastasii temporibus, necnon sub Iustino Thrace, & sub Iustiniano, gessitque Consulatum anno Christi 514. Synchronos proinde habuit Dionysium Exiguum, Aratorem poetam, Priscianum Grammaticum, & S. Benedictum Monachorum in Occidente gloriosissimum institutorem. Fasti autem, quos Cassiodorus digessit, a Bruto & Tarquinio usque ad Consulatum Theodorici Gothorum Regis, cui Chronicon a se exaratum nuncupavit, annos 1301. comprehendunt. Non inutile Cassiodori Opus censetur a Sigeberto in Catalogo cap. 40. Sed insanum foret Fastis Cassiodori Capitolinos, aliosque florentioris Aevi praeferre, cum a Cassiodoro digesti ad nos mutilati pervenerint, neque exacte ponant Consulum praenomina, ideoque iisdem Fastis utentes saepe saepius personas confundant, atque in Historia labantur. Quare Cassiodori Fastis emendandis impenderunt operam Guilelmus Fornerius, & Ioannes Cuspinianus: quorum ille fuit antecessor Aurelianensis, iste vero Maximiliani Augusti poeta, medicus, & orator. At quamvis de Cuspiniano scribat Cl. Vossius lib. III. de Histor. Latinis cap. 10. *Hic de Cos. Romanis, atque item de Caesaribus, & Imperatoribus, insigniter*

scri-

commentarium condidit; nihilominus nemo unus eſt, qui Faſtos Cuſpinianos tales exiſtimet, ut eos poſſimus inoffenſo pede percurrere.

XXII. Quid vero de Onuphrio Panvinio, viro Inſtituti noſtri clariſſimo? Is quidem Romanos Faſtos ab V. C. usque ad Neronis obitum ex nummis & ex lapidibus diligentiſſime, & absque ullo vel minimo lapſu concinnavit: at deinceps cognomina Conſulum, quae nuda leguntur apud Caſſiodorum, & Cuſpinianum, volens improbo labore, & incomparabili ſtudio integre exponere, atque idcirco nummos expendens, rudera lapidesque perquirens, & probatorum auctorum ſpervolutans hiſtorias, interdum deſtitutus iisdem praeſidiis, & coniecturis indulgens, falſis characteribus haud paucorum Conſulum praenomina deſcripſit; atque, ut inquit in Epiſtola Conſulari Noriſius, copioſiſſimam quidem meſſem tulit, ſed poſteris plurimas, quas colligerent, ſpicas reliquit. Quamobrem Panvinius, licet a Lipſio, aliisque, *Faſtorum Pater* vocetur, licet tantam librorum optimorum copiam ante annum 39. aetatis ſuae, quo deceſſit, elucubraverit, ut eruditis omnibus admirationi ſit, & honori; licet Caeſar Baronius noluiſſet eo vivente manum conſcribendis Annalibus admovere, niſi S. Philippus Nerius proximae Panvinii mortis praeſcius, monitis & iuſſionibus ei calcaria addidiſſet: non edidit tamen Faſtos adeo puros & expurgatos, ut novae Operum eius editioni, quam meditantur Viri de litteraria Republica benemeriti, addi non debeant notae quaedam & ſtigmata.

XXII. *De Onuphrio Panvinio.*

XXIII. Clariſſimus quoque Baronius usque ad Conſulatum Aurelii Probi, & Ovinii Paterni, id eſt uſque ad annum Chriſti 279. in temporum ſupputatione, & in digerendis Faſtis a veritate aberravit. Quum enim Aeram Chriſtianam biennio anteverterit, eiusque initia ſtatuerit anno Vrb. 752. non vero 754. duos Conſulatus expunxit; nimirum Aemiliani & Baſſi, qui Conſulatum geſſerunt anno Chriſti 259. & Cornelii Saecularis II. & Iulii Donati, qui Conſules fuere anno proximo 260. atque Conſulatum Claudii Taciti, & Fulvii Aemiliani conſignandum anno Chriſti 276. reiecit ad annum 279. quo Conſules prodiere Probus ac Paternus; ac tandem abiecto Conſulatu Probi, & Furii Lupi, quaſi ſuffectus foret, non ordinarius, regiam, ac praetoriam veritatis viam ingreſſus eſt anno Chriſti 280. adtribuens eidem anno proprium legitimumque Meſſalae & Grati Conſulatum. Adite Georgium Hervartum cap. 263. novae Chronologiae, Petavium de Doctr. Temp. lib. XI. cap. 29. & Antonium Pagium ad annum Chriſti 280. num. 3.

XXIII. *De Baronio quid ſentiendum.*

XXIV. Verum quid ſingillatim omnes Faſtorum Illuſtratores commemoro? Erravit & Petavius, tameſi in doctrina temporum exercitatiſſimus, tribuitque Gallieno octo Conſulatus, qui ſeptem duntaxat geſſit; permutavit anno 259. Conſulatum Aemiliani, & Baſſi in Conſulatum Gallieni IV. & Valeriani; expunxit cum Baronio ad annum

XXIV. *Num Faſti apud Petavium emendatiſſimi? Item de Faſtis apud Cointium.*

num 260. Conſulatum Saecularis & Iulii Donati; atque, ut inquit Pagius loco ſuperius citato, num. IV. *Faſtos corrupit, dum emendare voluit*. Erravit & Carolus Cointius, qui cum Baronio Aeram Dionyſianam biennio antevertit, atque ab anno Chriſti 260. Conſulatum Saecularis & Donati, ab anno 305. Conſulatum expungens Galerii Maximiani, & Conſtantii, vagatus eſt uſque ad Imperium Coſtantini Magni, ſive uſque ad annum 306. incertus & errabundus.

XXV. *De Henrico S. R. E. Cardinali Noriſio, & de V. Cl. Antonio Pagio.*

XXV. Duo ſunt, quibus debemus Conſulares Faſtos ad ſplendorem ſuum reſtitutos, Henricus Cardinalis Noriſius, & Antonius Pagius, nomina in litteratorum coetibus praeclariſſima. Noriſius quidem in *Epiſtola Conſulari* idcirco a ſe conſcripta, ut Faſti in lucem editi a Viro Auguſtiniano & Veronenſi, ab altero eiusdem voti & patriae novum ſplendorem acciperent, emendavit illuſtravitque Faſtos a Conſulatu duorum Geminorum, ſive ab anno V. C. iuxta ſupputationem Varronianam 782. & Aerae Dionyſianae 29. uſque ad Conſulatum Alexandri III. & Dionis II. ſive ad annum Chriſti 229. In eadem Epiſtola Conſulari expendit Noriſius accuratiſſime ſex illas regulas, ad quas Pagius in Diſſertatione Hypatica revocandos docet omnes Auguſtorum & Caeſarum Conſulatus, videlicet, *Initium imperii*, *Quinquennalium*, *& id genus Feſtorum celebratio*, *Caeſarum & Auguſtorum in eadem dignitate conſortium*, *Expeditiones militares & reportatae victoriae*, *Triumphi*, *& Ludi ſeculares:* Demonſtratque vir ſummus easdem regulas non paucis, nec levibus obnoxias eſſe difficultatibus; quamquam illis, non ſecus ac polypi & conchae ſcopulo, ſe adhaereſcere profiteatur; id quod amicorum menda corrigendi modus quidam eſt officioſiſſimus ac feſtiviſſimus. In Diſſertatione quoque de *Votis decennalibus*, quae nempe ſingulis decenniis celebrabantur pro incolumitate Reipublicae, magnus Noriſius Conſulares Faſtos a Decio uſque ad Diocletianum Chronologico ſplendori reſtituit; atque in Cenotaphiis Piſanis, in Epochis Syromacedonum, in Diſſertatione de Nummis Diocletiani & Licinii, & ubicumque naſtus eſt loci rerumque opportunitatem, Faſtos emendavit, illuſtravit Chronologiam, atque ubi in controverſiis aliis ceteros plurimos antecellit, in hiſce ſemetipſum vicit ac ſuperavit. Pagius vero Noriſianis animadverſionibus doctior factus, ſingulis annis Chriſtianae Aerae, Faſtos emendatiſſimos adpoſuit, Baronii lapſus, ea aetate tot ſubſidiis deſtituta ſcribenti prorſus inevitabiles, modeſte correxit, & valide refutavit, Conſularibus Faſtis Romanis addidit Byzantinos, & poſt diviſionem Imperii, quae facta eſt ſub Valentiniano & Valente, indicavit qui Conſules in Occidente, qui item in Oriente fuerunt deſignati: ita Noriſius ac Pagius immortalitate digniſſimi promeruerunt, ut ſibi poſteriores Hiſtorici faſces ſubmitterent, adeo ut Ioannes Clericus, vir doctus quidem, ſed tanta ingenii ſui inflatus aeſtimatione, ut ſub Phereponi nomine auſus ſit in Auguſtinum ſtylum acuere cum tanta animadverſionum ſuarum iactantia, ut Oudino quoque,

ce-

ceterisque heterodoxis risum simul & stomachum moverit: Clericus, inquam, initio Ecclesiasticae Historiae, de Pagio ac Norisio scripserit, *Hi nobis in Chronologia praeiverunt.*

XXVI. Commemoravi postremo loco viros alios duos Reipublicae Litteratorum notissimos, Emmanuelem a Schelestrate, & Franciscum Blanchinium. Apud utrumque emendatos Fastos perlegimus. Et Schelestratenus quidem illos produxit Dissert. I. ab anno 49. ante Aeram Vulgarem usque ad annum 43. eiusdem Aerae, quo fertur Petrus Romam venisse, adiectis annis Olympiacis, & Iulianis, Romanorumque Imperatorum ex Latinis Scriptoribus, Regum vero Iudaeorum ex Flavio Iosepho. In altera Dissertatione ab anno 1. Aerae Vulgaris, usque ad annum 566. quo obiit Iustinianus, seriem Chronologicam, & Consulares Fastos protraxit. Pari diligentia, & eruditione concinnavit Chronologiam Consularem Blanchinius: tametsi nonnulli aegre ferant, quod ab anno Christi 14. Consulatum Sexti Pompeii & Sexti Apulei amoverit, ut Consulatum Geminorum alligatum anno 29. in praecedentem annum retraheret, & gravissimas difficultates, quae occurrunt definientibus annum Dominicae Passionis, facili negocio dissolveret. Verum de hac re dicam alibi.

XXVI. *De Emmanuele a Schelestrate; & Franc. Blanchinio.*

XXVII Interim cum difficillimum sit memoria tenere omnia Consulum paria, non abs re erit celebriora quaedam interdum repetere, quibus designantur Epochae illustriores. Sit in exemplo; Herodes Magnus declaratus fuit rex a Romanis anno V. C. 714. Cos. Domitio Calvino, & Asinio Pollione. Obiit anno Vrb. 751. Cos. Cornelio Lentulo & Valerio Messala. Iulius Caesar trucidatus fuit anno V. C. 710. dum idem Caesar quintum ageret Consulatum. Augustus post pugnam Actiacam absque competitore coepit regnare anno V. C. 723. dum tertium gereret Consulatum cum Valerio Messala nuperrime laudato. Christus sententia nostra natus est anno Vrb. 749. Cos. Augusto Caesare XII. & L. Cornelio Sulla. Aera Dionysiana incipit ab anno V. C. 754. Cos. Caio Caesare, & L. Aemilio Paullo; Salvator affixus est cruci anno 29. eiusdem Aerae Cos. Fufio Gemino, & Rubellio Gemino; Hierosolymitanum excidium contigit anno Christianae & Vulgaris Aerae 70. Cos. Vespasiano Augusto II. & Tito Caesare. Consulares Fasti incipiunt ab anno V. C. 246. quo expulsis Regibus Consulatum indepti sunt Brutus & Collatinus, ac desinunt anno Christi 566. quo anno post Consulatum Basilii XXV. Iustiniano successit Iustinus Iunior; quamquam Fasti Heracliani, ut dicuntur, de quibus supra num. xx. protrahantur usque ad annum Christi 630. sed nullo post annum 566. speciali Consulum nomine designato. Hactenus vero de Fastis.

XXVII. *Quaedam Consulum paria singillatim notanda.*

XXVIII. Puro ad Epocham Caesaris Augusti definiendam satis non esse quae praemissa sunt de annis ab Vrbe Condita & de Fastis Consulum Romanorum, nisi quaedam de Iulio Caesare, a quo ad Au-

XXVIII. *Iulii Caesarum primi familia.*

Auguſtum pertranſiit imperium, breviter praemittantur. De Iulii Caeſaris familia diſſerere mea non intereſt. Scio, Caeſarem ipſum in Oratione, quam habuit pro roſtris in funere Iuliae amitae ſuae, maternum genus a Regibus, paternum a Venere deduxiſſe: ait enim, *ab Anco Marcio ſunt Marcii reges, quo nomine fuit Mater: a Venere Iulii, cuius gentis familia eſt noſtra;* quam opinionem ſuadent quoque nummi in Iulii Caeſaris honorem *caput Veneris* exhibentes apud Patinum in Numismatibus Imperatorum pag. 18. & in Romanis Familiis pag. 124. adoptavitque Caius Sueionius in *Iulio* cap. 6. Scio quoque a Iulo Aeneae filio familiam *Iuliam* profectam exiſtimari, & ab Appiano, cuius lib. II. haec ſunt verba, ἐκ γὰρ Αἰνείου, καὶ Ἰουλίου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, & a Velleio Paterculo Lib. II. Hiſtor. ubi ait, *Hic nobiliſſima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus;* & a Virgilio, qui in 1. Aeneidum inquit,

Neſcetur pulcra Troianus origine Caeſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Iulius a magno demiſſum nomen Iulo.

At perpauci ſunt inter Reges, quorum nimium non extollatur, perpauci rurſus in plebe, quorum nimium non deprimatur origo; & ſunt Hiſtoricis viri principes filii Caeli, Deorumque immortalium; pauperculi vero cum Tagete ex aratro & ſulco terrae exiterunt.

XXIX. *Quando Iulius Caeſar arripuerit imperium.*

XXIX. Qualiscumque fuerit Iuli progenies, & unde prodierit Caeſaris appellatio, ſive a capillorum caeſarie, ſive ab oculis felineis & caeſiis, ſive a caeſo dilectoque in eius nativitate parentis utero; Iulius Caeſar primum Flamen Dialis, deinde Tribunus militum, poſtea Quaeſtor, tum ex plebiſcito Aegypti imperator, Conſul poſthac cum Vivulo, initoque adverſus Pompeium bello pluribus victoriis onuſtus, devictis Gallis, Picaeno, Vmbria, Etruria occupatis, traiecto Rubicone, de quo & nunc Caeſenates & Ariminenſes decertant, atque poſt multa diſcrimina in acie Pharſalica devicto Pompeio, Romanae Reipublicae libertatem evertit, & ſumma cum poteſtate arripuit imperium, conſecutus tandem eam dignitatem, quam tam cupide deſiderabat, ut ſemper in ore haberet, quemadmodum Lib. III. de Off. inquit Marcus Tullius, illud Euripidis in Phaeniſſis, Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, videlicet, *Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt.* Imperium Iulii Caeſaris inchoandum eſt ab anno V. C. 706. & ante Chriſtianam Aeram 48. quo ipſe Caeſar Conſulatum iniit cum P. Servilio Iſaurico: hoc enim anno vertente, *cum ſegetes prope maturae eſſent*, ut inquit idem Caeſar Lib. III. de Bello civili, contigit Bellum Pharſalicum, in quo cum Pompeio extremo bello congreſſus, victoriam retulit praeclariſſimam. Ac praeter ipſius Caeſaris teſtimonium, hoc imperii exor-

exordium celebrant Lib. II. Paterculus, Suetonius cap. xxxv. Dio Caſſius Lib. XLI. prope finem. Cohaeret cum eadem Epocha Pompeii interitus: hunc enim bello fractum, & profugum in Aegyptum, apud Peluſium, quam Vrbem Aeliopolim quoque, & Damiatam vocant Geographi, occidit in navicula idemmet Ptolomaeus, cuius patrem Pompeius ipſe in eam regionem, & regnum induxerat; ceciditque inopinata clade Vir Magnus, & olim Agamemnonis cognomentum adeptus, recurrente ea die, qua de Mithridate & pyratis glorioſiſſime triumphaverat, cum paullo antea Conſulatum iniiſſent Fuſius Calenus & P. Vatinius, nimirum ſub initia anni Vrb. 707. ante Aeram Chriſtianam 47. Cohaerent dictis quae eodem anno Vrb. iisdem Coſs. ad vindicandam Pompeii mortem (cuius abſciſſum caput intuitus illacrymavit, & honeſte humandum aliis dedit) in Aegypto geſſit Caeſar, necnon auxilia illi ab Hircano & Antipatro collata, quorum cauſa Herodi adhuc adoleſcenti Galilaeam curandam commiſit, ut dixi in dilucidandis Epochis Herodianis. Cohaerent demum quae de nece eiusdem Caeſaris narranda reſtant, poſtquam de anno *Iuliano* nonnulla praemiſſa fuerint.

XXX. Memorato anno Vrb. 707. ante Aeram Vulgarem 47. incepit a Calendis Octobris annus *Confuſionis*, qui habuit dies 445. tanta enim perturbatione annorum ſeries progrediebatur, ut interdum Ianuarius initium duceret ab aliqua die Octobris. Quare Iulius Caeſar ad Calendarii correctionem animum adiecit: quod & praeſtitit intercalatis menſe Februario diebus viginti tribus, atque duobus menſibus intercalariis dierum ſexaginta ſeptem, Novembrem inter ac Decembrem interiectis, ita, ut annus *confuſionis* ab anno Vrb. 707. ad finem vergente ad exitum anni 708. decurrens fuerit quindecim menſium, unde Suetonius in Iulio cap. 40. *Annum*, inquit, *ad curſum Solis accommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur*. Intercalare Latinis nil aliud eſt, quam interſerere, ſive interponere. Non Suetonius tantum, ſed & Iulius Solinus cap. 3. & & Dio lib. LXIII. & Macrobius lib. I. cap. 14. & Cenſorinus cap. 20. aliique plurimi de hac Iulii Caeſaris correctione pertractarunt; omniumque teſtimonia produxit lib. IV. de Doctr. Temp. cap. I. Dionyſius Petavius; a quo tam eo loci, quam lib. X. cap. 61. eiusdem elaboratiſſimi Operis, necnon in Animadverſionibus ad Epiphanium H. 51. adeo accurate, adeo exacte Iuliana Emendatio explicata eſt, ut iure ac merito praeſtantiſſimus Pagius in Appar. Chronologico num. 64. lectorem ad legendum Petavium remittat. Verum, quia Epocha primi anni Iuliani, ut inquit praecitato cap. 61. Petavius, *certiſſima teſtatiſſimaque eſt*, doctique omnes primum annum Iulianum ſtatuunt in anno Vrb. 709. quo Caeſar Conſulatum iniit quartum, propterea quod idem annus proxime alterum, qui dicitur *confuſionis*, fuerit ſecutus; & quia, ſi quid circa Dictaturam, Patris Patriae agnomen, aliaque Iu-

XXX. *De anno Confuſionis, & emendatione a Iulio Caeſare facta.*

lii Caesaris decora, & praefecturas ambiguum & in controversia positum foret, ad institutum nostrum non attinet: ea propter satis est praenotare, ipsam primi anni Iuliani Epocham praeire Dionysianae, figendae in anno Vrb. 754. interiecto spatio annorum 45. & consequenter primum annum Vulgaris Aerae unum eumdemque censendum esse cum anno 56. Iuliano.

XXXI. *De Iulii Caesaris nece.*

XXXI. Anno post Calendarii emendationem V. C 710. dum ageret quintum Consulatum cum Antonio, interiit Caesar vulneribus tribus & viginti confossus. Occisum hoc anno evidenter colligimus ex Suetonio cap. 81. Paterculo lib. II. Dione lib. XLIV. aliisque omnibus Historicis eius mortem referentibus ad annum nuperrime commemoratum, dum Caesari M. Antonius esset in Consulatu collega, Idibus mensis Martii. Idem erumus ex intentata etiam Antonio caede, a qua tamen interfectores abstinuerunt, ne calumniae de se locum praeberent, quasi dominationis, non libertatis causa in Caesarem irruissent; ex animo coniuratorum proiiciendi occisi corpus in Tiberim, nisi prohibuisset Antonii Consulis metus, atque ex recitato Idibus Septembris Caesaris testamento in domo eiusdem Consulis, Vestali Maximae demandata: & insuper annum eumdem emorrualem deprehendimus ex brevi tempore, quo Iulius Caesar post Pharsalicum bellum regnavit, exactis a morte Pompeii tribus duntaxat annis, paucisque mensibus, ut scribit quoque lib. XIV. cap. 17. Antiq. Iud. Flavius Iosephus, necnon Ausonius hoc Tetrasticho:

Imperium, binis fuerat solemne quod olim
Consulibus, Caesar Iulius obtinuit.
Sed breve ius regni, sola trieteride gestum,
Perculit armatae factio saeva Togae.

XXXII. *Num interfectores Caesaris laudandi?*

XXXII. Capita huius factionis fuerunt M. Iunius Brutus, cui in se irruenti Caesar Graeca lingua dixisse fertur, Καὶ σὺ εἰ ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον; & Cassius filius Iuniae sororis Bruti. Varia de parricidis Scriptorum iudicia, atque ut verbis utar Taciti in 1. Annal. *visum est aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus.* Fuere qui apud Plutarchum in *Bruto*, huius perfidiam exculârunt proloquio illo politicorum, πρὸς τυράννους οὐδ' ἔνορκον, *Nulla cum Tyrannis iuris iurandi religio*: Florus lib. IV. commendat quod Brutus moriens efflavit, *Quanto efficacior est fortuna, quam virtus!* Dio lib. XLVII. narrat cusos Bruti nummos cum pileo & duobus pugionibus, & cum inscriptione, qua significabatur patriam a se & a Cassio vindicaram in libertatem, cuius generis nummum unum producit Patinus in Familia Iunia; quemdam & nos vidimus in vetustissima Cortonae Vrbe in Cimeliis nobilissimi & eruditissimi viri: & Lucanus prope finem Pharsaliae ita de Pompeio loquitur,

Dum patrii veniant in viscera Caesaris enses,
Magnus inultus erit . . . . . .

At

At parricidium a Bruto & a Caſſio patratum ad quaerendam potius ſibi potentiam, quam civibus libertatem, ſcribit Plutarchus in *Bruto*: malo conſilio peractum demonſtrat lib. II. de Benef. cap. 20. Seneca: huius temeritate ablatas omnes Bruti virtutes, ait Paterculus lib. II. cap. 72. punitum denique infelici auctorum exitu, teſtatur Caius Sueronius Tranquillus his verbis: *Percuſſorum autem fere neque triennio quisquam ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars proelio; nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Caeſarem violaverant, interemerunt.* Iamvero cribremus dicta, hiſtoriisque neglectis, ſecernamus quae inſerviunt Chronologiae. Iulius Caeſar Pompeium extrema pugna ſuperavit anno V. C. 706. ante Aeram Chriſtianam 48. annum ad ſolarem cyclum redegit anno Vrb. 708. ante Aeram Chriſtianam 46. annorum Iuliani conſtituit initia anno Vrb. 709. ante Aeram Chriſtianam 45. interfectus fuit a coniuratis anno V. C. 710. ante Aeram Chriſtianam 44.

XXXIII. *De Iulii Caeſaris Apotheoſi.*

XXXIII. Poſt Epocham anni primi Iuliani, & mortis necisque Caeſaris, de huius apotheoſi diſſertationem inſtituo, quod ſicut illa ad Chronologicas controverſias, ita haec nonnihil conferat ad ſuam eruditionem. *Apotheoſim* autem dico ſolemnem illam conſecrationem, qua ſuperſtitionibus vigentibus praeſtantes viri inter Deos referebantur, nullumque ignorare puto vocabuli derivationem ab ἀποθεόω, quod eſt, *accenſeo in Deorum catalogo*: unde Tertullianus cap. 34. Apologetici ait, *Maledictum eſt ante apotheoſim Deum Caeſarem adpellare*. Quare arbitror Eccleſiaſticum illum ritum, quo viri eximiae virtutis adſcribuntur Sanctorum Faſtis, quum iis decernatur cultus *latriae* minor, potius barbara receptaque voce *canonizationis*, quam elegantiori *apotheoſis*, etiam a cultoribus latinitatis eſſe appellandum; virosque illos heroica virtute praeditos *Sanctos* potius, quam *Divos*, ad obtundenda ora haereticorum, qui aiunt eodem loco a nobis haberi beatorum ſpiritus, ac haberentur a Gentibus Conſentes, allectique Dii, ac Penates, Lares, Heroes, aliique in albo Deorum adſcripti. Recte idcirco Prudentius librum, in quo de Divinitate myſteriisque pertractat, *Apotheoſin* inſcripſit, alterum vero in quo agit de Martyribus περὶ στεφάνων. Sinamus itaque ab idololatris Iulium Caeſarem *Divum* dici, eiusque conſecrationem ab Herodiano *apotheoſin*; quum ille, auctore Suetonio cap. 88. *in Deorum numerum relatus fuerit, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi.*

XXXIV. *Caeſar inter Deos relatus ob apparitionem Cometae.*

XXXIV. At, quaeſo, undenam huiusmodi perſuaſio? Decreverat Iulius Caeſar ante bellum Pharſalicum celebrare ludos inſtitutos ob perfectam Aedem Veneris, a qua originem familiae ſuae auſpicabatur: at cum id bellis diſtentus non perfeciſſet, poſt eius obitum Auguſtus eosdem ludos agi curavit propriis ſumtibus, tan-

quam ad se ratione generis pertineret, ad captandam populi gratiam, suique grati animi erga avunculum significationem omnibus exhibendam. Quid tunc evenerit narrabo verbis Dionis lib. XLV. *Quotidie* (inquit Xylandro interprete) *Stella quaedam inter Septentrionem & Occasum apparuit, eamque cometen vocantes nonnulli, ea portendere dicebant, quae alias huiusmodi signum sequi consueviſſent; creditum quidem hoc a plebe est, sed tamen Caesari eam, immortalitatem nimirum iam adepto, inque siderum numerum allecto, sacram esse dixerunt.* Suetonius item cit. cap. 88. *Siquidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est animam esse Caesaris in Caelum recepti;* ac Ovidius postremo Libro Metamorph.

Caesar in Vrbe sua Deus est: quem marte togaque
Praecipuum, non bella magis finita triumphis,
Resque domi gestae, properataque gloria rerum
In sidus vertere novum, stellamque comantem,
Quam sua progenies . . . . . .

Itaque ob apparitionem cometae creditum est, Caesaris animam in Stellam transmigrasse: ob id illius simulacrum addita ad verticem stella crinita collocatum fuit in Templo Veneris: ob id nummus Caesaris apud Occonem Mediobarbi exhibet cometam, & inscriptionem DIVVS IVLIVS: ob id Iulio Caesari sacrificatum, omnesque divini honores collati. Quae omnia contigerunt ex Dione citato lib. XLV. *Consule Antonio*, idest, ante exactum annum Vrb. 710. & quadragesimo quarto ante Aeram Dionysianam.

XXXV. *Quare veteres in stellis cometisque Heroum animos latere putaverint.*

XXXV. Non miror adeo desipuisse Romanos, ut animam Caesaris in sidus versam putarent, posteaquam etiam apud Philosophos praestantissimos pervaserat Pythagorae opinio de transmigratione animarum, sive de illo transitu ab uno in aliud corpus, quem Graeci μετεμψύχωσιν vocant, novator autem vocabulorum Tertullianus appellat *Recidivatum*. Nec iniuria absurdam opinionem illam Pythagorae adtribui: quum narret de illo Laertius, ad quemdam dum catulum verberaret dixisse,

Παῦσαι, μηδὲ ῥάπιζ' ἐπεὶ φίλω ἀνέρος ἐστὶ
Ψυχὴ, τὴν ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων.

quod ita Latine verterunt,

Desine, ne miserum caedas, nam carus amici
Est animus, quod vox indicat ipsa mihi.

A Pythagora ad Aegyptios persuasionem illam manasse affirmat Photius Bibl. C. 1004. ad Stoicos omnes pertransiisse docet lib. III. cap. 18.

cap. 18. Lactantius; eadem antiquos Germanos fuiſſe imbutos tradit Appianus in Celtico; eademque etiamnum laborare Indos ac Brachmannos, omnesque Manichaeorum reliquias, nemo prorſus ignorat. Romani autem Flamines, aliorumque idololatrarum Myſtae, ut rudibus imponerent, & commonſtrarent Heroum animas evolare in Caelum, ſuumque aſtrum ſubire, dum in apotheoſi flamma lignorum ſtrui, aut pyrae ad cremanda cadavera paratae ſubiiceretur, e penetralibus Aquilam in aerem liberam emittebant, aut e rogi faſtigio Pavonem Iunonis avem. Verum haec in conſecratione Caeſaris praetermiſſa; propterea quod ſtellae crinitae apparitio iam rudioribus perſuaſerat eo fulgore circumdatam Iulii animam ad ſidera convolaſſe.

XXXVI. Verum eccur in ſidus potius migravit Caeſar, quam frutice aut ſquammis ſeſe induerit, exemplo auctoris huius deliramenti, qui apud Tertullianum libro de Anima cap. 15. dicere conſuevit, *Thamus & piſcis fui?* Hinc arbitror fuiſſe cauſam. Obſervarunt veteres a religione aberrantes, aſtra perpetuo certiſſimoque motu circumferri, idque mentis, rationis, ac divinitatis notam crediderunt, Deosque, ſi fides habenda eſt Platoni, ab eo, quod eſt θέειν, hoc eſt, τρέχειν, *circumagi*, principio appellarunt: ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θέειν, θεοὺς αὐτὰς ὀνομάσαι, inquit illuſtris philoſophus in *Cratylo*. Hinc apud Homerum in Lib. 1. Iliad. *Dii ſimul omnes ſequuntur Iovem*, ideſt, Stellae Solem: hinc Aegyptii Iſidem in Lunam, Oſiridem in Solem tranſiiſſe putarunt: hinc Phoenices regem ſuum Cronon in Stellam, quam Graeci τὸν Κρόνον dicunt, Latini *Saturnum*: hinc, ſi fabulis eſt indulgendum, Hammon in Arietem, Aſtarte in ſtellam Veneris, & Ledaei iuvenes Caſtor & Pollux verſi fuerunt in Geminos, ac ſunt ii, de quibus lib. 1. Ode 3. Venuſinus Horatius,

XXXVI. *Eccur in cometam Caeſar crederetur tranſmutatus?*

Sic fratres Helenae lucida Sidera.

Pari ſtultitia cometae, qui ſtellae cincinnatae dicuntur a Tullio in Lib. II. de Nat. Deor. relati ſunt inter numina, admirantibus cauſarum ignaris hoc ſtellarum genus in ſummo aere apparere, ac ſe ab hominum conſpectu ſubducere; cumque crederentur aliquid praenuntiare, invaluit apud nationes opinio, eosdem Cometas Deos eſſe, humanarum rerum praeſcios, conſciosque fatorum. Ita ergo Stellam crinitam Romani animam Iulii Caeſaris crediderunt.

XXXVII. At nil ineptum magis, nil magis inſanum potuit excogitari. Nam Cometas nil eſſe aliud, quam aut contingentes concretiones ex pinguis materiei partibus bene compactis, quae in Aeris regione ſuprema incenduntur, ut viſum eſt Ariſtoteli; aut corpora ſive in vorticibus ſtellarum fixarum, ſive in propria ſphaera innixo condita, ſuisque cincta atmoſphaeris, & quibus ex refractione nubium cuivatutae ad inſtar comarum accedunt, ut Neotericis magis placet,

XXXVII. *Perſtringitur Idololatrarum inſania.*

ante immenſam copiam Philoſophorum recentiorum tradidit Romanis Seneca lib. VII. Nat. Quaeſt. cap. 22. Denuntiari etiam cometis ut plurimum aliquid triſte, non vero gloriam Deorum immortalium, docuerunt in lib. II. de Nat. Deor. M. Tullius, Tacitus lib. II. Annalium, Plinius lib. II. cap. 25. Suetonius in *Nerone*, aliique permulti: id vero ob impetum quem imprimunt aetheri, ob ſiccitatem terrae, ventorumque vehementiam, & ob edulia idcirco depravata & corrupta, contingere demonſtrat naturalis philoſophia. Quamobrem cometae exitiales, lethalesque dicuntur, itemque diri in primo Georgicon, ubi legimus:

Non alias Caelo cecidêrunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſêre cometae.

Hinc vero ſatis apparet Romanorum inſania, qui in ſtella crinita venerati ſunt immortalem Caeſaris animam.

XXXVIII. *Aliorum quorumdam errores.*

XXXVIII. Quid Romanos commemoro? Etiam Ioannes Bodinus, cuius apud Petrum Bayle, & Aegidium Menagium exſtat praeclarum illud elogium,

Iani Bodini Gallicam Rempublicam
Qui viderit maius nihil fatebitur
In erudita luce priſci ſaeculi.
Gallis hic, olim quod Quiriti Tullius.

Bodinus, inquam, in *Theatro Naturae* auſus eſt ſcribere: *Democriti ſententia in mentem mihi recurrit, ut exiſtimem Cometas eſſe illuſtrium virorum mentes, quae poſteaquam innumerabilibus ſaeculis viguerunt in terris, tandem obiturae, ut omnia quae oriuntur occaſum minantur, extremos peragant triumphos, aut Caelum ſtellatum quaſi in ſplendida ſidera revocantur: ac propterea ſequuntur fames, morbi populares, civilia bella, quaſi civitates ac populi ducibus illis optimis & gubernatoribus, qui divinos furores placabant, deſtererentur.* Baſnagius item ad annum 5. ante Aeram Chriſtianam num. 56. inquirens quid portenderit Stella, quae Magos duxit ad Chriſti incunabula, ait ſtellas deſignare regiam dignitatem, & ideo Chriſtum dici in Apocalypſi 22. *Stellam ſplendidam & matutinam*; atque num. 24. praenuntiatum fuiſſe illo Balaam vaticinio, *Orietur Stella ex Iacob*, producitque ad hoc comprobandum, quae ſupra de Iulio Caeſare in Stellam comatam verſo, ex Suetonio, & Ovidio praemiſimus: in quibus verum eſt quod Baſnagius affirmat de vaticinio, & de ſigno; quod autem narrat de Caeſare, commentitium & fabuloſum. Demum nonnulli apud eruditiſſimum virum Auguſtinum *Calmet* in Diſſert. de Magis, exiſtimarunt Stellam illam, quae poſt Caeſaris mortem apparuit, natum in Bethlehem Caelorum regem demonſtraviſſe. Ceterum & id ad fabulas amandandum. Enimvero cum

Stel-

Stella nuper laudata naſcente Domino apparuerit anno V. C. 749. ſive, ut quibusdam Patribus, ſacrarumque litterarum Interpretibus viſum eſt, ante biennium, & anno Vrb. 747. crinita autem Iulii Caeſaris praefulſerit anno V. C. 710. Antonio Conſule, inter unius, & alterius ſideris apparitionem, anni trigintanovem, aut ſaltim anni trigintaſeptem interceſſerunt. Haec autem de Iulii Caeſaris apotheoſi, & de comete, qui tunc temporis ſplendorem emiſit, dicta ſint modo.

XXXIX. Iulii Caeſaris caede & apotheoſi narratis, ad Epocham tandem Auguſti Diſſertatio noſtra deſcendit; ac primum in anno, quo natus eſt, aliquantulum commorabitur. Nequeunt enim exacte definiri poſterioris aetatis tempora, niſi aperte commonſtrentur initia. Itaque Caeſarem Auguſtum natum fuiſſe *Coſs. Cicerone & Antonio* affirmat Suetonius in *Octavio* cap. 5. his verbis: *Natus eſt Auguſtus M. Tullio Cicerone & Antonio Coſs. IX. Kal. Octobris paullo ante Solis exortum*. Incidit praedictus Conſulatus in annum V. C. 691. quo revera Caeſarem Auguſtum in hanc mortalem lucem editum evincunt proxima monimenta. Primum depromitur ex illuſtrium Scriptorum, qui Suetonio conſentiunt, auctoritate: nam Velleius Paterculus lib. II. inquit, *Conſulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno D. Auguſtus ab hinc annos* 82. *omnibus omnium gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem*. Aventinus item in 1. Annalium de Velleio ait: *Scripſit ſexto imperii Tiberiani anno*: (tametſi alio tempore ſcripſiſſe Velleium ſententia eſt noſtra, num. LII. commonſtranda.) Sextus autem annus Tiberii eſt viceſimus Aerae Dionyſianae, & V. C. 773. octogeſimus ſecundus ab anno ſexcenteſimo nonageſimo primo: Petitur momentum alterum ex inſigni inſcriptione marmoris Narbonenſis, in quo praeſcribitur ſacrificium ſingulis annis in honorem Caeſaris Auguſti faciendum, cum hac expreſſiſſima diei nota, *IX. Kal. Octobris, qua die eum ſaeculi felicitas orbi terrarum rectorem edidit*: ex quo lapide etiam colligimus ſcriptum aurea aetate *ſaeculum* cum diphthongo, & *Kalendas* cum K. ſecus ac videatur plerisque recentiorum. Accedit momentum tertium illinc depromptum, quod Auguſtus anno V. C. 754. primo Aerae Dionyſianae, exegerat annum aetatis ſuae ſexageſimum tertium, quem *climactericum* dicunt, quemadmodum Diſſert. II. Cenotaph. Piſ. cap. 13. demonſtrat Cardinalis Noriſius ex fragmento epiſtolae eiusdem Caeſ. Auguſti ad Caium, quod exſtat apud Gellium lib. XV. cap. 7. ubi haec leguntur: *Ave mi Cai, meus ocellus iucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero cum a me abes; ſed praecipue diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem ubicunque hoc die fuiſti, ſpero laetum, & valentem celebraſſe & quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum evaſimus*. Atque hinc eruimus, primum Aerae Dionyſianae annum eſſe aetatis Octavii, ſive Auguſti ſexa-

XXXIX. *Quo anno natus C. Auguſtus?*

ſexageſimum quartum, & commemoratam epiſtolam fuiſſe datam ad Caium in Orientem adverſus Parthos pugnantem, die vicesima tertia Septembris. Poſtremum momentum innititur anno C. Auguſti emortuali, quem conſignandum anno Vrb. 767. quando Conſulatum *duo Sexti* gerebant, & idem Auguſtus expleverat annum aetatis ſuae ſeptuageſimum ſextum demonſtrabimus paullo infra: enimvero ſi ab anno 767. detraxerimus annos 76. reſiduus erit annus Vrb. 691. quem proinde fuiſſe annum Auguſti natalem, compertum habemus productis hactenus munimentis.

XL. *De C. Auguſti genere.*

XL. Poſt natalem Auguſti annum, genus breviſſime inveſtigabo. Gente *Octavia* Velitris natum Auguſtum Hiſtorici affirmant omnes, patre Octavio, matre Attia filia Iuliae ſororis Iul. Caeſaris, atque infantem vocatum *Caepiam* inquit initio lib. XLV. Dio Caſſius; cognomen habuiſſe *Thurini* ait cap. 7. Suetonius Tranquillus. Gens Octavia a plebe in patricias per Iul. Caeſarem transducta fuit: & Attii quoque plebeii fuerunt, neque gradum Praeturae exceſſere. Attiorum cognomina fuiſſe Varros, Balbos, & Paullos, docet noſter Panvinius: addendi ſunt ex nummis Labieni, atque hos inter, qui cum Pacoro adverſus Romanos bella geſſit, cuius memini in Epocha Herodiana num. XIII. Is enim Caſſii & Bruti commilito antea fuit, & poſtea cum barbaris potius vivendum ratus, quam pereundum in patria, confecta pecunia famisque exſpoliatis, *Parthicum imperatorem* ſeſe nominavit: quod & Dio ſcribit lib. XLVIII. & confirmat vetus in nummis inſcriptio, Q. LABIENVS PARTHICVS IMP. apud Patinum Fam. Rom. pag. 40. Virgilius, ut Auguſto ſuppalparetur, eiusque matris Attiae genus antiquiſſimum demonſtraret, Atyn omnium Latinorum parentem ac principem dixit in V. Aeneidum, ubi ait:

Alter Atys, genus unde Atyi duxere Latini;
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.

Contra quae de Auguſti genere plebeio & humili enuntiabant M. Antonius, & Caſſius Parmenſis, legi poſſunt apud Suetonium cap. 4.

XLI. *Prodigia, quae de Auguſto narrat Dio Caſſius.*

XLI. Dum haec praetermitto, memoriae occurrunt quae de Auguſto Lib. Hiſtor. XLV. litteris mandavit Dio, Aii matrem eius Attiam, cum obdormiſſet in templo Apollinis, viſam eſſe cum Dracone coire, & antequam partum ediditſet, dormientem Octavium, ipſius virum imaginatum Solis radios ex coniugis utero prodiiſſe. Addit Nigidium Figulum ea tempeſtate, qua Auguſtus prodiit in lucem, ſpectata omni Caelorum ac ſiderum deſcriptione, puerulo vaticinatum fuiſſe imperium, & obviam factum Octavio ſerius ad Senatum venienti, dixiſſe, *Dominum nobis genuiſti*. Scribit rurſus Ciceronem in ſomnis vidiſſe puerum e Caelo in Capitolium aurea catena demitti flagellis a Iove acceptis; ac poſtridie in eum, quem

quem nondum viderat, forte fortuna incidiſſe, eumque ex inſomnii imagine agnitum, cunctis, qui aderant, demonſtraſſe. Similia itidem contigiſſe Catulo, quem Dio utique non ſcribit quinam fuerit, ſed puto fuiſſe Quintum Lutatium Catulum, appellatum a Plutarcho Κάτλον Λυτάτιον, & magnopere laudatum a Tullio in *Bruto*; ſiquidem congruit ratio temporis, quum Catulus iſte geſſerit Conſulatum cum Mario anno V. C. 652. ac potuerit adhuc vitam agere anno 691. quando Auguſtus prodiit in huius luminis auras.

XLII. Nunc de oſtentis prodigiisque iſtis, ne quis legendo quae profani Scriptores ad numina regesque ſuos extollendum recenſuere, audeat iſta patratis in Religione noſtra ſignis aequiparare, operae praetium eſt inſtituere orationem. Ac principio nemo eſt, qui antilogias, & pugnantes invicem narrationes non deprehendat, dicente Attia ſe peperiſſe filium *Apollinis*, aſſerente Nigidio generatum hunc ab *Octavio*. Deinde ſingulis notum eſt, quot fabellas ad ſtupra occultanda nectere ſolent mulieres; quarum una, ne aliunde, quam a Romana Hiſtoria, petamus exempla, Rhea Sylvia ab Amulio inter Virgines Veſtales detruſa, atque ab aedituo vel a ſacerdote vitiata, ad dedecus evitandum illatam ſibi a Marte vim affirmavit: quod nec Romanarum Hiſtoriarum Scriptores Ethnici verum eſſe putarunt, ſcribente Livio Dec. I. *Vi compreſſa Veſtalis . . . . Martem incertae ſtirpis patrem nuncupat*: Pompeio Trogo lib. XLIII. Epitomes, *Duos pueros incertum ſtupro, an ex Marte conceptos, enixa eſt*; & Sexto Aurelio Victore non ſtuprum ſolummodo, ſed & incertam Rheae maculam ita enarrante in libro, cui titulus, *Origo Gentis Romanae: At vero Marcus Octavius, & Licinius Macer tradunt, Amulium patruum Rheae Sacerdotis, amore eius captum nubile Caelo, obſcuroque aere, cum primum illuceſcere coepiſſet, in uſum ſacrorum aquam petenti inſidiatum, in luco Martis compreſſiſſe eam, tum exactis menſibus geminos editos.* Praeterea inſanum eſt velle finem Attiae ſomnia narranti adhibere: excitant quippe ſomnia ſpirituum obſtructiones derivatae ab humore craſſo dormientium cerebrum occupante, quarum cauſa fibrae, quibus affectio ab exteriori ſenſu ad interiorem traducitur, minus expeditae redduntur, reliquae munere ſuo defungentes, aut bilis, aut ſanguinis, aut pituitae, aut vaporis alterius appulſu & affrictu phantaſmata gignunt, necnon agitatione ſpirituum adeo nervos fibrasque motibus famulantes commovent, ut interdum dormientes loquantur, ambulent, iactent brachia, gladios arripiant, eo prorſus modo, quo Gallus gallinaceus exagitaris ſpiritibus cerebro incluſis, ſtatis per noctem horis, excutitur, & laterum plauſu, atque alarum iactatione cantat; ut ait Ovidius Lib. I. Amorum, Elegia 6.

XLII. *Quanti oſtenta huiusmodi ſint exſtimanda.*

Inque ſuam miſeros excitat ales opus.

XLIII.

XLIII. *Serpens Aeſculapii ſymbolum.*

XLIII. Attiam itaque, Tullium, Catulumque, ſomniantes, non admirabimur magis, quam gallum criſtatum; ab eodemque gallo aliud momentum petendum erit inſomnia Attiae irridendi. Enimvero gallus, quem Aeſculapio mactabant, in memoriam meam revocat, deliraſſe mulierem, quae dum putaret ſe a ſerpente compreſſam, inferentem ſibi ſtuprum potius *Apollinem* credidit, quam *Aeſculapium*: nam Romanos in angue Aeſculapium ipſum veneratos fuiſſe conſtat ex Lib. XI. Epitomes Livianae, ubi legimus: *Cum civitas peſtilentia laboraret, miſſis legatis, ut Aeſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in navem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportavere; eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Aeſculapio conſecrata eſt.*

XLIV. *Serpentes cur permulti adoraverint.*

XLIV. His itaque prior Caeſaris Auguſti Epocha definitur, & quamfacillime dignoſcitur quanti exiſtimanda ſint oſtenta a Dione, aliisque Romanis Hiſtoricis enarrata. Nonnulla ad ſacram eruditionem ſpectantia hoc in loco breviſſime attingam. Poteſt enim aliquem movere, quod Romani, Graecique haud vulgari ſapientia exornati in ſerpente latere numen crediderint. Videntur mihi tres rationes praecipuae, quas e ſacris Litteris, ex Gentilium Theologia, & ex naturali Philoſophia producam. Ex ſacris enim Litteris perſpicuum eſt, Satanam generis noſtri infenſiſſimum hoſtem ſub anguis forma primos parentes decepiſſe: quamobrem & *antiquus*, & *callidiſſimus ſerpens* dicitur Apoc. XII. II. ad Corinth. 11. ad Epheſ. 6. I. ad Tim. 3. aliisque in locis. Superbiſſimus itaque Lucifer ut fraudum inſidiarumque ſuarum Symbolum mortalibus a vera fide alienis commendaret, typum ac ſedem Numinis ſerpentes eſſe eis perſuaſit: atque hinc Babilonii draconem adorarunt, ut legitur cap. 14. Danielis: hinc Aegyptii *Thermuthin*, aſpidum genus, coluerunt, ei in ſacra aede conſtructis cellulis, auctore lib. X. de Animalibus Aeliano: hinc Ophitae haereticorum inſipientiſſimi ſerpentem Aevae deceptorem fuiſſe Chriſtum Salvatorem noſtrum dogmatizarunt. Ex Theologia autem Gentilium eruo, cultum in *angue* Aeſculapium Epidauri, & ab anno V. C. 462. etiam Romae, quod oporteat medicum eſſe vigilantem ac perſpicacem: quare & pingitur Aeſculapius cum baculo, quem ſerpens nexibus ambit: eique gallus & capra ſacrificabatur, quorum ille *excubitor* dictus ſignificat cuſtodiam & vigilantiam, haec febricitans, & morbo comitiali laborans, ſignum eſt aegrotantium. Tolerabilia fuiſſent, & quodammodo utilia haec ſymbola; niſi veternoſo Daemone ſuggerente credidiſſent homines idololatrae in illa tranſmutari vim animumque eorum, quos Deos eſſe putabant; unde in ſuperius producta Epitome Livii legimus ſerpentem ex Epidauro aſportatum fuiſſe *ſignum Aeſculapii*, erecto autem illi templo in inſula Tiberina, non ſignum tantum, ſed & *ſedem* fuiſſe. Hinc aperte colligimus non eſſe idololatriam, ut haeretici calumniantur,

cul-

cultum a nobis exhibitum imaginibus ſimulacrisque Sanctorum, cum minime credamus, in iis latere, ſedem figere, & ſigna in quamdam rem divinam & immortalem convertere ipſorum Sanctorum animas: contra non poſſe ab idololatria vindicari cultum a Sinenſibus exhibitum tabellis ſignisque Confucii, maiorumque ſuorum: cum eae tabellae, ea ſigna credantur ſpirituum *thronus ac ſedes*, ideoque colantur, quia advenientibus animabus creduntur reddi ſacra & divina. Poſtremo ad colubrum adorandum pertraxit gentes, quod absque exteriorum membrorum ope celeriter moveatur, quod poſitis exuviis revireſcere exiſtimetur, & quod videat tam acute, ut δράκων vocetur, quaſi δέρκων, ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *videre*. Ita in ſerpente mirabantur ſuperſtitioſi ſolicitudinem quamdam, immortalitatem, ac providentiam; atque haec eſt tertia ratio, quam producturum me dixi a naturali Philoſophia. Nunc poſt varios auſractus ad Caeſarem Auguſtum revertitur diſſertatio.

XLV. Trucidato itaque Iulio Caeſare, ad Octavium Auguſtum Apolloniam, quae civitas ad mare Ionium ſita erat, triſtiſſimum nuncium pervenit. Quod Octavius quam aegre ferret, facile quisque comprehendet, ſi animadvertat quanta benevolentia praeſtantiſſimum illum adoleſcentem proſecutus fuerat avunculus. Vt ſuum enim dilexerat, comitem in expeditione Hiſpanenſi ſelegerat, uti eodem hoſpitio, eademque rheda vehi iuſſerat, puerum in Collegium Pontificum cooptaverat, bellumque Parthicum ſuſcepturus Apolloniam commilitonem praemiſerat, liberalibus quoque diſciplinis & lingua Latina & Graeca erudiendum curaverat, nullo erga optimae ſpei adoleſcentulum praetermiſſo benevolentiae argumento. Vt ergo nunciatum eſt illi de caede avunculi, feſtinans iter Romam verſus arripuit: quumque Brunduſii ordinationem & necis & teſtamenti Caeſaris agnoviſſet, ſupra aetatem prudens parricidium diſſimulavit, declinavitque inſidias Dolabellae & Antonii; atque, ut ait lib. II. Paterculus, *decimum nonum annum ingreſſus mira auſus, ac ſumma conſecutus, privato conſilio, maiorem Senatu pro Republica animum habuit*. Recte autem haec Velleii verba cum Epocha Nativitatis Auguſti cohaerent: ſiquidem natum oſtendimus anno V. C. 691. a quo uſque ad annum 710. quo avunculus conſoſſus fuit, anni decem ac novem fluxerunt. Atque hinc habemus Epocham Imperii Caeſaris Auguſti priorem figendam in praedicto anno Vrb. 710. quadrageſimo quarto ante Aeram Dionyſianam, ſi hoc imperium ſupputetur ab interitu Iulii Caeſaris.

XLV. *Auguſti prudentia, & prior Epocha ab interitu avunculi ſubducenda.*

XLVI. Hinc revera ſubducendum eſſe putant non tantum Baronius, & qui illius Chronologiam tenuerunt, verum etiam omnes illi recentiores, qui annum V. C. 754. primum eiusdem Aerae Dionyſianae appellant quadrageſimum quintum Auguſti, & quadrageſimum ſextum Iulianum: a qua tamen ſententia recedunt Dionyſius Peti-

XLVI. *Variae de hac prima Auguſti Epocha opiniones.*

Petavius lib. xiii. de Doct. Temp. & Samuel Baſnagius initio Apparatus ad Annales Politico-Eccleſiaſticos, qui duo primum annum Auguſti, ſive, ut inquiunt, Romani Imperii ſtatuunt in anno V. C. 711. ſive in anno tertio Iuliano, itaut iis annus primus Aerae Chriſtianae ſit quidem Iulianus quadrageſimus ſextus, ſed Imperii Caeſaris Auguſti quadrageſimus quartus: inter quos medius Emmanuel Scheleſtratenus Diſſert. I. *Antiq. Eccleſiae* appellat annum primum Vulgaris Aerae 44. & 45. *Auguſti a morte Caeſaris*. Sed hac ratione eumdem annum dividendi, quum poſtulet diverſa annorum initia, confuſionemque in ſupputationibus pariat, interim praetermiſſa, ad examen revocare ſtatui quibus fulcimentis utraque praecedens ſententia innitatur.

XLVII. *Argumentum I. Baronii, & illi adhaerentium.*

XLVII. Qui ergo putant Epocham primam Imperii Auguſti figendam eſſe in anno V. C. 710. ſecundo Iuliano, & quadrageſimo quarto ante Aeram Dionyſianam, ducuntur hiſce momentis. Primum conſueverunt a nece Iulii Caeſaris numerare annos Auguſti Hiſtoriarum Scriptores praeclariſſimi Tacitus, & Ioſephus. Nam Tacitus, (inquit in Apparatu Baronius) in Dialogo de Oratoribus, *Nonniſi a nece Caeſaris, Auguſti numerat annos, dum imperaſſe annos quinquaginta & octo teſtatur. Ioſephus quoque cum dicat* lib. xviii. Antiq. cap. 3. *eumdem regnaſſe annis quinquaginta ſeptem, ſex menſibus, & amplius diebus duobus, & ipſum a morte Caeſaris annos illius imperii numerare coepiſſe certiſſimum eſt*. Haec Baronius, cui & Pagius ſubſcribit, item in Apparatu num 67. his verbis: *Ab hoc anno* (V. C. 710.) *& a nece Iulii initium imperii Octaviani Scriptores communiter deducunt, uti Ioſephus lib.* xviii. *Antiq. cap.* 3. Sed momentum hoc primum a me non extorquet aſſenſum, tam in Dialogo de Oratoribus, quem puto non a Tacito, ſed vel a Fabio Quinctiliano, vel ab ignoto auctore conſcriptum, in Editione Pariſienſi, qua utor, anni 1606. aſſeritur tantum ab Auguſto in locum Panſae & Hirtii, ſe, & Q. Pedium ſuffectos, & poſtea haec leguntur, *Statue ſex & quinquaginta annos, quibus mox D. Auguſtus Rempublicam rexit;* unde hoc unum illinc eruitur, Auguſtum ab anno V. C. 711. quo Conſulatum arripuit, annos LVI. imperaſſe. Calculus etiam Ioſephi implicatur errore: quum enim Iulius Caeſar interfectus ſit die 15. Martii an. Vrb. 710. & Auguſtus obierit anno Vrb. 767. die decima nona ſextilis; deceſſit Auguſtus, cum a nece Iulii fluxiſſent anni 57. menſes quinque, diesque quatuor, non autem, ut Ioſephus ait, ſex menſes, diesque duo: quem errorem & Pagius advertit, poſt producta Ioſephi verba ſubiiciens, *Deſunt tamen dies tres, ac menſis integer*. Scripſerat & Petavius lib. x. de Doctr. Tem. cap. 66. *Vno menſe ante Iulii necem Ioſephus initium imperii Auguſti antevertit*.

XLVIII. *Baronii argumentum II.*

XLVIII. Alterum Baronii argumentum petitur ex Horatio lib. iv. Ode 14. ubi commemorans Poeta debellatam ab Auguſto Alexandriam,

driam, demonſtrat tertio luſtro, nimirum anno 15. ea potitum fuiſſe victoria,

Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,

inquit eo loci Horatius Flaccus. At Alexandriam ſequenti anno poſt pugnam Actiacam, ideſt, anno V. C. 724. Auguſtus ſubegit & debellavit, ideoque non id eveniſſet luſtro tertio, ſive anno imperii ſui quintodecimo, niſi anno Vrb. 719. imperare idem Auguſtus coepiſſet. Verum & haec ratio eſt infirma, fracta, imbecillis. Enimvero Lambinus, qui in Horatium edidit commentaria, interpretatur verba ſupertus producta de *tertio luſtro* poſt bellum Mutinenſe: quam expoſitionem tametſi nonnulli improbant, quoniam ab ipſo bello ad expugnationem Alexandriae Anni XIII. connumerantur, attamen defendere illam poſſumus quod neceſſum non ſit de tertio luſtro peracto, non de proximo, Venuſinum Poetam accipere. Deinde *luſtri* nomine intelligitur quidem *ſpatium quinquennale*, ut lib. v. de Legibus inquit Varro, ſed quinto anno ineunte dicitur *luſtrum peractum*, & praecedentes quatuor anni dicuntur ad ipſum luſtrum ſpectare: immo ſunt viri docti, qui luſtrum appellant omnem periodum annorum, demonſtrantque *luſtrum Iulianum eſſe tempus quadriennii*, cuius annus ultimus eſt dierum 366. ſine ulla reliquatione, ex qua ſingulis quaternis annis conſurgit annus intercalaris, ſeu biſſextilis, unde Ovidius,

——— *In luſtrum accedere debet*
Quae conſummatur partibus una dies.

Legitote Ioſephi Scaligeri Canones Iſagogicos, & Gerardi Ioannis Voſſii Etymologicon. Ad haec Horatius recenſita Auguſti victoria commemorat alteram, quam retulerunt de Rhetis Druſus ac Tiberius *Libone & Piſone Coſs.* ideſt, anno V. C. 739. qui annus revera eſt decimus quintus ab Alexandria debellata: ideoque ſignificans utramque victoriam inquit Poeta,

Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus.

XLIX. Momentum tertium Baronio, & Pagio commune eſt, quod revera a Caeſaris nece enumerarunt annos imperii Auguſti permulti Patres, & cum Patribus Euſebius, qui lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 9. tradit imperaſſe Auguſtum *ſeptem & quinquaginta annis*, neglectis menſibus, ac diebus eumdem numerum excedentibus. Verum haec item argumentatio facillime eliditur, & enervatur: nam alii Patres, qui Auguſto quinquaginta ſex annos imperii tribuerunt, quorum benemultos paullo poſt laudabimus, omni procul dubio imperium

XLIX. *Tertium Baronii argumentum, etiam Pagio probatum.*

illud auſpicati ſunt ab anno Vrb. 721. quo uſque ad annum 767. Auguſti emortualem anni quinquaginta ſex numerantur: nulloque negocio cum iisdem Patribus conciliatur Euſebius, modo aſſeramus ultimum annum quinquageſimum ſeptimum inchoatum fuiſſe ab Auguſto, non autem completum.

L. *Argumenta Petavii, & Baſnagii.*

L. Excuſſa a nobis ſunt momenta eorum, qui contendunt annos imperii C. Auguſti ſupputandos eſſe a Iulii Caeſaris morte. Expendamus quaeſo rationes aliorum, ac praeſertim Petavii, & Baſnagii, qui aiunt eſſe connumerandos ab anno 3. Iuliano, & V. C. 711. Horum prior ratio ea eſt, quod anno Vrb. 710. quo interfectus eſt Caeſar, nulla dignitate Auguſtus decoratus eſt, nullum iniit magiſtratum; ſequenti autem anno & Conſulatum invaſit, & cum Antonio & Lepido coepit Rempublicam adminiſtrare. Accedit ratio altera petita ex Suetonio, cuius in *Auguſto* cap 8. haec ſunt verba: *Exercitibus comparatis, primum cum Marco Antonio, Marcoque Lepido, dein cum Antonio per duodecim fere annos, noviſſime per quatuor & quadraginta ſolus Rempublicam tenuit.* Tertia denique ratio eſt, quod Eutropius, Aurelius Victor, Iornandes, aliique Romanarum Hiſtoriarum Scriptores, necnon Eccleſiae Patres nonnulli, enumerarunt annos Auguſti ab anno 3. Iuliano, ſex & quinquaginta imperii annos eidem attribuentes, ut diximus paullo ſupra.

XLI. *Quid momenta illa habeant ponderis.*

LI. Haec quoque momenta facile diluuntur. Etſi enim revera Auguſtus *Conſule Antonio* non adminiſtravit rexitque Rempublicam; tamen ludos peregit, ſtatuam Iulii in templo Veneris collocavit, milites Antonii dominationem ſpernentes ſeſe illi adiunxerunt; Legio Martia & Quarta, haud repugnante Senatu, ad eum ſublatis ſignis ſe contulit, ſtatua equeſtri Senatus conſulto fuit maximo cum honore condecoratus, eique commiſſum bellum cum *Hirtio & Panſa Coſſ. deſignatis*, quod poſtea proximo anno, iisdemque Conſulibus fortiſſime circa Mutinam adminiſtravit. Quae ex Velleio lib. II. & Dione lib. XLV. ſunt manifeſta. Quare non omnino male Ioſephus imperium Caeſaris Auguſti a nece Iulii ſupputavit, quod feciſſe & Petavius & Baſnagius citatis in locis fatentur; quamquam triginta dierum ſpatio, plus, minus, aetatem Auguſti idem Hiſtoricus detruncaverit: & Iornandes quoque, ſecus ac videatur Baſnagio, a caede avunculi eiusdem Auguſti auſpicatur imperium, ſcribens lib. I. de Regni Romanorum ſucceſſione, *Occiſo vero in curia Romae Caeſare Iulio, nepos eius Auguſtus ſuſcepit principatum*. Reliqui ita unam Epocham ſequuntur, ut alteram non abiiciant. Haec cum ita ſint, & utraque ſententia ſuis innitatur momentis, utraque etiam habeat quod reponat oppugnatoribus; arbitramur iis adhaerendum eſſe, qui Auguſti plures ſecernunt Epochas: quarum praecipuae ſunt tres, a nece Caeſaris, a Triumviratu, & a pugna Actiaca. Priorem modo Epocham habemus fixam, ac definitam in anno ſecundo Iuliano,

in

in anno V. C. 710. in anno ante Aeram Christianam 44. De Epochis aliis differendum est modo.

LII. Nullam, ut opinor, difficultatem Chronologicam patitur altera Epocha Octavii Augusti, consignanda anno V. C. 711. *Coss. Hirtio, & Pansa:* quam tamen praeterire non debeo, quum illam praecedenti illustriorem reddant, non tantum nativitas Ovidii, & caedes Antipatri, de quibus dixi in Epocha Herodiana, verum etiam Bellum Mutinense, Consulatus Augusti, Triumviratus, & lacrimabilis exitus Ciceronis. Vt itaque de ipsa Epocha principio instituatur oratio, audiamus Historicos, quos duces & antesignanos habeamus oportet. Auctor Dialogi *de Oratoribus*, a quibusdam Tacito, ab aliis Quinctiliano, a pluribus anonymo adscripti, inquit: *Divus Augustus in locum Pansae, & Hirtii se, & Q. Pedium Coss. suffecit: statue VI. & L. annos, quibus mox Divus Augustus Rempublicam rexit:* heic vero Baronium legentem *VIII. & L. annos* corrigendum esse, iterum moneo. Eutropius lib. VII. Romanae Historiae ait: *Bellis toto orbe confectis, Octavianus Augustus Romam rediit XII. anno postquam Consul fuerat; ex eo Rempublicam per XLIV. annos solus obtinuit; ante enim XII. annis cum Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius usque ad finem LVI. anni fuerunt.* Consentit Suetonius, quem rursus producimus, dum in *Octavio* scribit: *Primum cum M. Antonio, Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quatuor & quadraginta solus Rempublicam tenuit.* Accedit Eusebius, qui licet in H. E. lib. I. cap. 9. scripserit Augustum imperasse *septem & quinquaginta annis*; in Chronico tamen imperasse affirmat *annis quinquaginta sex, & sex mensibus*, non secum pugnans, ut putant nonnulli, sed illic annos Augusti numerans a nece Iulii Caesaris, heic autem ab anno proximo, aut forte in Historia annos incompletos pro completis usurpans; quia revera Augustus anni quinquagesimi septimi maximam partem transegit. Profecto indubitata res est auctores omnes, qui Augusto annos imperii LVI. adtribuunt, horum initium statuere in Consulatu *Hirtii, & Pansae*, sive in anno V. C. 711. nam si huic anno alios LVI. addiderimus, erit annus Vrb. 767. quo Caesar Augustus decessit.

LII. *Epocha II. C. Augusti Histor. auctoritate firmatur.*

LIII. Videtur haec Augusti Epocha apud Patres communior & usitatior. Etenim Theophilus Antiochenus inquit lib. III. de Temporibus ad Autolicum, quod Opus Lactantius, & Hieronymus laudarunt, *Augustus imperavit annos LVI. menses IV. & diem unum.* Tertullianus adversus Iudaeos cap. 8. *Omnes anni imperii Augusti fuerunt anni LVI.* S. Epiphanius de Mens. *Augustus regnavit annos LVI. cuius anno XLII. Dominus noster I. C. secundum carnem natus est.* S. Hieronymus in cap. 9. Danielis: *Omnes anni Augusti imperii fuerunt num.* 56. atque ut mittam Chronicum Alexandrinum, Cassiodorum, Orosium, ceterosque permultos, Iulianus

LIII. *Eadem Epocha usurpatur a Patribus.*

To-

Toletanus, qui claruit Pogonati, & Heraclii Iuſtiniani temporibus, Tom. IV. Bibl. PP. pag. 144. inquit: *Octavius Caeſar regnavit annos LVI.* demum Auſonius:

Auguſtus poſt luſtra decem ſex prorogat annos.

Adeat qui plura deſiderat, Caeſarem Cardinalem Baronium, Antonium Pagium in App. num. 71. Scaligerum lib. v. de Emendat. Temp. Dionyſium Petavium lib. x. cap. 66. & Samuelem Baſnagium ad annum XLIII. ante Dominum, num. 3. nam ego huius Epochae initio ſatis ſuperque comprobato Scriptorum auctoritate, illud inſignioribus quibusdam characteribus illuſtrabo.

LIV. *Bellum Mutinenſe hoc anno adminiſtratum:*

LIV. Occurrit primo Bellum Mutinenſe, cui originem praebuit Antonius aegre ferens praelatum ſibi Octavium teſtamento Caeſaris. Quamobrem Galliam Ciſalpinam Bruto aſſignatam ſibi vindicaturus, Mutinae Brutum ipſum obſedit, praetexens quod is unus eſſet ex Iulii Caeſaris percuſſoribus; cum vera eſſet belli cauſa *quod Gallia Brutus ſibi cedere nolebat*, inquit Dio lib. XLVI. Octavius autem Auguſtus, etſi Antonium & Brutum oderat; cogitans ſibi adverſus Antonium pugnandum eſſe, & opportunum paternae caedis ulciſcendae tempus minime defuturum, Brutum adverſus Antonium ſibi ſocium adſcivit; atque contra ipſum Antonium Ciceronis opera, maxime oratione habita Kal. Ianuariis, quando Hirtius & Panſa Conſulatum inierunt, (quae inſcribitur *Liber V. Philippicarum*) commoto Senatu, idem Auguſtus una cum utroque Conſule Brutum obſidione Mutinae liberavit, fuſisque tandem Antonii copiis, & Hirtio in acie, Panſa paullo poſt ex vulnere mortuis, *ſolus* (ut utar verbis Suetonii cap. 11. *victores exercitus occupavit*. Hinc vero colligimus quanta fuerit vis Tullianae facundiae, qua, licet pro Antonio diſertiſſime peroraſſet Fufius Calenus, cuius orationem habemus apud Dionem initio libri LXVI. praevaluit tamen Octavii factio, & adverſus Antonium publica auctoritate ſuſceptum eſt bellum. Colligimus item, anno V. C. 711. Tullium contra M. Antonium orationes illas edidiſſe, quas ex imitatione Demoſtenis in Regem Philippum perorantis, *Philippicas* appellavit: & demum colligimus, eodem anno Vrb 711. ambitione Antonii utroque Conſule orbatam fuiſſe Rempublicam, & rurſus libertate ſubverſa, Monarchiam Romanorum, quae a praedicto anno inchoatur, fuiſſe inſtitutam.

LV. *Initus ab Octavio Conſulatus.*

LV. Octavius enim, Antonio devicto, quamquam increbuerat rumor Conſules ab illo fuiſſe occiſos, & Senatus eorum mortis culpam initio ipſi Caeſari tanquam regnandi cupido impingeret; tamen ubi Romam advenit, obviam habuit Senatorum aliquos, & Popularium complures, dederuntque ſe illi praetores ac milites, atque coactis Comitiis Conſularibus, adſcito ſibi collega Q. Pedio, creatus eſt Conſul. Obtinuit itaque Octavius Conſulatum die 19. Sextilis,

qua

qua die etiam poſt annos 46. fatis ceſſit; atque annum fuiſſe V. C. 711. quo Conſules in Bello Mutinenſi ceciderant, teſtatur Dio lib. XLVI. Hiſtoriarum, ubi etiam narrat eo ipſo anno aedificatum fuiſſe Lugdunum a Lucio Munatio Planco, quam urbem ideirco appellant nonnulli *Coloniam Munatianam*. Conſentiunt Suetonius, qui cap. 26. ait, *Conſulatum vicefimo aetatis anno invaſit*; & Velleius Paterculus, qui lib. II. ſcribit, *Conſulatumque iniit Caeſar pridie, quam viginti annos impleret*; ſiquidem annum viceſimum Auguſtus tranſegit anno praedicto 711. quum natus ſit anno 691. ut alibi demonſtravimus. Addit quoque Velleius arreptum a Caeſare Conſulatum *ante LXXII. annos*, quam illum iniret M. Vinicius, qui Conſul prodiit anno V. C. 783. Chriſtianae Aerae trigeſimo; a quo ad annum Vrb. 711. anni 72. ſupputantur: quod & confirmat quae diximus de inito a Caeſare Conſulatu, & commonſtrat tempus, quo Velleius ſcripſit duos Hiſtoriarum libros, Vinicio Quartino Conſuli nuncupatos. Auguſtum autem menſe ſextili Conſulem creatum, conſtat ex Macrobio lib. I. Saturnalium cap. 12. diemque produnt, Tacitus lib. I. Annalium, & Dio lib. LVI. Legendus Cardinalis Noriſius Diſſert. 2. Cenotaph. Piſ. cap. 2. Ob collatum Caeſari Auguſto Conſulatus honorem menſis, qui dicebatur *ſextilis*, deinceps appellatus fuit *Auguſtus*, uti Lib. IV. Antiquit. Roman. cap. 12. productis Macrobii, Dionis, & Suetonii verbis oſtendit eruditus Thomas Dempſterus; aut potius Ioannes Roſinus. Pari ratione *Quinctilis* ab Auguſti avunculo *Iulius* dicitur, idque a ſuperiori anno 710. unde Auſonius in Eclogario.

Nomine Caeſareo Quinctilem Iulius auget,
Auguſtus nomen Caeſareum ſequitur.

Quare annum primum Epochae, quam exponimus, duplicem notam attigimus, bellum Mutinenſe, & Conſulatum Auguſti.

LVI. Addamus tertiam, videlicet, *Triumviratum*. Vt enim Octavius renunciatus eſt Conſul, ad Monarchiam capeſſendam, ulciſcendamque Iulii caedem applicuit animum; ac tum primum Caeſaris Octaviani aſſumpto nomine, cui poſtea & Auguſti acceſſit appellatio, dedit operam, ut avunculi interfectoribus aqua & igni interdiceretur: & foedus tandem percuſſit cum Antonio, & cum Lepido, non procul a Bononia, atque ad Rhenum, fluvium finitimo agro exitioſiſſimum. Foedus iſtud eſt ille *Triumviratus* in Romanis Hiſtoriis notiſſimus, initusque ante V. Kalendas Decembris, quemadmodum Panvinius in II. Faſtorum, Baronius in App. num. 105. Pagius num. 7. aliique plurimi ex vetuſtis inſcriptionibus, maxime Gruteriana pag. 298. apertiſſime demonſtrarunt. Ita Triumviri diviſerunt imperium, inquit Dio lib. XLVI. *ut Caeſari cederent Africa, Sardinia, & Sicilia; Lepido Hiſpania, & Gallia Narbonenſis; Antonio reliqua Gallia, quae iacet*

LVI. *De Triumviratu.*

cet cis, ac trans alpes. Hinc Triumvirorum nummus apud Patinum pag. 19. tria capita iugata exhibet, cusumque in gratiam Antonii a Sacerdote quodam Aegyptio, coniicitur ex typo Dianae Ephesiae, atque ex litteris, quae detritis aliis, apparent, ΑΡΧΙΕΡ.....

LVII. *Triumvirorum saevitia, & mors Ciceronis.*

LVII. Triumvirorum foedus haud male a Plutarcho in Vita M. Antonii *cruentum* dicitur, percussumque ad prodendam patriam, & quidquid supererat liberi sanguinis effundendum. Proscriptos a Triumviris ducentos cives narrat idem Plutarchus in *Bruto*: inter quos Titus Vinius, quem uxor Tanusia inclusum arcae salvavit, ut Maria Reygersbergia illustrem virum suum Hugonem Grotium. Non evasit tamen supplicium Cicero; quem M. Antonius opera Herennii Centurionis & Popilii Tribuni interfecit, capite & manibus amputatis, ac positis in tribunali pro rostris; *Fulvia autem* Antonii uxor (ait Dio lib. XLVII.) *caput* Tullii *arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis, & conspuens, genibus suis imposuit, orique eius aperto, linguam extractam acubus (quales secum comendi capitis causa mulieres ferunt) compunxit additis crebris as turpibus opprobriis*. Hoc furoris genere in beatissimum Ioannem Baptistam incestuosa Herodias dicitur insaniisse: unde Hieronymus in Rufinum, *Nec magnopere gloriveris, inquit, si facias quod faciunt Scorpiones atque Cantharides: fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem. Quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali aiu confoderunt*. De mense ac die, quo eloquentissimus Tullius occisus fuit, neminem dubitare sinit praelaudatus Dialogus *De Oratoribus* inter Opera Taciti, in quo legitur: *Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio & Pansa Cos. ut Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus Decembris occisus est: quo anno Divus Augustus in locum Pansae & Hirtii se & Q. Pedium Cos. suffecit*. Interfectus est itaque Cicero anno V. C. 711. (quo anno natum Ovidium alibi diximus) obiitque die septima Decembris, non Kalendis Maii, ut legitur in Chronico Alexandrino, neque proximo anno 712. ut perperam ait Iacobus Capellus. Iam vero quod pollicebar, sum assecutus, Epochamque Caesaris Octaviani secundam auctoritate Historicorum, testimoniis Patrum, Mutinensi pugna, Consulatu eiusdem Caesaris, Triumviratu instituto, & Ciceronis caede, in anno tertio Iuliano, & XLIII. ante Christum hactenus circumscripsi. Nec vereor, quin Politici in Octavio odii simulationem, opportunitatem ultionis, artemque hostes ab hostibus dividendi, ut unus opprimatur ab altero, sint magnopere commendaturi. At malim ego, ut in Octavio imperandi cupidinem, in Bruto sceleris atrocitatem, in utroque Consule principatus discrimina, in Antonio saevitiam, in Tullio assiduam maledicentiam, in Fulvia denique furorem muliebrem execrarentur.

LVIII. *Actiacae pugnae incentiva.*

LVIII. Tertia Epocha annorum Caesaris Octaviani ab Actiaca Pugna subducitur. Huic pugnae causam praebuere Caesaris cum

Mar-

M. Antonio ſimultates, quas Dio, Suetonius, & Plutarchus enarrant. Ait Dio Lib. Romanae Hiſtoriae L. ab Antonio accuſatum Caeſarem, quod magiſtratu Lepidum detruſiſſet; a Caeſare Antonium, quod occidiſſet Pompeium, ſibique non aſſignatam Aegyptum teneret, ſuſceptoque ex Cleopatra filio indidiſſet nomen Caeſarionis, quaſi ad Caeſaris genus ſpectaret. Addit repudiatam ab Antonio Octaviam ſororem Caeſaris, & condito teſtamento eumdem Antonium legaſſe ſuis ex Cleopatra filiis immenſam hereditatem, & inſuper mandaſſet, ut poſt obitum cum ipſa Cleopatra ſepeliretur. Similia cap. 17. Caius Suetonius. Plutarchus in *Antonio* huius & Cleopatrae amores fuſiori ſtylo proſequitur, laudatque in Octavia excellentiam formae, gravitatem, prudentiam, eamque vocat venuſtate, aetatisque flore praecellentiorem. Contra de Cleopatra ſcribit, quod ſimularet deperire ſe Antonii amore, verita ne Octavia honeſtate morum, ac potentia Caeſaris viro iterum potiretur; additque non dedignatam *ἐρωμένην Αντωνίου καλεῖσθαι, καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο μὴ φεύγειν*. Tam inſano amore Antonius & Cleopatra ſe diligebant, ut ſimul prodirent in forum, ſimul obirent iudicia, ſimul equitarent, ſimulque converſa facie ſculperentur in nummis. Videte Patinii Numiſmata pag. 21. Ad haec *mulier Aegyptia* (inquit Florus lib. IV. cap. 11.) *ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petiit*. Nec promiſit tantum Antonius, ſed etiam ingentem claſſem comparavit, nummis aliis procuſis, referentibus hinc Antonium *cum exuviis leonis & clava*, illinc vero *proram navis* cum inſcriptione, PΩMHΣ L. A. ſe invictam progeniem Herculis, & Romae Dominatorem oſtentans.

LIX. Haec fuit Caeſari cauſa gerendae adverſus Antonium pugnae; quae commiſſa eſt apud Actium, urbem & promontorium Epiri, ſitam unius milliarii intervallo contra Nicopolim, urbem peracta eadem pugna conſtructam. Convenit Caeſar navibus ac triremibus, ad impetus, recurſus, flexusque aptiſſimis, & Caeſarem ſecuti ſunt Equites, & Senatores Romani complures, quos ille avunculi, ſuisque geſtis narratis ad certamen accendit, uti citatis in locis narrant Florus & Dio. Virgilius itidem VIII. Aeneid. eo intendens animum inquit:

LIX. *Eiusdem Pugnae apparatus.*

Hinc Auguſtus agens Italos in proelia Caeſar
Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis Diis,
Stans celſa in puppi: geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.

Antonius vero inſtructis navibus mole amplioribus, ſed ideo gravibus ac praepeditis, cum magna militum nautarumque multitudine, virisque aurum, gemmas, & totius fere Aſiae ſpolia ferentibus, ipſa Cleopatra adhaerente cum aurea puppe velisque purpureis, pugnaturus

rus acceſſit: quod ita deſcribit praecitato in loco Carminum Princeps:

Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis, & litore rubro,
Aegyptum, viresque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit; ſequiturque (nefas!) Aegyptia coniux.

Ea in pugna claſſis Antonii confracta eſt; *Regina prima dux fugae, mox ſequutus Antonius, ſed inſtare veſtigiis Caeſar*, verba ſunt Lucii Annaei Flori, rem conciſo preſſoque ſtilo narrantis.

LX. *Tempus praedictae pugnae.*

LX. Actiaca Pugna, de qua inſtituo ſermonem, conſignanda eſt anno V. C. 723. anno Iuliano XV. & anno ante Aeram Chriſtianam XXXI. hinc autem ſi Caeſaris Auguſti enumerentur anni, regnaſſe dicendus eſt annos XLIV. Hanc Epocham firmant quae ſubiiciuntur demonſtrationes. Sit prima: Ab inſtituto Triumviratu usque ad Actiacam Victoriam, primum cum Antonio & cum Lepido, deinde cum Antonio tantum imperavit Caeſar Octavianus *annos XII.* Ita Suetonius cap. 8. & Eutropius lib. VII. Breviarii Hiſtoriae Romanae. Triumviratus inſtitutus fuit anno V. C. 711. Ita praecedentis Epochae munimenta. Igitur anno V. C. 723. & 12. a Triumviratu inſtituto Auguſtus Marcum Antonium apud Actium ſubegit. Probatio altera haec eſt: Narrat lib. L. Dio Caſſius eo anno, quo ad Actium pugnatum eſt, loco Antonii Conſulis deſignati, cum Caeſare Conſulatum geſſiſſe Valerium Meſſalam a Triumviris quondam proſcriptum; quod & comprobat Antonii nummus, procuſus quando navalem claſſem comparaverat, habensque in antica *Capita* Antonii & Cleopatrae *iugata*, cum inſcriptione M. ANT. IMP. COS. DESIG. CLEOPATR. poſterius vero *navim* cum epigraphe PRÆF. CLASS. conglutinata etiam diphthongo, abiecta in orthographia a recentioribus Ariſtarchis: idque confirmant Romanarum Hiſtoriarum Scriptores alii, inter quos Velleius lib. II. *Caeſare deinde & Meſſala Curvino Coſs. debellatum apud Actium.* Anno itaque Vrb. 723. his Conſulibus inſignito, ad Actium devictus Antonius, huiusque claſſis everſa. Momentum vero tertium hoc eſt. In annis enumerandis, quibus Auguſtus debellato M. Antonio ſolus adminiſtravit Rempublicam, conſentiunt omnes. Dio citato lib. L. inquit: *Solus ſummum imperium geſſit a Victoria apud Actium annos XLIV. minus diebus XIII.* Suetonius cap. 8. *Noviſſime per quatuor & quadraginta annos ſolus Rempublicam tenuit.* Aurelius Victor de Caeſaribus: *Octavianus Auguſti cognomento dictus, illectis per dona militibus, atque annonae curandae ſpecie vulgo, ceteros haud difficulter ſubegit: eoque modo annis quatuor circiter, & quadraginta actis, morbo Nolae conſumptus &c.* De tempore, quo Auguſtus obiit, nulla eſt difficultas, omnesque eam mortem conſignant anno V. C. 767. die 19. ſextilis menſis:

a qua

a qua die detractis annis XLIV. habetur annus V. C. 723. memoranda Actiaca Victoria signandus.

LXI. Recte autem Aurelius Victor, & Dio aiunt ad anni quadragesimi quarti complementum aliquot deesse dies. Evenit quippe Actiacus conflictus die secunda Septembris: quam & adnotavit accuratissimus Dio Cassius scribens initio libri LI. *In hunc modum pugna navalis facta est IV. Nonas Septembris. Id a me non frustra commemoratum est, dies adnotare alioqui non solito: sed quod ab ea die primum Caesar rerum potitus est, Imperiique eius recensio praecipue ab ea sumitur.* Et quoniam a die Augusti 19. usque ad 2. Septembris, dies 13. medii desiderantur; idcirco dictum supra, ad complendum annum imperii Caesaris quadragesimum quartum tredecim dies defuisse. LXI. *Dies Actiaci conflictus.*

LXII. At enim quaenam Chronologis supputationibus addam, ut Epocham Actiacam suis ornamentis adaugeam? Principio eadem die secunda Septembris Apollini, qui apud Actium colebatur, Caesar triremem, quadriremem, & alia navium genera ex captis navibus consecravit, ludosque Actios, & equestre certamen constituit, in loco, ubi castra posuerat, iactis novae urbis fundamentis, quam Nicopolim, idest, *Victricem civitatem* appellavit. Legite Suetonium in *Octavio* cap. 18. Ludi Actiaci sunt, quos *Quinquennales* appellant, & Romae primum Caesar exhibuit cum Agrippa anno V. C. 726. deinde Herodes Caesareae, aliique in provinciis eos celebrarunt: atque inde *Flaminum Quinquennalium* origo. In Apolline autem Solem venerabantur: de quo Iulianus in Hymno, Καὶ Ἀπόλλων, καὶ ἥλιος αὐτός. Phoebum quoque a splendore appellarunt; est enim φοῖβος idem, ac *purus* & *splendidus*. Quare Propertius Elegia 6. lib. IV. Phoebo Actiacam Victoriam adscribit his verbis: LXII. *Decreti ab Augusto Ludi Actiaci.*

Vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

Et proximis,

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.

LXIII. Propertii versus aliam mihi adnotationem suppeditant *poenam feminae*, scilicet Cleopatrae. Amisit haec cum regno simul amasium: nam cum Pelusium primo, deinde Alexandriam intra annum petissent, illuc Caesare adveniente, Antonius nudato gladio sibi morrem conscivit. Cleopatra cum frustra artificioso luctu, verbisque amatoriis animum Caesaris emollire tentasset, ubi servari se triumpho vidit, *incautiorem nacta custodiam* (utor verbis Lucii Annaei lib. IV. cap 11.) *in Mausoleum, sepulcra regum sic vocant, se recepit: ubi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, iuxta suum se conlocavit Antonium; admotisque ad venas serpentibus,* LXIII. *Antonii, & Cleopatrae obitus.*

quaſi ſomno ſoluta. Venenato acu ſemetipſam in brachio vulneraſſe alii putant: ibique *exiguas puncturas repertas*, lib. LI. narrat Dio. Quidam cum Paterculo periiſſe tradunt illata aſpide: quod innuunt vetuſtum & elegantiſſimum marmor, & Papinius Statius, ſcribens in III. Sylvarum:

Anguiferamque domum, blando qua merſa veneno
Actias Auſonias fugit Cleopatra catenas.

LXIV. Eodem tempore, quo Auguſtus contra Antonium pugnabat, Virgilius Georgicis finem impoſuit, nam lib. IV. ait:

LXIV. *Tempus, quo Virg. ſcripſit, abſolvitque Georgica.*

Haec ſuper arvorum cultu, pecorumque canebam,
Et ſuper arboribus: Caeſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo.

Labuntur enim, qui hos Virgilii verſus accipiunt de Caio Caeſare contra Parthos pugnante: quoniam Caius natus eſt anno V. C. 734. & Virgilius obiit anno proximo 735. X. Kal. Octobris, *Coſſ. Sentio & Lucretio*: ideoque non potuit in Georgicis commemorare Caium belligerantem, qui vix unum aetatis annum exegerat. Deinde Auguſtus a bello Actiaco reverſus, Atellae, ubi per quatriduum ſubſtitit, ut poſt naumachiam & navigationem aliquantulum reſpiraret, audivit ipſos Georgicorum libros, Virgilio illos maxima cum ſuavitate, mirisque lenociniis pronuntiante, ut inquit in eius Vita Donatus. Legendus Noriſius Diſſ. II. Cenot. Piſan. cap. 13. Epocham itaque tertiam Caeſaris Auguſti, ſive Pugnae Actiacae in anno Vrb. 723. hactenus conſtituimus, eumdemque annum indictis Ludis Actiacis, fuga M. Antonii & Cleopatrae, atque abſoluto Virgiliano Opere Georgicorum, ut patiebatur ingenioli noſtri imbecillitas, circumſcripſimus.

LXV. De Auguſti morte non opus eſt plura dicere: hanc ſiquidem conſignavimus ſupra in Conſulatu Sexti Pompeii, & Sexti Apulei, anno V. C. 767. ſecundo Olympiadis 198. & Aerae Chriſtianae 14. Non finit de hoc emortuali anno nos haeſitare Dio, ſcribens lib. LVI. *Sexto Apuleio, Sexto Pompeio Coſſ. in Campaniam profectus Auguſtus, exhibito Neapoli ſpectaculo, Nolae morti conceſſit*. Non finit Suetonius, cuius cap. 100. haec ſunt verba: *Obiit... duobus Sextis, Pompeio, & Apuleio Coſſ. XIV. Kal. Septembris, hora diei nona, ſeptuageſimo ſexto aetatis anno*. Non finit Velleius Paterculus, qui lib. II. cap 123. ait: *Cum omnem curam fata vincerent*, Auguſtus *in ſua reſolutus initia, Pompeio, Apuleioque Coſſ. ſeptuageſimo ſexto anno animam caeleſtem caelo reddit*. Itaque haec eſt eorum, quae de annis Auguſti diximus, ſumma. Caeſar Octavianus Auguſtus natus eſt anno V. C. 691. coepit a trucidato avunculo imperium habere anno 710. iniit cum Lepido & Antonio ſocietatem ſequenti an-

LXV. *Mors Caeſaris Auguſti, & praecedentium ſynopſis.*

anno 711. apud Actium victor evasit anno 723. concessit naturae anno 767. Regnavit itaque a morte Iulii Caesaris annos LVII. a Triumviratu constituto annos LVI. a Pugna Actiaca annos XLIV. De huius principatu haec Magnus Ausonius:

Victor, successorque dehinc Octavius, idem
Caesar, at Augusti nomine nobilior.
Longaeva, & nunquam dubiis violata potestas,
In terris positum credidit esse Deum.

LXVI. Quamquam Epochas Augusti praecipuas, quarum in Historia usus est, expedivi; quoniam tamen corrigendum dixi Baronium, qui annum Actiacae pugnae Ode Horatiana, & capta a Caesare Alexandria confirmare curavit, contra ego ab illa pugna principatum quidem Augusti, & Antonii & Cleopatrae cladem fugamque petendam, sed horum obitum, urbisque Aexandrinae deditionem proximo anno 724. consignandam esse affirmavi; operae pretium duxi hanc ipsam Epocham superaddere, & de alia quoque ab eo repetenda anno, quo Caesar Octavianus declaratus fuit *Augustus*, instituere dissertationem. Ita fiet, ut quantum ad hanc Chronologiae partem attinet, nihil a me praetermissum esse videatur. Venit itaque in ditionem Octaviani Alexandrina Civitas *Coss. Caesare IIII. & M. Licinio Crasso*, ideſt, anno V. C. 724. anno Iuliano 16. anno ante Vulgarem Aeram 30. ut colligitur ex Dione lib. LI. Neque in superiorem annum, quo pugnatum est apud Actium IV. Nonas Septembris, haec Epocha reiici potest. Caesar enim, uti Dio narrat laudato in libro, in Asiam transmisit, expectans quid Antonius Actiaca pugna superatus agendum deliberaret: tum *media hieme in Italiam properavit, se quartum* (Dionis verba sunt) *& M. Crasso, hunc enim collegam habebat, quamquam & Pompeianas, & Antonianas prius partes secutum, Consulibus*. Deinde Brundusii rebus compositis, tanta celeritate redit in Asiam, ut de eius discessu simul, redituque Antonius & Cleopatra cognoverint. Postea vero Pelusium primo, proditione Reginae, tandem Alexandriam occupavit. Brevi hac narratione compertum est, Cleopatrae regnum excisum, subversum imperium Macedonicum, & Alexandriam subactam fuisse Caesari, praedicto anno Vrb. 724. Recte post Dionysium Petavium lib. XIII. de Doctr. Temp. recentiores omnes Chronologi haec referunt ad annum Periodi Iulianae 4684. qui est ante Christianam & communem Aeram triceſimus. His si addamus quae in *Antonio* scribit Plutarchus, illum a se ipso cruenta caede confectum *Kalendis sextilis*, praeter annum etiam mensem inveniemus.

LXVI. *Quando ab Augusto Alexandria capta fuerit.*

LXVII. Nonnulla hinc eruuntur, haud parum lucis, obscuris Chronologicis disquisitionibus afferentia. Intelligimus primum, cur Philo in Legatione ad Caium, Ptolomaeus in Regum Canone, &

LXVII. *Eorum, quae superiori N. dicta sunt, consectaria.*

S. Cle-

S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. tradiderint Caesarem Augustum imperasse *annos tres, & quadraginta*. Hi nimirum, quorum primus ac tertius fuerunt Alexandrini, alter Alexandriae diu vixit, Epocham nuper productam servarunt. Intelligimus secundo loco cur Caesar Cardinalis Baronius alligaverit mortem Herodis anno, in quo Consules fuerunt *M. Aemilius Lepidus & L. Arruntius*, ideſt, anno V. C. 759. non autem 751. quo Herodem decessisse alibi ostendimus. Quum enim Augustus Herodi regnum confirmaverit post pugnam Actiacam, & quando idem Herodes Caesarem convenit Rhodum, eumque in Aegyptum deduxit; existimans Annalium Auctor clarissimus, haec omnia contigisse uno eodemque anno Vrb. 723. atque hinc esse inchoandos Herodiani regni triginta septem, debuit necessario anachronismo Herodis mortem consignare anno 759 serius, quam contigerit, annis octo. Intelligimus tertio quot annis regnaverit Cleopatra ex quo iuncta matrimonio fratri suo Ptolomaeo a Iulio Caesare, qui Aegyptum subegerat, regnum ipsum obtinuit: siquidem declarata est Aegypti Regina Coss. ipsomet *Iul. Caesare II. & Mag. Equit. M. Antonio*, ideſt, anno V. C. 707. ex Dione lib. XLII. Historiarum: ideoque si obiit Cleopatra anno Vrb. 724. uti demonstratum paullo supra, agebat tunc annum regni sui XVIII. non autem, ut existimavit vir doctus, qui anno 1724. ex Vsserio, aliisque concinnavit *Tabulas Chronologicas*, annum XXII. Postremo percipimus, quare apud Ptolomaeum & apud Clementem Alexandrinum in 1. Stromateo computentur a morte Alexandri Macedonis, qui condidit imperium Macedonicum, usque ad obitum Cleopatrae, in qua idem regnum desiit, anni 294. ab anno namque Periodi Iulianae 4390. sive ab anno 324. ante Aeram Dionysianam, quo anno mortuus est Alexander, usque ad annum eiusdem Iulianae Periodi 4684. tricesimum ante Aeram ipsam Dionysii, quo anno e vivis sublata est Cleopatra, anni 294. enumerantur; errantque proinde, qui vel mortem Macedonis alio in anno constituunt, vel Imperium Macedonicum diversa definiunt supputatione.

LXVIII. *Quando Octavianus appellatus fuerit Augustus.*

LXVIII. Redeo ad Caesarem Octavianum, cuius ultima Epocha figenda est in *Consulatu* eius *septimo*, quem gessit cum *Vipsanio Agrippa*, scilicet, anno ab V. C. 727. anno Iuliano 19. & ante Aeram Christianam 27. Incredibile est, quanto plausu Caesari Romam reverso universa Civitas occurrerit; quantis victorem honoribus cumulaverit. Audiamus lib. II. Velleium: *Caesar*, inquit, *reversus in Italiam, atque Vrbem, quo occursu, quo favore, omnium hominum, aetatum, ordinum exceptus sit, quae magnificentia triumphorum eius, quae fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi, digne exprimi potest*. Anno V. C. 725. iuncto cum Sexto Apuleio quinta vice Consulatu, clausit Octavianus Iani portas, quasi omnibus bellis confectis, civilibus autem, quae viginti annis vexaverant Rempublicam, prorsus extinctis; egitque tribus diebus tri-

triumphum, prima die de Pannoniis, Dalmatis, Gallis, & Germanis, altera de Actiaco navali certamine, tertia de Aegypto ſubacta. Commemoravi triumphos Caeſaris diſſerens de annis Herodis contra Harduinum num. XXI. perlecto lib. LI. Dionis. Diu, perplexoque animo haeſitavit, num ſolus munus obiret adminiſtrandae Reipublicae; quod tandem civibus rogantibus & impellentibus, anno, ut dixi 727. ſuſcepit. De hac Epocha certiores nos reddit lib. LIII. accuratiſſimus Dio, ſcribens Caeſari ſummam imperii collatam, dum ipſe *Conſul VII. Agrippa III* prodiiſſent. Idem tradit Cenſorinus paullo poſt laudandus: neque eſt inter eruditos, qui Epocham iſtam in dubium revocet. Doctiſſimus quidem Norisius Cenotaph. Piſ. Diſſ. II. cap. 8. ait: *Caeſar Octavianus in ſuo Conſulatu* VII. *A. V.* 726. *L. Munatii Planci ſententia* AVGVSTI *cognomen obtinuit*. Sed nota Conſulatus mendum Typographi in annis Romae commonſtrat: nam Norisio Conſulatus Caeſaris ſeptimus eſt annus Vrb. 727. non 726. cum in Faſtis, tum in exquiſito illo Opere quamfrequenter.

LXIX. Monarchiam ab Auguſto ſuſceptam *VII. Idus Ianuarias* demonſtrat vetus inſcriptio apud Gruterum pag. 229. & Lapis Narbonenſis apud Caſaubonum. Provinciarum diſtributionem ab illo factam *Idibus Ianuariis* ſcribit Dio in praecitato lib. LIII. Appellatum fuiſſe Auguſtum *ante diem decimum ſextum Kalendas Februarii*, affirmat Cenſorinus de Die Natali cap. 21. Ovidius tamen in I. Faſtorum ait Octaviano nomen *Auguſti* datum Idibus Ianuariis, ita Germanicum adloquens, LXIX. *Diei inveſtigatio.*

Idibus in magni caſtus Iovis aede Sacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis:
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro,
Et tuus Auguſto nomine dictus Avus.

Vetus item Calendarium apud Roſinum lib. IV. Antiq. Rom. cap. 4. ſive potius Calendarii veteris recentiora Commentaria: *Idus Iovi: Octavius Auguſtus dictus, & provinciae in formam redactae*. Verum a Kalendis Ianuariis eiusdem anni 727. Romanos deduxiſſe Auguſtorum Epocham, animadvertit illuſtris Pagius in Apparatu num. 117.

LXX. Cur Caeſari Octaviano *Auguſti* cognomen inditum fuerit, oſtendit Dio in eodem LIII. libro hiſce verbis: *Cum ſtatuiſſent peculiari eum quodam cognomento inſignire, ac alii alia referrent ac probarent, Caeſar quamvis Romuli nomen vehementer appetebat: tamen cum ſentiret hinc ſe ſuſpectum affectati regni fieri, eo omiſſo, Auguſtus, quaſi hominis natura amplior ipſe, cognominatus eſt, Auguſta enim ea, quae honore digniſſima, ac ſanctiſſima ſunt, dicuntur; ideoque σεβαστὸν Graeci* Auguſtum *interpretati ſunt, quaſi venerandum dicas*. Hinc Ovidius Faſtorum I. LXX. *Ratio nominis Auguſti Octaviano impoſiti.*

Sancta vocant Auguſta Patres; auguſta vocantur

Tem-

Templa Sacerdotum rite dicata manu.

Suetonius item cap. 7 *Caeſaris, & deinde Auguſti cognomen aſſumpſit : alterum teſtamento maioris avunculi, alterum Munatii Planci ſententia ; cum quibusdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum Conditorem Vrbis, praevaluiſſet, ut Auguſtus potius vocaretur, non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine ; quod loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſacratur, Auguſta dicantur.* Vtrumque proinde nomen congruit Romanum imperium gerentibus, quoniam ceteris praecellunt, ſacramque cunctisque colendam referunt maieſtatem : unde MARIAE THERESIAE Reginae omnium optimae nummus ante triennium procuſus cum epigraphe :

Filia quae fueras, fies nunc Caeſaris uxor,
Caeſaris Auguſti tu quoque Mater eris.

Diſtichon haud inelegans, epitheton valde congruum, fauſtiſſimum vaticinium! *Pater Patriae* appellatus etiam fuit Octavianus, primum a plebe, deinde omnium conſenſu, quo nomine dum a Valerio Meſſala iubente Senatu ſalutaretur, illacrymaſſe teſtatur cap. 58. Suetonius. Verum id poſterius contigit, nec tempus alicui exploratum ante Noriſium, qui praecitata Diſſert. II. cap. 8. demonſtrat ex Praeneſtina Inſcriptione Auguſtum appellatum *Patrem Patriae* an. Vrb 752. Nonis Februarii, dum foret Conſul XIII. & Tribuniciae Poteſtatis XXI.

LXXI. *Per idem temporis inſtaurata Via Flaminia, & Pons Ariminenſis erectus.*

LXXI. Ceterum anno Vrb. 727. ſibi cum *Auguſti* nomine ſuprema auctoritate collata, inſtauravit vias extra Vrbem aliquandiu neglectas, praeſertim vero Flaminiam ; *ac ob id ſtatuae Auguſti ſunt ſupra Aras in ponte Tiberis & Arimini poſitae*, inquit Dio pag. 314. Editionis Oporini Baſileenſis. Conſpicitur etiamnum in lapideo ponte Arimini, ſive, ut incolae appellant, *Marechiae*, cum Caeſaris Auguſti nomine inſcriptio, unde pontem illum mirae & elegantis ſtructurae hoc anno aedificatum puto, maxime, quod Viae Flaminiae a Tiberi ad fluvium Ariminum extant termini. Eo item anno, ut lib. II. ait Velleius, *Principes viri, triumphisque, & ampliſſimis honoribus functi, hortatu* Auguſti *ad ornandam Vrbem illecti ſunt* ; crevitque adeo foris, templis, bibliothecis, theatris, vicorum regionumque ordine magnificentia eiusdem Vrbis, ut omnibus eſſet admirationi ; ac tanto honore Caeſarem proſequerentur, ut Reges conderent civitates, ab illo *Caeſareas* nominatas, eique viventi aras ponerent, templa erigerent, boveſque mactarent : unde Horatius epiſtola I. lib. II. ad Auguſtum,

Praeſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

LXXII.

LXXII. Politicus nunc ero, quamvis nunquam Magiſtratum inierim, & quod ineptus fuerim, & quod expertus quae de viris religioſa communitate iunctis, Praefatione in IV. Sententiarum inquit Maſtrius illius Sectae, quae Scotiſtarum dicitur, choragus. Quum enim dixerim N. LXIV. Caeſarem Auguſtum diu haeſitaſſe, num magis conduceret commodo reipublicae, uni ſummam regiminis demandare, an poteſtatem tradere Senatui, vel Populo; ex libro autem Dionis 52. agnoverim, ab Agrippa & Maecenate, quibuscum Caeſar conſultavit, de hac re acriter diſputatum; conſtitui colligere ac proferre quae ipſum Caeſarem publicae utilitatis amantiſſimum impulerunt ad *Monarchiam* ſubeundam, quam antea deponere cogitaverat. Quod utique argumentum & iucundum erit ac perutile Eccleſiaſticis Viris; propterea quod Zuvinglius, Bucerus, Wolfius, Ameſius, ceterique Heterodoxi, praeeunte Ioanne Calvino lib. IV. Inſtit. cap. 6. contendunt Ariſtocratiam, ac Democratiam eſſe longe praeſtantiorem Monarcharum regimine, ne iſtud optimum omnium fatentes, cogantur illud agnoſcere in Chriſti Eccleſia, & revereri Romanorum Pontificum auctoritatem. Non tamen imitabor ego doctiſſimorum Cardinalium Roberti Bellarmini, & Ioannis de Turrecremata exſpilatores; ſed quoniam in Hiſtoria Auguſtiana verſamur, paucis tantum adiectis, ex diſceptatione habita dum Caeſar meditaretur abdicare ſe principatu, curabo propoſitam expedire quaeſtionem,

LXXII. *Num utilis Reipublicae Monarchia?*

LXXIII. Igitur Vipſanius Agrippa, ita appellatus, quod in pedes procedens naſcendo *aegre partus* fuerit, ut A. Gellius lib. XVI. cap. 16. Noct. Act. Plinius lib. VII. Nat. Hiſt. cap. 8. & Comment. in II. Georg. Philargius praenotarunt, *Ariſtocratiam*, in qua Primates gubernant, & *Democratiam* ſive Populi imperium, praeferendas *Monarchiae*, vel regimini unius Principis, Auguſto Caeſari his argumentationibus ſuadebat. Ait principio commendandam eſſe inter homines aequalitatem, cuius & nomen ſpecioſiſſimum, & res iuſtiſſima videatur, quum omnes eadem natura ſint geniti, & ſi ad eamdem civitatem pertineant iisdem moribus ſint educati, iisdem legibus inſtituti; quumque eadem conditione, eodem genere, eademque patria ſint nati, appetunt aequalitatem, eaque potiti gaudent, nec concivibus invident, deſtituti autem triſtantur, & publicae tranquillitati moliuntur adverſa, atque aliorum felicitatem damnum proprium, aliorum infortunia ſuum reputant emolumentum. Deinde Agrippa *Monarchiam* ipſi Principi valde moleſtam, & magnopere difficilem eſſe contendit; huiusque moleſtiae & difficultatis rationes iſtas produxit: primam quidem, quod arduum eſt pecunias conficere neceſſarias ad rerum urbanarum curationem, ad alendos exercitus, hoſteſque domandos; quarum rerum cauſa ſi populis imponantur penſiones, dum omnes, aut plurimi imperent, putant cives pecunias in proprium uſum convertere; ſi dominetur unus, cuncti iudicant faciendos ſumptus

LXXIII. *Agrippae contra Monarchiam diſputatio.*

ptus ex eiusdem reditibus, & quod ipsi impendunt sibi duntaxat incommodum, afferre principibus utilitatem. Alteram, quia necessum est in maleficos animadvertere, eosque, ubi necessitas exigat, exilio, morte, & ignominia multari: idque si plurium committatur iudiciis, vel alicuius favore evitatur damnatio, vel contemnitur principis auctoritas, vel huius gratia flagitiosi evadunt immunes, & innocentes plectuntur; sin princeps sententiam ferat, dicetur ira, non iure probata, atque ad exercendam vindictam, explendamque cupiditatem; contra in *Democratia* privatis criminibus privari iudices, publicis publici constituuntur, atque iudiciorum exitus neque iudicis tyrannidi, neque arbitrio, neque gratiae, neque cupiditati imputatur. Tertiam, quia strenuissimi & nobilissimi viri ingenio & natura ita sunt comparati, ut libertatis studiosissimi videantur; splendide quoque vivunt, sibique conciliant plebis benevolentiam; unde in principe oritur timor, suspicio, eosque deprimendi libido, quam si expleat, iniuste agit, si repellat & vincat, tutus esse non potest. Ad haec Agrippa ostendit, beneficentiam, cuius potissimum causa principatus est appetendus, difficillime a Monarcha posse exerceri, propterea quod nequit unus multorum incommoda compensare, sed ita alios muneratur, ut alios praetereat; ac si pro suo unumquemque merito tractare velit, aliorum extollit animos, & aliorum excitat indignationem; si negligat hoc discrimen, vehementer erret, nec pro meritis praemia, & beneficia rependit. Tandem protulit Agrippa multorum exempla, ut pericula principum perciperet Octavianus: inquit Marium, Syllam, Metellum, Pompeium tunc pericula evitasse, quando abiecerunt dominationem, & male periisse Marium alterum, Sertorium, eumdemque postea Pompeium, affectantes principatum: tandem Iulii Caesaris necem commemoravit. His Agrippa, rebusque aliis depromptis ex varia fortuna Graecorum & Romanorum, quando principes, & quando populus, vel optimates administraverunt Rempublicam, Augustum a *Monarchia* capessenda absterrere, & ad principatum circumscribendum superioribus edictis ac legibus, longe maiori eloquentia, quam ego dixerim, prolixam orationem compendio absolvens, graviter, facunde, prudenterque curavit. Maecenas contra, *Monarchiam* praestare aliis principatus generibus existimavit; quod utique, quidquid obganniant Haeretici, fuit veterum Sapientum, & Sanctorum quoque Patrum sententia. Enimvero Plato in Polit. scribit: *Vnius dominatio omnium optima est*. Aristoteles VIII. Eth. Philos. *Multorum dominatus non est utilis*. Isocrates ad Nicoclem, *Monarchiae principem locum praestantissimi quique deferunt*. Livius Decadis I. lib. IV. *Complurium imperium inutile est*, atque ut ceteros praetermittam, princeps Graecorum Poetarum Homerus in II. Iliadis;

Οὐκ

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Quod non male vertit Latinus interpres:

Non multos regnare bonum: rex unicus eſto:
Vnius imperium, cui Iuppiter aurea magnus
Sceptra dedit, iuſſitque ſuis dare iura tuendis.

Laudarunt hoc proloquium Homericum, ac probarunt Iuſtinus in Orat. ad Gentes, Theodoretus, aliique Patres, quos brevitatis gratia praetereo, ut Hieronymum in epiſtola 4. *Monarchiam* brevi & nervoſa ratiocinatione comprobantem audiamus. *Mura animalia* (inquit Eccleſiae Doctor eximius) *& ſarae reges ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt: grues unam ſequuntur ordine literato. Imperator unus: Iudex unus provinciae: Roma, ut condita eſt, & duos ſimul fratres reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccae utero Eſau, & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archiepiſcopi, ſinguli Archidiaconi; & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quovis grandi exercitu unius ſignum exſpectatur.* Haec Hieronymus. Sed audiendus iam Maecenas.

LXXIV. Is rationes productas ab Agrippa oppoſitas in medium attulit. Quarum prima eſt, dandam eſſe operam, ut ſuas quisque partes diligenter obeat, & artibus imperatoriis inſtructi ducant exercitus, pauperes & robuſti ſtipendia faciant, prudentiſſimi ineant conſilia, optimi ſumant publicae rei adminiſtrationem ac Magiſtratum; neque enim ſinguli praediti ſunt eadem naturae ingeniique facultate, ac ſi agendi loquendique licentia ſapientibus concedatur, cauſa erit publicae felicitatis; ſi ſtulto, cedet in civitatis perniciem; ſi gladius tribuatur fatuo, irruet in caedes, ſi prudenti, patriam tutabitur, hoſtesque oppugnabit: addit Maecenas, acerbiſſimam eſſe plebis licentiam, qua optimus quisque ſervire cogitur; ſummam aequitatem, qua boni citra invidiam ornantur honoribus, improbi abſque ſeditione plectuntur. Deinde demonſtravit Maecenas magnitudinem imperii Auguſto neque moleſtam, neque difficilem futuram fore contra ac dixerat Vipſanius Agrippa. Enimvero quantum ad rationem rei pecuniariae ſpectat, quum haec etiam in *Democratia* curari debeat, propterea quod impoſſibile ſit ſine bello nos tutos eſſe, & milites habere ſine ſtipendio; poſſunt ad nutum principis cuncti in publicum haud parum conferre, ſi mediocri foenore publicae res ſubditis mutuo dentur, ita ut tellus opera dominorum colatur, reddaturque hac ratione fertilior, & cives locupletiores evadant, ſi penſiones & vectigalia omnibus imponantur, & nemo ab iis cenſeatur immunis,

LXXIV. *Maecenatis pro Monarchia diſſertatio.*

quae redeunt in publicam utilitatem; ſi illi, qui tributa aegre, ac moleſte perſolvunt, comperiant haec exigi eorum ſalutis cauſa, ac poſſe etiam a ſe illarum pecuniarum, quas impendunt, percipi fructum, cum plerique Magiſtratum gerant, alii regionibus praeficiantur, multi adſcribantur militiae; ac praeterea videant principem nihil prodigere, continentem vitam agere, & ſubditorum incolumitati conſulere. Iudicia autem & magna facilitate, & cum omnium plauſu exerceri commonſtravit, nonnullis regulis praeſcriptis: quarum prima eſt, Senatores, liberos, horumque mulieres, ſi quid admiſerint, turpi atque ignominioſa morte puniendos, in curiam adducere, & Magiſtratibus integram cauſae cognitionem committere, ut fontes citra principis invidiam puniantur, plebisque vitentur obtrectationes: altera, inſidias in principes machinantem adigendum eſſe, ut in Senatu cauſam dicat, ſi vero cogere auſus fuerit exercitum, non pertrahatur in iudicium, ſed palam reprimatur hoſtium exemplo: tertia, adhibere ad iudicia viros praeſtantiſſimos patricii ordinis, aliosque ex conſularibus & praetoriis, facta omnibus poteſtate liberum dandi conſilium, & propoſita etiam ſecuritate, atque collaudatis quorum conſilium probatur, at non culpatis, nec ignominia affectis, quorum reiicitur: poſtrema, de iis, qui magiſtratus obierint, audire Conſularium ſuffragia, praetoriis cauſas committere de aequalibus aut minoribus tantum, & ſeorſim a principe faciendum iudicium de cauſis, quae ad illum a maioribus Magiſtratibus deferuntur, & in quibus provocatione certatur. Praeterea monuit Maecenas, quomodo princeps beneficentiſſimus, & feliciſſimus eſſe queat, egregia aliorum facta ornando maiori etiam quam mereantur honore; operarios, artibusque utilibus deditos fovendo, ocioſos autem, & pravis negociis intentos aſpernando; ſibi nec templum, nec ſtatuam auream vel argenteam erigendo; nullum tolerando alienarum religionum cultorem, nullum falſum philoſophum, praeſtigiatorem nullum; Deum ſemper & ubique colendo; aliosque compellendo ad eumdem cultum; cum libertis & familiaribus ſeſe gerendo tali moderatione, ut illorum honor ſecuritatem & exiſtimationem ſibi afferat; potentibus facultatem adimendo infirmiores iniuria afficiendi vel calumniandi, inferioribus iniuriam paſſis omnem operam exhibendo, ita tamen, ut neque potentiores omnino habeantur ſuſpecti, neque infirmiorum querelae temere excipiantur. Demum vir ornatiſſimus Maecenas quantum *Monarchia* his praeceptionibus ſervatis ſit alio regimine utilior oſtendit rerum eventu, cum pluribus imperantibus ad illam usque aetatem bellis & ſeditionibus vexata fuerit Romana Reſpublica, tum vero, ſolo imperante Auguſto, exhauſtis bellis, iucundiſsima pax illuxiſſet; quum rurſus imperio pluribus collato, eidem quoque Auguſto eſſent Lepidi, Sertorii, Bruti, Caſſiique expectandi, ii ſcilicet, qui vel principatus vel ultionis cupiditate, ipſi, ut avunculo, necem inferrent. Hoc orationis habitae

a Mae-

a Maecenate compendium eſt. An ipſe, an Agrippa meliorem cauſam propugnaverit, penes alios iudicium eſto. *Caeſar, cum utrumque ſapientiae, copioſaeque & liberae orationis cauſa magnopere collaudaſſet, Maecenatis conſilium praetulit*, inquit Dio prope finem lib. LII. Hiſtoriae Romanae. Ego ad Maecenatis partes accedo, quod huius argumenta videantur robuſtiora, nec recte diſpoſitum cenſeam corpus, ſed monſtrum potius, cuius non unum ſit caput; noverim denique regente Auguſto Romanum Imperium fuiſſe toto Orbe diffuſum & glorioſiſſimum, atque nunc etiam regnante Principe, cui & AVGVSTI dignitas, & Imperii faſtigium, & Maecenatis conſilia, floreſcere Etruriam noſtram. Eiusdem Principis laudes hac data occaſione proſequerer, *Si quantum*, ut de Auguſto inquit Horatius,

Si quantum cuperem, poſſem quoque: ſed neque parvum
Carmen Maieſtas recipit ſua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.

LXXV. Marci Agrippae, & Caii Maecenatis, paullo ſupra mentione facta, de utroque dicendum aliquid ſupereſt, quod & ſtatutas Caeſaris Auguſti confirmat Epochas, & ad inveſtigandum tempus Iani ab eo clauſi aditum aperit. At de horum laudibus non multa loquentia diſſertabo, quum nemo unus ignoret, Agrippam fuiſſe virtutis nobiliſſimae, labore, vigiliis, periculo invictum, ter Conſulem, maritum Iuliae neptis Auguſti, quamquam haec fuerit femina, ut Velleii utar phraſi, *neque ſibi, neque reipublicae felicis uteri*; dignum denique, quem in Campania ſublatum e vivis anno Vrb. 742. *Coſs. Meſſala & Quirinio*. advectum Romam, & in Foro propoſitum Auguſtus ipſe funebri oratione honeſtaverit. Caius item Maecenas a Paterculo dicitur natus equeſtri & ſplendido genere, vir, ubi res vigiliam exigeret, ſane exſomnis, providens, *atque agendi ſciens, non minus Agrippa Caeſari carus, ſed minus honoratus*: a Dione autem ad annum Vrb. 746. quo Maecenas obiit *Coſs. Cenſorino & Gallo*, virtutum eius maximum indicium fuiſſe aſſeritur, *Quod cum Auguſti cupiditatibus reſiſteret, tamen ab eo inter familiares habitus reliquis etiam omnibus ſe probavit, & quod cum plurimum apud hunc poſſet, adeo ut ab eo multos honores magiſtratusque impetraverit, animo tamen nihil elatus in equeſtri ſtatu vitam exegit.* Plura de Maecenate Horatius, quaedam in I. Georgicorum Virgilius, nonnulla in Amethyſtis inciſis a Dioſcoride Philippus *De Sculpt.* Verum haec ſat erit commemoraſſe.

LXXV. *Agrippae, & Maecenatis laudes.*

LXXVI. Ex horum quippe geſtis colluſtratur Epocha Auguſti, praeſertim celebrior, quae a Pugna Actiaca ſubducitur. Hanc peractam diximus *Coſs. Auguſto III. & Meſſala*, ideſt, anno V. C. 723. quo revera tempore captis navibus & inſula Leucadis (nunc *S. Mauram* appellant, a Mahumete ſecundo ereptam Venetis) & Corintho item

LXXVI. *Anni C. Auguſti confirmantur ex Agrippae, & Maecenatis hiſtoria.*

item in ditionem redacta, Marcus Agrippa Actium profectus est, eique *universa Caesaris classis commissa fuit*, ut Dio narrat L. libro. Quare & Virgilius Caesare Augusto certamen Actiacum ineunte poeticis imaginibus depicto, in VIII. Aen. inquit,

Parte alia ventis, & diis Agrippa secundis,
Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Ideo autem Poeta Agrippam ornatum ait *corona navali rostrata*, quoniam anno V. C. 716. tempestatibus Caesaris classis iactata, ut dixi in Epochis Herodianis num. XVI, studio Agrippae reparata fuit, & Pompeius quoque navali proelio postmodum superatus; quamobrem an. 718. *Coss. Publicola & Nerva*, a Caesare & a Senatu *Agrippa aurea corona rostrata donatus est, quod neque ante, neque post eum contigit ulli*, inquit Dio lib. XLIX. pag. 246. De hac autem corona legendi Iustus Lipsius lib. V. de Milit. Romana cap. 14. & Car. Paschalius de Coronis lib. VII. cap. 4. Ex quo itaque anno Vrb. 723. Agrippa praelio apud Actium commisso classem Augusti gubernaverit, eiusdem Actiaci proelii Epocha confirmatur. Ad quam magis stabiliendam conferunt quoque res gestae a Caio Maecenate: qui eodem anno Vrb. 718. quo M. Agrippa retulit rostratam coronam, res non tantum Romae, sed per totam Italiam coepit administrare, ex Dione citato lib. XLIX pag. 247. atque anno 723. interfuit cum Agrippa Actiaco certamini: nam Horatius libro, quem inscripsit *Epodon*, Ode I. Maecenati ad Bellum Actiacum proficiscenti ait:

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula;
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.

Peracta etiam pugna Actiaca, eodemque anno Vrb. 723. Augustus tantum colere coepit cum Agrippam, tum Maecenatem, ut his omnes epistolas ad Senatum datas perlegerit, corrigendasque tradiderit: inceperitque Caesar eodem anno, horum consilio, si quid arcani significabat, ponere proxime sequentem litteram pro ea quae exarari debebat: legite lib. LI. Dionem. Hinc vero non tantum Epocham Actiacam, sed tempus etiam, quo Venusinus Poeta scripsit *Epodon*, & quo Caesares uti coeperunt notis illis arbitrariis, quas Itali *Ciferas* appellamus, perspicue, evidenterque colligimus.

LXXVII. *Ex Consulatu III. Agrippae firmatur Epocha Augustorum.*

LXXVII. Ad Epocham Augustorum, atque ad annum, quo Caesar Octavius *Augusti* cognomentum accepit, spectat Consulatus Agrippae tertius, siquidem ostendimus N. LXIV. ita appellatum fuisse Caesarem anno Vrb. 727. quo Consulatum gesserunt *Augustus Caesar VII. & Vipsanius Agrippa III.* ex Censorino, & Dione. Hoc itaque anno

in

in honorem Agrippae cuſus fuit nummus, referens ex una parte Neptunum tenentem dextra delphinum, tridentem ſiniſtra, atque ex alia parte caput Agrippae cum inſcriptione, M. AGRIPPA L. F. COS. III. Percipit, opinor, unusquisque anachroniſmum docti viri *Franciſci Angelonii pag.* 9. qui ex Nummis Hiſtoriam Auguſtam lingua Itala concinnavit, atque ex hoc nummo collegii Agrippam roſtrata corona donatum, dum Conſulatum tertium iniret: quod falſum eſt, nam coronam illam obtinuit anno Vrb. 718. & Conſul tertio prodiit an. 727. In Conſulatu itaque poſtremo ſacratum Agrippae Nepruni ſymbolum; idque factum puto, quoniam ut antea Pompeium, ita poſtea M. Antonium navali certamine ſuperavit, Nam & Pompeius, cum primum anno Vrb. 716. claſſis Caeſaris paſſa eſt naufragium, elatus animo Nepruni filium ſe credidit, veſtemque caeruleam induit, necnon equos & viros coniecit in freium. Videſis lib. XLVIII. Dionem Caſſium. Neque nummum Agrippae, neque veſtem Pompeii pluribus explicabo: quippe & norunt pueri, Neptunum geſtare tridentem, quia piſcatoribus ad piſces capiendos eius eſt uſus, ac triplicem quoque denotat naturam aquarum: caerulea autem veſtis commonſtrat tranquilli Maris colorem, unde quidam de Neptuno, quem Iovis, Aetherisque fratrem fingunt,

Caeruleus frater iuvat auxiliaribus undis.

Ex illo itaque Agrippae nummo, navalia eius certamina, tertium Conſulatum, & Epochae Auguſtorum initia deprehendimus.

LXXVIII. Quoniam vero, ut diximus ſupra N. LXVII. ſtatim ac Auguſtus hoc nomine fuit inſignitus, ornandae Vrbi, & Flaminiae Viae inſtaurandae totum ſe dedit, & exemplo Caeſaris ad Romam amplificandam exornandamque allecti ſunt viri principes: Conſul M. Agrippa magnificum aedificium conſtruxit, quod unum ex vetuſtis Romae monumentis ſervatur adhuc, ideſt, Templum *Pantheon*, altitudinis aeque ac latitudinis pedum 144. Habuit haec aedes contignationes aeneis tabulis compactas, ad valvas trabes ex aere Corinthio, ex quibus Vaticana abſis, aliaque Romanorum Pontificum opera, atque in tecto, pro plumbeis detractas ab Imperatore Coſtante argenteas laminas. Stuporem etiamnum ingerunt ſex interſtitia ingentium columnarum, laqueata teſtudo, graduum veſtigia, atque moles adeo firma, ut nec iniectis ignibus corrumpere, nec admotis machinis frangere illam valuerint immaniſſimi Gothorum milites. *Pantheon* dictum volunt a πᾶς, & θεός, quod conſecratum fuerit Diis omnibus: at Dio lib. LIII. Rom. Hiſt. ita nominarum putat a forma convexa qua praeſefert quamdam Caeli ſimilitudinem. Bonifacius IV. (non III. ut lib. II. Antiq. Rom. inquit Dempſterus) Deiparae Virgini, cunctisque Martyribus Pantheon ſacravit, ac pro Cybelis, Deorumque falſorum ſimulacris, illic modo Virginis, & Sanctorum

LXXVIII. *Pantheon quando ab Agrippa conditum.*

ctorum Imagines religioſiſſima veneratione coluntur. Ab Agrippa hoc templum aedificatum commonſtrat inſcriptio epiſtylii; affirmantque Hiſtorici exſtructum in tertio illius Conſulatu; ideoque & anno, quo Caeſar Octavianus Conſul VII. *Auguſti* obtinuit agnomen, coepitque Epocha *Auguſtorum*, atque idem Auguſtus templo ſacrisque Romae cultum excepit; quemadmodum dixi N. LXVII. demonſtratque Nummus apud Adulphum Occonem cum Caeſaris capite, templique effigie, & cum hac inſcriptione CAES. AVG. IMP. VII. Baſnagius ad annum ante Chriſtum 25. Pantheum ab Agrippa conditum *Coſs. Auguſto VIIII. & Iulio Sibano*, ideſt, anno Vrb. 729. ex Dione lib. LIII. ſed hoc de templi ornatu & complemento debemus accipere; Dionis enim verba ita ſonant: *Auguſtus bellis ad hunc modum confectis, Iani templum, quod propter bella fuerat reſeratum, clauſit. Agrippa autem eodem tempore propriis ſumptibus Vrbem exornavit: nam & porticum Neptuni propter victorias navales extruxit, & Argonautarum pictura decoravit:* & quibusdam aliis aedificiis commemoratis, *Pantheum quoque* (inquit Dio) *perfecit Agrippa: id ſic dicitur fortaſſis, quod in ſimulacris Martis & Veneris multas Deûm imagines acciperet; ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa faſtigiatum, Caeli ſimilitudinem oſtenderet.* Enormi anachroniſmo labitur Caſſiodorus, dum ſcribit in Chronico aedificatum Pantheon *Coſs. Domitiano IX. & Clemente II.* erratque item in Conſulum deſignatione: nam Domitianus Conſulatum nonum geſſit anno V. C. 836. Aerae Chriſtianae 83. centum ac decem anni poſtquam Pantheon extructum fuerat; ac praeterea in eo Conſulatu Domitianus collegam habuit Q. Petilium Rufum, & non Clementem.

LXXIX. *Quando Auguſtus clauſerit Iani templum.*

LXXIX. Praemiſſa Dionis verba demonſtrant quo tempore Auguſtus bellis exhauſtis Ianum clauſit. Verum ter Caeſarem *Ianum* occluſiſſe ait cap. 22. Suetonius, quod tantum regnante Numa, & Conſule T. Manlio contigerat. *Ianum Quirinum* (ita Suetonius) *ſemel atque iterum a Condita Vrbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clauſit.* Tempora hac ratione diſtinguimus. Primum Auguſtus occluſit Ianum *quinto Conſul* renunciatus cum *Sexto Apuleio*, ideſt, anno V. C. 725. ante Aeram Chriſtianam 29. nam ad hunc annum inquit Dio: *Portae Iani clauſae ſunt, quaſi omnibus bellis confectis.* Deinde occluſae fuerunt Iani portae, quando Auguſtus nonum Conſulatum cum Iulio Sibano obivit, ſcilicet, anno Vrb. 729. ante Aeram Dionyſianam 25. Atque id ex productis verbis Dionis ex lib LIII. *Auguſtus bellis... confectis, Iani templum, quod propter bella fuerat reſeratum, clauſit;* quae ad praedictum annum Vrb. 729. leguntur. Doctiſsimus Card. Noriſius in Cenotaph. Piſanis id confirmat ſcribens: *Anno vero* 729. Auguſtus *Cantabris victis, ac Iano*

clau-

clauſo, *Romam revêtſus eſt*. Addimus nummos eodem anno procuſos, quorum Inſcriptiones, IAN. CLV. PAX. ORBIS TERRARVM. PACI PERP. ſigna vero templum Iani, globus cum ramis lauri, aedes Pacis, & nexus manuum. Tertio Ianum ab Auguſto occluſum eſt anno Vrb. 749 quo anno Chriſtum natum exiſtimamus, *toto orbe in pace compoſito*: quod cum non adeo exploratum ſit, poſtmodum oſtendere adnitar. Interim hoc unum adnotabo, indicto bello altetum Conſulem indutum ſegmentata purpura, Gabino praecincta, ideſt, in tergum reiecta, fores Iani reſeraſſe, ideoque Ianum apertum fuiſſe ſignum gerendi belli. Recte ornateque in VII. Aeneidum Poeta:

Sunt geminae belli portae (ſic nomine dicunt)
Religione ſacrae, & ſaevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.
Has, ubi certa ſedet patribus ſententia pugnae,
Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino,
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.

LXXX. Quando Caeſar Auguſtus tertio Iani fores occluſerit, difficillimum eſt definire. Oroſius lib. I. Hiſtor. cap. 8. clauſum Ianum affirmat anno Auguſti 42. V. C. 752. quo anno natum Dominum pronuntiat his verbis: *Natus eſt Chriſtus anno imperii Caeſaris XLII. cum facta cum Parthis pace, Iani portae clauſae ſunt, & bella toto orbe ceſſarunt*: ac lib. VI. cap. 22. idem repetens inquit: *Anno ab V. C. 752. Caeſar Auguſtus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani curriculum cunctis gentibus una pace compoſitis, Iani portas tertio ipſe tum clauſit.* Addit Oroſius rationem, propterea quod eo temporis Quinctilius Varo legiones in Germania caeciderat, Agrippa Boſphori incolas domuerat, ac Parthi aquilas & vexilla Craſſo ereptas, Caeſari Auguſto remiſerant; ad quae totius orbis pax fuit conſecuta. Subſcribit Oroſio Caſaubonus in Notis ad Suetonium cap. 21. eamdemque ſententiam propugnant qui anno Caeſ. Auguſti 42. natum exiſtimant Mundi Reparatorem. Gerardus Ioannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. I. cap. 19. demonſtrat Titum Livium primum librum ſcripſiſſe poſt pugnam Actiacam, & Caeſaris triumphum, actum an. V. C. 725. quoniam Livius libro citato Ianum ſemel duntaxat ab Auguſto clauſum commemorat; atque ea data occaſione Voſſius declarat quando ab eodem Caeſare *ſecundo*, ac *tertio* Ianum ſit clauſum. *Satis conſtat* (inquit) *ter ab Auguſto clauſum eſſe templum Iani, ſecundo quidem, anno Vrb. 730. Cantabris devictis: tertio autem, anno ſequenti, ſive Conſulatu Auguſti XI.* Videtur ſententia Gerardi Voſſii firmari lapide Caeſari Auguſto ab Hiſpanis erecto, de quo Gruterus, &

LXXX. *Ianum quo anno a Caeſare fuerit tertio occluſum.*

Norisius in Cenotaphiis: IMP. CAESAR. DIVI F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. Dionysius Petavius lib. XIII. *De Doctr. Temp.* pag. 370. ait Ianum occlusum anno V. 744. ante Aeram Christianam anno 10. *Cos. Iulio & Fabio Maximo*, quo item anno natum asserit Claudium Imperatorem, & mortuam Octaviam sororem Augusti, laudans Suetonium, & Dionem. Norisius Dissert. II. praelaudati Operis cap. 10. de hoc argumento pertractans ait ex Historiis magna probabilitate inferri Caesarem Augustum *post annum* 748. Iani postes clausisse. Venit tandem Samuel Basnagius, & quamprobabilissimum esse pronuntiat Ianum tertio occlusum *Cos. Apuleio & Silio Nerva*, idest, anno Vrb. 734. vicesimo ante Aeram Dionysianam, quia tunc temporis nullum bellum attigit, ut inquit Florus lib. IV. cap. 12. his verbis: *Partbi quasi victoriae poenitetet, rapta clade Crassiana ultro signa retulere, sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio: aususque tandem Caesar est Augustus septingentesimo ab V. C. anno Ianum geminum claudere, bis ante se clausum.* Quo in loco numerorum errorem pro suo lubitu Basnagius emendat, & pro *anno septingentesimo* legendum putat *anno septingentesimo trigesimo quarto.*

LXXXI. *Probabilius fores Iani clausas anno V. C. 749.*

LXXXI. Ego anno V. C. 749. quinto ante Aeram Vulgarem clausum Iani templum affirmo: primum, quia hoc anno iuxta sententiam, quam propugno, proximisque Dissertationibus firmare conabor, natus est mundi Salvator, quo in mundum adveniente, universis hominibus pax illuxit. Praecivit mihi S. Hieronymus scribens in caput 2. Isaiae: *Orto Domino Salvatore, quando sub praeside Syriae Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & Evangelicae doctrinae pax Romani imperii praeparata, tunc omnia bella cessaverunt, & nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad praelia, sed ad agrorum cultus.* Praeterea nullum omnino bellum praedicto anno admvenitur confectum; contra praecedentibus annis, postquam Iani portae fuerunt secundo occlusae, ac statim reseratae non adfuit tempus, quo prorsus vel a pugna, vel a seditione cessatum sit. Nam anno Vrb. 730. *Cos. Augusto X. & C. Norbano Flacco*, Cantabri & Astures, discedente ex Hispania Augusto, seditionem excitarunt. Annus Vrb. 731. quo Consulatum gesserunt *Augustus XI. & Cn. Calpurnius Piso*, propter gravissimum Augusti morbum, Marcelli mortem, simultates Agrippae, controversias Tiridatis, urbisque incendia, ac Tiberis exundationes, nil Romae faustum, nil solemne, nil iucundum. Anno autem 732. conspirationes in Caesarem: proximo anno alia Cantabrorum propter festum Carisii rebellio, & Aethiopum sub Regina Candace in finitimos irruptiones. At anno 734. excitati sunt Armeniae tumultus, ad quos compescendos missus Tiberius. Quid plura? Bella

fin-

ſingulis annis confecta ſint, ſi excipias beatiſſimum tempus Dominicae Nativitatis. Praeterea contrariae omnes ſententiae non ſatis firmis munimentis fulciuntur. Enimvero anno V. C. 752. quo Oroſius & Ianum clauſum, & Chriſtum natum affirmat, inceptum fuit Bellum Parthicum, eumque Parthi occupaſſent Armeniam, Auguſtus ad bellum ipſum conficiendum miſit in Aſiam cum imperio proconſulari Caium Caeſarem: quem propterea in Lib. 1. *De Arte amandi*, conſcripto per id temporis, ita adloquitur infelix auctor Ovidius:

Induit arma tibi Genitor patriaeque tuusque:
Hoſtis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feras, ſceleratas ille ſagittas:
Stabit pro ſignis iusque piumque tuis.
Vincuntur cauſa Parthi, vincantur & armis,
Eoas Latio Dux meus addat opes.

Quare haec ſcribebat Ovidius praedicto anno Vrb. 752. *Coſſ. Auguſto XIII. & M. Plautio Silvano*: immo ante exitum eiusdem anni Parthos cladem aliquam accepiſſe commonſtrat nummus apud Mediobarbum cum hac epigraphe. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAX. TR. POT. XXII. COS. XIII. IMP. XIIII. & in poſtica, DE. PARTHEIS.

LXXXII. Sententia Gerardi Voſſii pariter infirma eſt, primum quia anno V. C. 730. quo Auguſtus gerebat Conſulatum X. & anno ſequenti, quo inivit Conſulatum XI. bella, ut dixi, ſeditiones, & aliae calamitates Romanam Rempublicam vexaverunt. Deinde quia Saxum Hiſpanicum, ex quo Voſſii firmabatur opinio, praefert annum Tribuniciae poteſtatis X. quem Auguſtus inivit anno Vrb. 740. praeterea, quia apud Gruterum pag. 149. legitur AVGVSTVS PONT. MAX. COS. XII. Conſulatus autem Auguſti duodecimus concurrit cum anno Vrb. 749. quo utique anno clauſas Iani portas nos arbitramur; quamquam non utimur illa inſcriptione ob amanuenſium errores, quos in illa docti viri deprehendunt. At Dionyſius Petavius recte quidem ſtatuit ex Suetonio nativitatem Claudii, ſed male ex Dione Ianum occluſum ſcribit anno Vrb. 744. Ad hunc ſiquidem annum inquit Dio: *Decretum quoque eſt, ut Iani Gemini templum, quod iis, quae dixi, bellis exortis apertum fuerat, iis iam compoſitis clauderetur: verum id ne fieret Dacii obſtitere, qui Iſtrum frigore concretum transgreſſi, ex Pannonia praedas obſtulerant: Dalmatae quoque propter exactum tributum rebellionem fecere.* Denique Baſnagius in corrigendo Annaeo Floro aperte fallitur. Libro enim IV. cap. 12. plura Caeſaris Auguſti facinora Florus permixtim narrat, ac poſt Iani templum ab eo clauſum, commemorat conlatum illi nomen AVGVSTI, *ut ipſo nomine ac titulo conſecraretur*. Quapropter Florus Ianum *primo* a Caeſare obſeratum clauſumque commemorat; LXXXII. *Aliae ſententiae refutantur.*

quod aperte commonſtrant ea verba : *Auſusque eundem Cæſar Auguſtus ſeptingenteſimo ab V. C. anno Ianum Geminum claudere, bis ante ſe cluſum, ſub Numa rege, & victa primum Carthagine.* Haec poſtrema verba Baſnagius praeterit, cum evidenter oſtendant egiſſe Florum de prima Iani aperitione facta ab Auguſto poſt annos complures, ex quo bis tantum clauſum fuerat ſub Numa rege, & ſub Conſule T. Manlio: ideoque ſi corrigendus eſt Flori textus legendum erit *anno ab V. C.* 725. non vero, ut opinatur Baſnagius, *an. Vrb.* 734. Verum quia *ter* Auguſtus Ianum occluſit, idque diverſo tempore; Lucius Florus in Rerum Romanarum *Epitome* ſecularem notam adpoſuit, nullumque mendum vitio librariorum irrepſit. Quae quum ita ſint; reſtat ut cum doctiſſimo Noriſio Ianum a Caeſare Auguſto clauſum dicamus anno V. C. 749. ideoque hoc anno feliciſſimam Pacem regnaſſe: ad quam commonſtrandam cur Iani Gemini fores occluderentur, ita Ovidius explicat Faſtorum I.

At cur pace lates, motisque recluderis armis?
Nec mora quaeſiti reddita cauſa mihi.
Vt populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta ianua noſtra ſera.
Pace fores obdo, ne qua diſcedere poſſit,
Caeſareoque diu nomine clauſus ero.

LXXXIII. *Quaedam dubia circa ea quae eodem tempore evenerunt.*

LXXXIII. Per idem temporis contigiſſe dicendum eſt, quae in App. narrat Baronius, reſponſum Apollinis datum Auguſto, apparitio Virginis geſtantis in ulnis infantem, & erectio aeae in Capitolio cum ea inſcriptione, *Ara Primogeniti Dei*; ſi tamen vera haec ſunt, neque inter fabulas reiicienda. Reſponſum Apollinis datum Auguſto petenti cur oracula, ut antea, non redderet, eſt huiusmodi:

Me puer Hebraeus divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub orcum,
Aris ergo debinc tacitus diſcedito noſtris.

Sed narium emunctarum Critici eos ſequendos negant, qui talia enarrant; propterea quod etiam poſt Chriſtum natum Apollinis oraculum reſponſa reddiderit, Neroni, ut inquit Suetonius; Apollonio Tyaneo, ut ait in eius Vita Philoſtratus, & Imperatori Hadriano, ut refert Dio Chryſoſtomus. Dici tamen poſſet, perrara & ambigua fuiſſe poſt Nativitatem Domini huiusmodi oracula, quemadmodum nec adeo frequentia ſunt idola, incantationes, ſigna, aliaque praeſtigia Daemonum: nam etſi Chriſtus Diabolum vicit, ſuorumque diſcipulorum praedicatione idola confregit; ſinit nihilominus Daemones quandoque ſceleſtis illudere, & quorumdam populorum etiamnum patitur ſuperſtitionem. Vt ut ſit; Baronius a Nicephoro Calliſto lib. 1. Hiſt. cap. 17. Suida V. *Auguſtus*, aliisque Hiſtoricis haec acceperat, uſus

inſu-

inſuper ea phraſi, *ut ferunt*, *ut creditur*, *ut aiunt*, qua Graecis auctoribus, qui primi talia mandarunt litteris, caute fidem adhibendam commonuit. Audacter itaque ait Caſaubonus Exercit. I. num. 12. Eccleſiaſticorum Annalium parentem, qui tam prudenter & circumſpecte rem narrat, *huiusmodi auditiunculis ante pauca ſecula confictis chartas maculare ſuas*, ac de tanto viro, ut hunc aequiparet fabularum conſarcinatoribus, uſurpat contumelioſum illud, *ſimilem habent labra lactucam*. Quae dixi de Iano a Caeſare Auguſto exhauſtis bellis omnibus clauſo, & quae commemoravi de Oraculo Apollinis, ac de Ara, ut inquiunt, erecta *Primogenito Dei*, ad inveſtigandam illuſtrandamque Epocham Dominicae Nativitatis viam ſternunt. At argumentum iſtud tractare pro mea virili curabo proxima Diſſertatione.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE VERO CHRISTI NATALI ET DE AERA DIONYSIANA.

I. *Proponitur Dissertationis huius argumentum.*

I. HERODIANIS & Auguſtaeis Epochis, quantum patiebatur ingenioli noſtri imbecillitas, duplici Diſſertatione definitis illuſtratiſque, ad feliciſſima illa tempora, Prophetarum oraculis praenuntiata, hominumque ac ſuperum votis expetita, quibus pax ſempiterna Adamiticae Stirpi exuli atque miſerrimae illuxit, tandem aliquando pervenimus. De Chriſti itaque aetate, ſeu de tempore, quo humani generis Conditor omnipotens & Reparator piiſſimus in Bethlehemitico ſpecu prodiit in lucem, de eo item, quo ad Iordanis fluenta tinctus eſt Ioannis lavacro, atque in Golgotha ſubiit Crucis teterrimum crudeliſſimumque ſupplicium, tripartitam Diatribam inſtituimus: qua ſane, iudicio noſtro, aut ſpectatis Chronologicis nexibus, veterumque ac recentiorum opinationibus, aut attentis rerum geſtarum multitudine varietate & conditione, aut inſpectis divinorum myſteriorum amplitudine & excellentia, nullum argumentum excoguari poteſt difficilius, nullum uberius, nullum iucundius. Ad priorem eius partem ſtilum orationemque converters, principio celebriores de tempore Dominicae Nativitatis ſententias in medium proferam: deinde quam veram, aut certe aliis probabiliorem exiſtimo, adnitar congruis munimentis fulcire; ad haec vero momenta, quibus opiniones innituntur aliae, producam, expendam, exagitabo.

II. *Diverſae de anno natali Chriſti recitantur opiniones.*

II. Etſi autem ſupra quinquaginta illuſtrium Hiſtoricorum connumerantur ſententiae de Anno Salvatoris noſtri natali, iuſta diverſas rationes tempora a productione mundi ad redemptionem peractam, atque a veteri ad novum Adam ſupputandi, quas praeter vetuſtiores Chronologos accurate receuſet auctor adnotationum ad Sacra Biblia poſteriorum Venetarum editionum, mihi litterarum votorumque neceſſitudine coniunctiſſimus; neminem tamen veſtrum obruere debet & exanimare portentoſa illa, & ad confuſionem pariendam idonea

mul-

multiplex ac diversa ratio supputationum. Nam si fixis hactenus Epochis insistamus, videntur nobis tantorum scriptorum opiniones, saltem quae momento aliquo fulciuntur, ad septem nunc servato annorum ordine recensendas, debere ac posse commode revocari. Est itaque sententia prima, quae propugnat natum Dominum anno V. C. 748. Iuliano 40. Caesaris Augusti 39. Olymp. 193. anno tertio, *Cos. Balbo & Vetere*: huiusque sententiae principem auctorem ac patronum appello virum Cl. Antonium Pagium, qui post Sacrarum Disciplinarum tractationem quidquid supererat temporis impendens Historiarum culturae, Dissertationem Hypaticam de Consulibus Caesareis, & Criticam historico-chronologicam in Annales Baronianos elucubravit: cui adhaesere eruditus nepos Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum, praefixaque huic operi serie Augustorum, Emmanuel Scheleſtratenus Dissert. I. Antiq. Ecclesiae cap. 2. art. 4. (tametsi antea illam tradiderat Marcus Antonius Cappellus in Dissert. De Coena Christi suprema cap. 5.) Franciscus Blanchinius in Chronologia Consulari praemissa Volum. II. Anastasii Bibliothecarii postremae elegantissimae Vaticanae editionis, aliique recentiores. Sententia altera consignat Christi Natale in anno V. C. 749. Iuliano 41. Caesaris Augusti 40. Olympiad. 193. anno 4. Cos. Augusto XII. & L. Cornelio Sulla; pugnantque pro hac sententia vir summus Dionysius Petavius lib. XII. de Doctrina Temp. cap. 6. Decherius vir, ut eo loci dicitur a Petavio, pius & antiquitatis Historicae solertissimus indagator; Cornelius a Lapide plurimis divinarum scripturarum commentariis notissimus, *ὁ μακαρίτης* Cardinalis Norisius, quem, licet eius cineres ventilent gloriosissimi libertatis palpones, authenticis tamen litteris *splendidissimum Catholicae Ecclesiae lumen* vocat Benedictus XIV. Pontifex O. M. necnon pro eadem sententia decertant Tirinus, Viserius, Alexander Natalis, Graveson, Basnagius, Clericus, Antonius *Vitrè*, aliique complures. Statuit sententia tertia Nativitatem Christi secundum carnem in anno V. C. 750. Iuliano 42. Caesaris Augusti 41. Olympiadis 194. anno 1. Cos. Sabino & Rufo: atque in hanc iit manibus pedibusque vir acerrimi ingenii Bernardus Lamy in Apparatu Chronologico, contendens ab illa minime abhorrere Irenaeum, Tertullianum, Hieronymum & Severum Sulpitium; tametsi incertum est prorsus, num hi a nece Iulii Caesaris, an a priori Augusti Consulatu, atque a Triumviratu constituto ipsius C. Augusti annos supputent. Proxima sententia figit salutiferam faustissimamque Dei Hominis Epocham natalitiam in anno V. C. 751. Iuliano 43. Caesaris Augusti 42. Olimp. 194. anno 2. Cos. Cornelio Lentulo, & Valerio Messalino; quam sententiam totis lacertis stabilire conatur in Apparatu doctissimus & praestantissimus Ecclesiasticorum Annalium Parens, Caesar S. R. E. Cardinalis Baronius, haud dissentientibus Gerardo Vossio,

Scali-

Scaligero, Langio, Calvisio, Mariano Scoto, Saliano, Sigeberto, aliisque permultis. Consequitur sententia Natale Domini, Partumque Virgineum definiens in V. C. anno 752. Iul. 44. Caesaris Augusti 43. Olympiadis 194. an. 3. Cos. Augusto XIII. & M. Plautino Silvano; huiusque asserti acerrimus propugnator est Onuphrius Panvinius, quem Iustus Lipsius Fastorum Patrem, Thuanus virum natum ad omnes Romanas & Ecclesiasticas antiquitates e tenebris eruendas, Conringius luculentissimum scriptorem rerumque Ecclesiasticarum peritissimum, omnesque supra aetatem suam (immaturo enim fato sublatum diximus agentes de Fastis Consulum Romanorum) excultum ornatumque fatentur celebrant & mirantur: cuius eximii viri vestigia premunt ex Patribus Epiphanius, ex Historicis Eusebius, Nicephorus & Sigonius, atque e Sacrarum Literarum interpretibus Pererius & Maldonatus. Accedit sententia sexta referens aetatis Christi primordia in annum V. C. 753. Iulianum 45. Caes. Augusti 44. Olympiadis 194. an. 4. Cos. Pisone & Lentulo: quae & assertores habet plurimos, eosque gravissimos, inter quos eminent Ioannes Lucidus, Dionysius Exiguus, Apollinaris Laodicenus, &, ne singulos oratione persequar, Paulus Burgensis, Alphonsus Tostatus, Genebrardus, Labbeus. Postrema tandem sententia est eorum, qui Christi Natale protrahunt ad annum V. C. 754. Iulianum 46. Caesaris Augusti 45. Olympiadis 195. an. 1. Coss. Caio Caesare & Aemilio Paullo; hanc vero tradit auctor Fastorum, quos magnopere laudabat Ioannes Cuspinianus, ac plurimum desiderari aiebat Aegidius Bucherius; erutos autem ex vetusta membrana locupletissimae Caesareae Bibliothecae primus omnium in lucem edidit ad calcem elaboratissimi operis de Epochis Syromacedonum Henricus Cardinalis Norisius, postea Scheleſtratenus in Appendice ad Tomum 1. Antiquit. Eccl. ac rursus Collector Epitomes Romanarum Historiarum Flor. edit an. 1723. Hactenus recitavi doctissimorum virorum opiniones: nunc vero, ne quis in me iaculetur illud Auli Persii Sat. V.

Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?

paullatim difficillimam amplissimamque controversiam dirimendam aggrediamur.

III. *Natus est Dominus post annum V. C. 747.*

III. Ac principio retrahi nequit Reparatoris nostri temporalis Nativitas ad annum Vrb. 747. nec differri post annum Vrb. 751. ideoque uno ex tribus annis intermedius, aut 748. aut 749. aut 750. omni proculdubio dicenda est contigisse. Et quod revera ad praedictum annum V. C. 747. retrahi nequaquam possit, invicta hac ratiocinatione demonstro. Natum Dominum toto orbe in pace composito tradunt Patres Ecclesiae universi; ac nemo unus est, qui non existimet temere audacterque scripsisse Keplerum, refutatum a Norisio

ſio Diſſert. II. in Cenotaph. Piſanis cap. 10. *Nec ullum momentum ſitum eſt in pace orbis, Ianove clauſo, ad inveſtigandum Annum Chriſti natalitium*. Enimvero de tempore Dominici Adventus praenuntiaverat cap. 2. Iſaias: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur uſque ad praelium*: quem in locum inquit Hieronymus: *Orto Domino Salvatore, quando ſub praeſide Syriae Cirino prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Evangelicae doctrinae pax Romani Imperii praeparata, tunc omnia bella ceſſarunt, & nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad praelia, ſed ad agrorum cultus, militibus tantum legionibusque Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato, quando impletus eſt Angelorum ille concentus, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis; & in diebus eius orta eſt iuſtitia, & multitudo & abundantia pacis*. Auguſtinus item lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 46. ait: *Regnante ergo Herode in Iudaea, apud Romanos autem immutato reipublicae ſtatu, imperante Caeſare Auguſto, & per eum orbe pacato, natus eſt Chriſtus*. Idem tradunt alii Patres, idem Hiſtorici, idem in Faſtis Martyrum VIII. Kalendas Ianuarias Sancta Mater Eccleſia. At enim anno V. C. 747. dum Tiberius Claudius Nero cum Calpurnio Piſone ſecundum gereret Conſulatum, idem Tiberius Kalendis Ianuariis poſt devictos Germanos triumphum egit, coortiſque iterum in Germania ſeditionibus, ad bellum profectus eſt, quemadmodum ſcribit Dio lib. LV. hiſce verbis: *Tiberius Calendis Ianuarii, quibus Conſulatum inivit cum Cn. Piſone, in Octavii curiam (haec enim erat extra Pomaerium) convocato Senatu, fanum Concordiae ſibi parari iuſſit, ut ſuo id, & Druſi nomine inſcriberet, ac deinde triumphavit. Triumpho perfecto templum Liviae dedicavit cum matre, ac ipſe Senatum in Capitolio, Livia autem ſeorſim matronas epulo excepit. Paullo poſt Tiberius exortis in Germania motibus ad bellum profectus eſt, ac pro eo ludos votos pro Auguſti reditu Caius & Piſo fecerunt*. Quadrant his nummi apud Occonem, & Mediobarbum exhibentes quadrigas bigaſque triumphales cum inſcriptione, TIB. CLAVDIVS. T. F. NERO COS. ITER. IMP. ITER. Per idem temporis in Thracia alperrimum irruperat bellum, ut lib. II. inquit Velleius Paterculus, qui Tiberii triumpho & altero Conſulatu enarratis, *dum ea*, inquit, *quae praediximus, in Pannonia, Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accenſis, &c.* Atque hoc bellum inchoatum anno Vrb. 744. ſcribit lib. LIV. Dio Caſſius, triennio autem a Piſone cum gente ferociſſima, nunc acie, nunc expugnationibus adminiſtratum affirmat eo loci Velleius. Exarſit quoque anno Vrb. 747. bellum Arabicum a Flavio Joſepho deſcriptum lib. XVI. Antiq. Iudaicarum cap. 15. non

itaque eodem anno 747. nec praecedentibus funesto atque horribili bellorum apparatu turbatis, natus est Princeps pacis, mundique Redemptor.

IV. *Natale Christi post annum V. C. 751. nequit differri.*

IV. Quemadmodum vero Natale Christi ad annum V. C. 747. nullatenus retrahi potest, ita nequit ad annum Vrb. 751. aut in aliquem ex subsequentibus annis protrahi ac differri. Id argumentatione prorsus invicta, atque ex iis, quae in dilucidanda Epocha Herodis Ascalonitae, ac praesertim in emortuali eius anno definiendo produximus, perspicua magis, quam sit lux meridiei, commonstramus. Etenim Iesum natum in diebus Herodis Magni, eius nempe, qui ad Magorum ex Oriente adventum sibi posterisque suis sublatum Iudaicae Reipublicae principatum magnopere pertimescens, vehementer commotus est, & a sapientibus piisque illis viris illusus Bethlemiticos pueruli crudelissima caede necavit, neminem dubitare sinit Evangelica Historia, & Patrum Scriptorumque omnium consensio. Anni autem, quibus Herodes Iudaeis imperavit, 34. ab interfecto Antigono, debellatisque Ierosolymis, quorum initium constituimus in anno Vrb. Romae 717. anni eiusdem regni 37. a tempore, quo Augustus Senatusque Romanus Regnum ei detulit; idest, ab anno V. C. 714. connumerandi, discussio de illius hereditate anno 751. apud Caesarem Augustum facta, Bethsaida Palaestinae civitas ad lacum Genezareth eodem anno ab Herode Antipa magnificis aedificiis ornata atque in honorem Iuliae Augusti filiae, quae, ut Paterculi utar verbis, tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere, aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit, magnitudinemque fortunae suae peccandi licentia metiebatur, utque proximo anno 752. insulam Pandatariam relegata, patriae ac parentum subducta est oculis, Bethsaida inquam, in honorem Iuliae *Iuliades* nuncupata, nummus Rigordianus, testimonia Flavii Iosephi, aliaque apertissima & luculentissima monimenta satis superque demonstrant, eumdem Herodem anno V. C. 751. sive anno Iuliano 43. scelestissimam efflasse animam. Quae, nisi fallit me opinio mea, nullus, qui perlegerit anteactas Dissertationes, ignorat. Quid ergo? En robustissima atque expeditissima ratiocinatio: In diebus Herodis Regis natus est Iesus; ita cap. 2. Evangelista. Rex Herodes anno 751. V. C. satis cessit; ita nostra de annis Herodianis Diatriba. Igitur ante exactum annum V. C. 751. natus est Iesus.

V. *Peculiaris ratio de anno Vrb. 751. producitur.*

V. Ratiocinationi isti, quae simul evincit neque anno V. C. 751. neque insequentium ulli Natalitia Salvatoris nostri adliganda, accedit peculiaris pro annis singulis ratio nunc producenda. Ac primo, commemorato anno vertente, ubi Sabinus obusse Herodem accepit petens Ierosolymam, arcesque accitis procuratoribus occupans, & regiis thesauris inhians, Iudeos vexavit, templum obsedit, conclusos undique Romanos milites oppugnavit; sequutusque con-

conflictus acerrimus ; & excitatum incendium , quo abſumpta fuerunt proxima lacunaria . Varus quoque Sephorim aut Diocaeſaream Galilaeae Vrbem , & Sancti Ioachimi , ut inquiunt , Deiparae patris natale ſolum , venditis ſub haſta incolis omnibus , incendit , Emmauntem , quam & Nicopolim vocant Geographi , flammis itidem abolevit ; necnon in defectionis auctores animadvertens , duo millia crucis patibulo , ceteros vario poenarum genere occidi iuſſit . Ipſomet anno permulti , qui forte Propheticorum oraculorum non erant prorſus ignari , atque circa ea tempora adventurum noverant Regem gloriosiſſimum , qui rerum potiretur , quam perſuaſionem pluribus inſediſſe etiam Tacitus , & Suetonius litteris prodiderunt , collecta deſperatorum manu , cunctaque diripientes & incendentes temere regium titulum arripuerunt ; quos inter Simon quondam Herodis ſervus , forma egregius , & robore inſignis , Iudas filius cuiusdam Ezechiae latronum ducis truculentus ac formidandus , atque Anthronges obſcuriſſimus quidem paſtor , ſed corporis proceritate , animique audacia nulli ſecundus . Quae omnia ab auctore Antiquitatum Iudaicarum libro XVII. fuſiori atque politiori ſtilo deſcripta , oſtendunt annum Iulianum 43. ſive V. C. 751. cum Herodis intentu , tum atrocitate bellorum , innumerisque ſeditionibus circumſeptum , exſpoliatum fuiſſe ea felicitate , ea pace , qua ubique terrarum regnante radix Ieſſe Florem ſuaviſſimum ac pulcherrimum germinavit .

VI. Quid vero de anno Iuliano 44. & V. C. 752. ? Quamlibenter eodem anno Chriſtum natum aſſererem propter Onuphrii Panvinii doctiſſimi Faſtorum Conditoris auctoritatem atque neceſſitudinem , niſi ab eius ſententia me vel invitum graviſſima momenta divelleret ! Horum primum petitur ex obitu Herodis ſuperiori anno 751. ut diximus , conſignando . Alterum depromitur ex bello Parthico ea tempeſtate inchoato . Tertium ſuppeditat lapſus Panvinii in Faſtis digerendis ab Henrico Cardinali Noriſio emendati , ut animadvertimus de iisdem Faſtis agentes ſuperiori Diſſert. N. XXII. Miſſis autem prima ac poſtrema ratione aliis in locis colluſtrata , anno V. C. 752. erupiſſe Parthicum bellum demonſtratur ex Velleio Paterculo lib. II. cap. 100. ex Dione lib LV. ex lib. I. Ovidii de Arte amandi , atque ex Nummis Caeſarum apud Occonem & Mediobarbum . Ac Velleius citato in loco poſt Iuliae relegationem , quam paullo ſupra commemoravi , inquit : *Breve ad hoc interceſſerat ſpatium , cum , C. Caeſar , ante aliis provinciis ad ſedandum obitis , in Syriam miſſus , convento prius Tiberio Nerone , cui omnem honorem ut ſuperiori habuit , tam varie ſe ibi geſſit , ut nec laudaturum magna , nec vituperaturum mediocris materia deficiat* . Iuliam vero relegatam anno trigeſimo ante Conſulatum Vinitii , qui Conſul prodiit anno Vrb. 783. ſive anno Iuliano 75. affirmat eo loci Velleius : additque hoc decretum exilium *Auguſto , & Gallo Caninio* , quem conſtat *Plautio Silvano* fuiſſe ſuffe-

VI. *Anno proximo 752. Bellum Parthicum irrupiſſe.*

ctum, gerentibus Conſulatum. Macrobius item in lib. II. Saturnalium cap. 5. ait Iuliam ſubiiſſe irrogatas adulteris poenas dum ageret tricesimum octavum aetatis annum; quae omnia anno V. C. 752. apertum eſt convenire: ſiquidem hic eſt annus triceſimus ante Conſulatum Vinitii; hic annus quo Auguſtus cum Silvano primum, deinde cum Caninio conſulare munus exercuit; hic eſt annus 38. Iuliae, quam natam anno V. C. 715. affirmat lib. XLVIII. Romanae Hiſtoriae Dio Caſſius. Itaque ex Velleio C. Caeſarem miſſum in Orientem ad bellum Parthicum invictiſſime demonſtravimus. Accedit Dio ſcribens lib. LV. ſtatim poſt Iuliae exilium, *Caio autem ad bellum Armeniacum miſſo, Tiberius in Chium profectus ſe ei ſubmiſit*; ac ſubinde narrat defectionem Parthorum, quorum regem Phraaten Auguſtus Armenia cedere iuſſerat: atque apud Zonaram inquit Dio, datam Lucio Caeſari togam virilem, *Cum Armenii defeciſſent, & iuvarentur a Parthis*: quae omnia anno V. C. 752. contigiſſe Card. Noriſius in Cenotaph. Piſ. Diſs. II. cap. 9. & 10. & Pagius in Apparatu ad Annales Card. Baronii num 155. luculenter demonſtrant. Iam vero audiatur Amatoriae Artis auctor Ovidius, qui ſe priorem librum ſcripſiſſe, dum Caeſar Auguſtus Naumachiae ſpectacula edidit, id, quod Velleius paullo ſupra laudatus factum ſcribit eodem anno, quo Gallus Caninius ſuffectus eſt Conſul, aperte demonſtrat his verbis:

Quid modo cum belli navalis imagine Caeſar
Perfidas induxit, Cecropiasque rates?
Nempe ab utroque mari iuvenes, ab utroque puellae
Venere; atque ingens orbis in urbe fuit.

Poſt pauca Ovidius ita adloquitur Caium Caeſarem,

Induit arma tibi Genitor, patriaeque, tuusque
Hoſtis ab invito regna Parente rapit.
Tu pia tela feras, ſceleratas ille ſagittas:
Stabit pro ſignis iusque piumque tuis.
Vincuntur cauſa Parthi; vincantur & armis.
Eoas Latio Dux meus addat opes.

His Parthos anno Vrb. 752. defeciſſe, atque ad eos coercendos miſſum Caium Caeſarem perſpicue evidenterque ſuadetur. Demum ex Caeſaris nummis unus exhibet thiaram Parthicam cum arcu & ſagittis, cum inſcriptione, DE PARTHEIS, & cum nota numerali AVGVSTVS PONT. MAX. TR. P. XXII. COS. XIII. IMP. XIV. alter figuras togatas duas cum haſtis, clypeis, ſignisque auguralibus, eadem numerali nota, & epigraphe, C. ET L. CAESARES AVGVST. F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. E quorum nummorum uno ad augurium & ſpem victoriae procuſo colligimus in Conſulatu XIII. Auguſti, ſive in anno Vrb. 752. bellum Par-

Parthicum inchoatum; ex altero Lucium virili toga, & Caium insignibus militaribus fuisse eodem anno exornatos: ideoque Velleius, Dio, Ovidius, nummi, uti aiebam, exorta ipsomet anno bella commonstrant.

VII. Quoniam vero pax cum Parthis inita duntaxat fuit anno Vrb. 755. *P. Vinicio Nepote, & P. Alfeno Varo Cos.* neque anno 753. neque an. 754. statui potest Natale Christi. Ad praedictum quippe annum gestam cum Parthis pugnam evincit mors Artavasdis, quem ab Armeniis electum Caius Caesar in regnum reducere conabatur: evincit regis Parthorum Phraatis post Artavasdis obitum suscepetum de pace instauranda consilium: evincit Tiberii post Caii expeditionem & pugnam ad pallium & crepidas reditus; evincit Lucii Caesaris post bellum confectum mors immatura: quae omnia contigisse Vinicio Consule, anno Iuliano 47. V. C. 755. post Dissertationes Norisianas de Cenotaphiis Pisanis, nemo eruditorum virorum in dubium revocat. Legitote virum praestantissimum Diss. II. cap. 14. Nam ego interim ex dictis compertum esse non dubito, neque ante annum V. C. 747. neque post annum 751. Nativitatem D. N. I. Christi adligari oportere: quod erat demonstrandum.

VII. *Ad annos insequentes Natale Domini protrahi non posse.*

VIII. Coarctandum itaque esse Dominicae Nativitatis sacratissimum tempus ad unum ex annis Iulianis 40. 41. 42. sive ad unum ex annis V. C. Varronianis 748. 749. 750. satis, ut opinor, munimenta comprobant praecedentia. Nunc ex his tribus unus seligendus est annus: quem in medio positum, nempe 41. Iulianum, Vrbisque Romae 749. tam glorioso charactere, tanta felicitate insignitum esse contendo. Movent autem me primum Norisius noster, quem iure in Chronologicis thesibus, ubi aperta, ut ab illo discedam, non cogunt adversantium opinionum momenta, ceteris arbitror praeferendum propter summam illius auctoritatem atque doctrinam. Qui in Cenotaphiis Pisanis Diss. II. cap. 5. *Huius anni V. C. 749.* (inquit) *initium laetum Augustae Domui, atque orbi Romano reddidit Caius Caesar, Imperatoris Caesaris Augusti filius, togam virilem induens, idemque satris ac profanis dignitatibus exornatus; verum eiusdem anni exitum longe laetiorem fecit universo terrarum orbi, immo caelestium etiam spirituum choris aeterni Patris Filius in terris natus habitu inventus, ut homo.* Nec solus Norisius praeivit nobis, sed quos ipse honoris causa nominavit, Ioannes Deckerius in Thesibus, Bucherius in Canonem Paschalem Victorii, Seneschalchus apud eruditissimos collegas Henschenium & Papebrochium in Diatriba praeliminari ad mensem Aprilem, doctissimus Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 7. & Vsserius in rebus Chronologicis summa cum laude versatus. Testatur idem Norisius, nec Antonium Pagium virum eximium, & Ecclesiasticae Historiae bono natum, sententiam hanc improbasse, idque datis ad Norisium literis testatum fuisse tametsi in App. ad Annales Baro-

VIII. *Consignandam Nativitatis Dominicae Aeram anno V. C. 749. Viri praestantissimi existimarunt.*

Barcnii, revera in ſuperiorem annum Natale Domini retrahat. Quibus Viris clariſſimis animadverti ſuperius conſentire Alexandrum Natalem, Hiacynthum Graveſonium, Ioannem Clericum & Samuelem Baſnagium. Addamus Vallemontium in Elementis Hiſtoriae, Butlerum in Tabulis Chronologicis, Mediobarbum in Numismi. Romanorum Imperatorum, Tillemontium Not. 3. in Ieſum Chriſtum, alioſque quamplurimos. Quamquam vero nonnulli Viri doctiſſimi in praecedentem annum retrahant Chriſti Nativitatem, idque, ut verum ingenue fatear, non ſit omnino improbabile; ab eorum tamen ſententia recedendum eſſe puto, propterea quod uno tantum ducantur momento ex deſcriptione univerſi Orbis a Caeſare Auguſto peracta ingenioſe deprompto, quod infirmum fractumque a me demonſtratum iri confido, in eam vero, quam propugno ſententiam, quidquid ad Chriſti Nativitatem aetatemque ſpectat, mira conſenſione collineat.

IX. *Praedictae ſententiae Evang. Hiſtoriam congruere.*

IX. Principio enim in hanc ſententiam noſtram quadrant quae de tempore Natalis Domini Evangelica narrat Hiſtoria. Narrat enim Chriſtum natum *in diebus Herodis regis*, quem & aliquandiu poſt Natale ipſum fatis ceſſiſſe oſtendunt quae de puerorum caede, & de Iesu apud Aegiptios commorante quando Rex ſceleſtiſſimus obiit, ſecundo Evangelii capite ſcribit S. Matthaeus Evangeliſta. Vixiſſe autem anno V. C. 749. Herodem neque hi negant, qui Epocham anni eiusdem Regis emortualem a nobis fixam oppugnant, eamque retrahunt ad menſem *Ciſlevum* anni Varroniani 750. Vixiſſe tunc temporis & Caeſarem Octavianum Auguſtum, norunt ii omnes, qui ex Suetonio, Dione, Paterculo, ceteriſque Romanarum Hiſtoriarum Scriptoribus acceperunt ſublatum illum e vivis *Coſs. duobus Sextis*, ſeu anno V. C. 767. Factam vero circa ea tempora iuſſu ipſius Auguſti orbis univerſi deſcriptionem, Romae indictam an. Vrb. 746. *Coſs. Cenſorino, & Aſinio*, ſequenti autem triennio peractam, ex lapide Ancyrano poſtmodum demonſtrabo. Verum quia characteres hi omnes aeque competunt ſententiae retrahentium Dominicam Nativitatem ad an. Iulianum 40. & Vrbis 748. nil aliud hinc demonſtrari probe intelligo, lubenterque concedo, niſi utramque ſententiam pari gradu conſiſtere, eademque auctoritate pollere.

X. *Sententiam noſtram aliis munimentis fulciri.*

X. Verum enimvero quae hactenus eamdem probabilitatem praeſefert, accedentibus momentis aliis redditur longe veriſimilior. Ea, quae accedunt, ſunt iſtiuſmodi. Ortum Iuſtitiae Solem, mundique Artificem Inſtauratoremque, univerſo mundo terra ac mari pacato, dictum ſupra, & comprobatum ineluctabili auctoritate. At enim anno Romano 748. nullibi bella exarſiſſe gratis aſſeritur. Dio quidem eodem anno vel expeditionem, vel pugnae apparatum nullibi commemoraſſe videtur, aliique Scriptores non ita Conſularibus notis ſingula facta diſtinguunt, ut ad ſua quaeque tempora commode referri valeant. Sed hiſtoriam Dionis decem annorum geſtis interciſis mutilam

lam esse fugit neminem: atque apud Zonaram narrat ipse Dio excitatos praedicto anno 748. Armeniae tumultus, quos postmodum Caesar Augustus constituto Armeniis rege Artavasde compescuit. Quare pleriſſimae Pacis nota non anno 748. sed anno proximo 740. omnino competit. Deinde baptizatum Dominum a Ioanne, dum ageret annum aetatis suae trigesimum, aperte affirmat S. Lucas Evangelista cap. 3. vers. 23. ubi ait: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, *Et ipse Iesus erat quasi annorum triginta incipiens quidem*. Scio quanta de hoc Lucae testimonio commenti sunt viri alioqui docti, omniaque ad trutinam postmodum revocabo. Nunc autem fas mihi sit tanqoam certum & inconcussum supponere, quod Ignatius martyr, Iustinos, Irenaeus, Epiphanius, Apollinaris Laodicenus, Hieronymus, aliique Patres concordissime affirmant, baptizatum Dominum Iesum, cum trigesimum ageret annum: fas mihi sit subscribere sacrarum Historiarum Coriphaeo, Eusebium dico Caesariensem, qui lib. I. cap. 10 inquit: *Quando iam aetatis suae annum trigesimum agere incipiebat, ut scribit Evangelista, ad Ioannem ut lavacro baptismatis tingeretur se contulit*. Baptizatum vero Dominum anno V. C. 779. Aer. Volg. 26. atque anno 15. Imperii Proconsularis Tiberii Caesaris, suo loco me demonstraturum fore promitto. Sit id modo, tanquam αἴτημα, rerumque futurarum postulatio. Quid ergo? Adde anno Vrb. 749. annos 30. habebis annum Vrb. 779. quo Salvator ad baptismum accessit: detrahe ab anno 779. annos 30. habebis annos Vrb. 749. quo natum in Bethlehem affirmamus. Eiusdem generis est deprompta ex anno Christi emortuali proxima argumentatio: quam ut quisque percipiat, peto rursus ut mihi concedatur Dominum cruci fuisse suffixum *Coss. duobus Geminis*, quod proximis lucubrationibus me itidem demonstraturum promitto. Atque, ne id mei solius auctoritati, quam sentio nullam, aut exiguam esse, quispiam assentiatur invita ac repugnante minerva, detur Tertulliano, detur id Augustino, detur venerandae Patrum traditioni, qua accepimus passione Domini Sangoinisque ipsius inaextimabili pretio, Consulatum gerentibus *Rubellio Gemino ac Fusio Gemino*, captivos perditosque homines fuisse redemptos. Horom vero Geminorum Consulatum in annum Aerae Dionysianae 29. & V. C. 782. incidisse, Consulares Fasti demonstrant, omnesque emunctarum narium Chronologi assentiuntur. A quo anno Vrbis 782. detractis annis 33. quibus exactis piissimum Iesum subiisse crucem ex veterum item traditione compertum est, residuus erit annus 749. Natalitiis Domini consecratus. Quamobrem annis Christi, quos Chronologiam sectantes aliam aut ampliare, aut imminuere cogontur, sententia, quam defensitamus, adamussim & undequaque cohaeret. Addamus momentum postremum, quo apparet eamdem sententiam nostram, priusquam calculis recentiorum Chronologorum

gorum probaretur, maioribus fuisse receptam atque exploratam. Ex monumentis Copticis Vaticanis, quae publicis iuris fecerunt Vilelmus Faber, cognomento *Bonjour*, & Laurentius Zacagnius, constat persuasum olim fuisse Aegyptiis, aliisque Orientalium Ecclesiis a Christi Nativitate integro quadrienno anteverti Aeram Dionysianam. Nam Consulatus Leonis Augusti, quem Fasti consignant anno Vrb. 1211. & Vulg. Aerae 458. in laudatis monumentis adligatur anno quadringentesimo sexagesimo secundo post Christi Nativitarem. Si modo anno V. C. 749. addantur anni 462. annon resultabit annus Vrb. 1211.? Si ab anno 1211. subtrahantur anni 462. nonne residuus erit annus Vrb. 749.? Hoc itaque anno natus est Christus: quod ex Regno Herodiano, ex Epocha Augusti, ex universali censu admodum probabile redditur: ex pace autem ubique gentium regnante, ex tempore Dominici Baptismatis, ex anno Salvatoris emortuali, necnon ex facili adversantium opinionum refutatione partim praemissa, partim autem subiicienda, longe redditur probabilius.

XI. *Pro sententia Pagii argumentum producitur.*

XI. Ad expendendam, & aequa lance ponderandam sententiam Viri Cl. Antonii Pagii, Emmanuelis a Schelestrate, & recentiorum aliorum quorumdam statuentium Christi Natale in anno Iuliano 40. & V. C. 748. eo lubentius accedo, quo momentum ab illis productum sedula & accurata animadversione revocari debet ad trutinam. Tertullianus (inquiunt) lib. IV. adversus Marcionem cap. 7. ait, *Testem fidelissimum Dominicae Nativitatis* esse censum in Iudaea a Sentio Saturnino peractum, affirmatque census illius acta *in Romanis Archiviis custodiri*: quod repetens cap. 19. ait: *Census constat actos sub Saturnino, apud quos genus eius inquirere potuisset*. Nil ergo expeditum magis ad Natalitiam Christi Aeram investigandam, quam tempus, quo Saturninus Syriae praefecturam absolvit. At Saturninus ante annum 749. & praecedenti anno vertente, Syriae regimini cessit; ac illud Quinctilio Varo commissum fuit. Id ex nummis evincunt. Servatur Florentiae in Scriniis Riccardianis nummus unus, de quo plura illustris Norisius de Epochis Syromacedonum Dis. III. cap. 7. in cuius antica extat laureati Iovis imago, in postica turrita quaedam figura cum flumine Oronte subtus emergente, & palmae ramusculum tenens dextera, quae Antiochiae in Aegypto & ad Orontem sitae urbem praeseferunt: ibique cernitur haec epigraphe, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΚΕΩΝ, & cum nota numerali, ΕΚ, ideſt, *sub Varo, Antiochensium anno* 25. Adnotatur ibi proculdubio annus 25. imperii Caesaris Augusti in Syria, ubi Caesar regnare coepit anno V. C. 723. post Pugnam Actiacam circa Autumnum, ideſt, anno 30. ante Aeram Christianam; ideoque annus 25. Antiochensium est annus Vrb. 748. quo Syriam Saturninus cessit Quinctilio Varo. Alter nummus ab eodem Norisio illustratus asservatusque in Gaza Mediceo-Caesarea refert Iovis, & civitatis Antio-

tiochiae eadem Symbola, eamdemque inſcriptionem, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΚΕΩΝ, ſed numeralem notam κϛ, ideſt, annum Auguſti in Syria 26. & V. C. 749. Tertius denique nummus exhibet cum iisdem omnino Symbolis in area notam numeralem anni Auguſti 27. & Vrb. 750. Tribus itaque hiſce annis 748. 749. & 750. Quinctilius Varus Syriae praefuit: quumque Varus in ea provincia regenda ſucceſſor fuerit Saturnini, ſi cenſus ſub eodem Saturnino, ut inquit Tertullianus, peractus fuit, id nequit poſt annum 748. ulla ratione differri. Hoc eſt momentum illud graviſſimum, quo utuntur Antonius Pagius in Apparatu num. 136. Ioannes Harduinus in Antirrhetico pag. 58. & Emmanuel Scheleſtratenus Diſs. I. Antiq. Eccl. nummosque laudatos praeter Noriſium producunt Toinardus, Vaillantius, aliique de Re Nummaria pertractantes.

XII. Verum momentum illud tria tanquam certa ſupponit, quibus diſpunctis flaccescit prorſus & enervatur. Supponit enim cenſum ab Auguſto indictum, atque in Syria naſcente Domino peractum, a praeſide Saturnino exactum fuiſſe, quod apertiſſime eſt falſum. Supponit id aſſerere Tertullianum, eique refragari nefas eſſe, quod pariter eſt a veritate alienum; ac ſupponit Epocham Antiochenam a pugna Actiaca, ſive ab anno V. C. 723. eſſe inchoandam quod ambiguum eſt valde, neque probatur Chronologis univerſis. Falſum eſt cenſum, de quo ſermo inſtituitur, fuiſſe peractum a Saturnino. Appello enim ad Evangelium Lucae cap. 2. 2. ubi legitur, *Haec deſcriptio prima facta eſt a praeſide Syriae Cyrino*, ſive ut Graeci Codices habent, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Appello ad Patres: quos inter Iuſtinus adverſus Tryphonem inquit a Nazaretha Virginem Bethlemum, ubi enixa eſt puerum Iesum, veniſſe, ἀπογραφῆς οὔσης ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου. *Cum deſcriptio in Iudaea tum primum fieret ſub Cyrino*: Hieronymus in Cap. 2. Iſaiae natum Dominum aſſerit, *Quando ſub praeſide Syriae Cyrino facta eſt in orbe terrarum prima deſcriptio*: atque, ut ceteros omittam, Sedulius Chriſtianus, piusque Poeta lib. 2. ait,

Sed cum forte novi capitum diſcuſſio cenſus,
Caeſaris Auguſti iuſſis per plurima terrae
Deſcribebatur Syriae, quam iure regebat
Cyrinus, proprii cui tota per oppida fines
Addebant populi vires, nomenque, genusque.

XII. *Non a Saturnino, ſed a Cyrino, factam deſcriptionem illam, cuius tempore natus eſt Dominus.*

Cum itaque Evangelium Cyrinum, Iuſtinus Cyrinum, Hieronymus Cyrinum, alii Patres conſenſione unanimi Cyrinum exigendi cenſus curatorem pronuntient, cur ob unius Tertulliani fortaſſis non bene expenſum, libratumque teſtimonium, id muneris Saturnino commiſſum exiſtimabimus? Eſt ne magis, obſecro vos, eſt ne magis aequum

quum rectumque ut uni potius Tertulliano, quam inſpiratione afflato divini Numinis Evangeliſtae, quam traditioni univerſae adhibeamus aſſenſum?

XIII. *Tertullianus explicatur.*

XIII. Deinde illud quoque abhorret a vero, aſſeroiſſe Tertullianum, quod univerſalis ille cenſus, quo indicto caſtiſſimi coniuges Maria & Ioſeph Bethlemum ſe contulerunt, fuerit a Sentio Saturnino peractus; ac miror viros oculatiſſimos id minime obſervaſſe. In lib. IV. adverſus Marcionem cap. 7. ait Tertullianus cenſum in Iudaea actum eſſe *teſtem fideliſſimum Dominicae Nativitatis*: de Saturnino eo loci nec *my*, nec *gry*. Hinc ergo a Saturnino peractum cenſum minime infertur. Cap. 19. eiusdem libri utique Tertullianus meminit Saturnini, & inquit; *ſed & cenſus conſtant actos ſub Auguſto, nunc in Iudaea per Sentium Saturninum*: at hoc in loco non commemorat Tertullianus cenſum, ac deſcriptionem univerſalem, ſed alteram peculiarem Iudeae factam, Domino iam adulto, Saturninum quippe aut eumdem, cui ſucceſſerat Quinctilius Varus, aut illius filium, rediiſſe in Syriam, eamque provinciam adminiſtraſſe anno V. C. 772. Aer. Vulg. 19. ſcribit Cornelius Tacitus ad hunc annum, ubi poſtquam narraverat Germanicum ſcelere Piſonis ereptum e vita, haec ſubiicit: *Conſultatum inde inter Legatos, quique alii Senatorum adeſſent, quis nam Syriae praefficeretur, & ceteris modice niſis inter Vibium Marſum, & Cn. Sentium diu quaeſitum, dein Marſus ſeniori & acrius cendenti Sentio conceſſit*. Animadverſit id Antonius Pagius ſcribens ad an. Chriſti 19. num 3. *Germanico Caeſare ante Piſonis Syriae praefidis extincto, Cneius Sentius Saturninus Prolegatus Syriam obtinuit, ut teſtatur Tacitus lib. II. Annalium anno Urbis* 772. Profecto Tertullianum praecitato cap. 19. pertractaſſe de cenſu facto in hac Sentii Saturnini adminiſtratione, demonſtrat particula *nunc*, quae innuit illud tempus, quo Chriſtus adultus Matrem & propinquos adloquebatur, de quibus ibidem Tertullianus orationem inſtituit: demonſtrat τὸ *in Iudaea*, unde annuos cenſus a Praeſidibus exactos, non deſcriptionem Orbis univerſalem, conſtat a Tertulliano iſtic commemorari: demonſtrat vetus ſcriptura ad marginem Rhenani, quae talis eſt, *Nunc, ideſt cum Chriſtus illa diceret nuntiantibus adeſſe matrem & fratres*: demonſtrant denique adnotationes Nicolai Rigaltii in praedictum cap. 19. Tertulliani. Quae cum ita ſint, in auras prorſus evanuit momentum illud graviſſimum ſpecietenus, & in quod viri adeo celebres, ut Pagius, Scheleſtratius, Blanchinius, impegerunt, qui a cenſu per Saturninum peracto, natum Dominum an. V. C. 748. tanquam rem certiſſimam ſtatuerunt, immo & apparet Tertullianum a Luca Evangeliſta nullatenus diſſidere; & quod Valeſius, Cappellus, aliique ſcripſere, Lucae Evangelium eſſe auctoritate Tertulliani emendandum (pace dixerim eruditorum) maximam videri temeritatem, coniecturamque leviſſimam. Addo, vivente Herode Praeſidem Syriae nullam

lam in Iudaea exigendi cenſus habuiſſe auctoritatem, quemadmodum habuit Herode demortuo, eiusque filiis regio titulo denegato; Tertullianum vero cenſum, aut potius cenſus in Iudaea actos expreſſe commemoraſſe. Addo etiam potuiſſe Saturninum cenſum agere, etiam Syriam adminiſtrante Quinctilio Varo, quum neceſſum non fuerit munus, illud praefidi ordinario committere, quod poſtea luculentius declarabo. Duo itaque demonſtrata ſunt, unum a Cyrino, non a Saturnino, factam fuiſſe deſcriptionem primam, de qua S. Lucas cap. 2. alterum, Tertullianum de hac deſcriptione in citato cap. 19. non fuiſſe loquutum, ac ſi de hac quoque locutus foret, nequaquam fieri conſequens actam illam anno V. C. 748.

XIV. Demum quod viri praeſtantiſſimi tanquam certum ſupponunt, Aeram Antiochenam initium habuiſſe anno V. C. 723. unde ex Nummis inferunt Saturninum an. Vrb. 748. e Syria amotum, ſubſtituto in eius locum Quinctilio Varo, & id aut falſum, aut ſaltem ambiguum cenſendum eſt. Primo enim quod eruditiſſimus Pagius in App. num. 104. ait Antiochenos, qui ſub imperio Antonii Triumviri fuerant, eo apud Actium devicto ad Caeſarem defeciſſe, ideoque Antiochenos ipſos enumeraſſe annos Auguſti ab Autumno anni Vrb. 723. quod tradiderat antea Noritius Diſs. II. in Cenotaph. Piſ. & in Epochis Syromacedonum, demonſtrare nititur, & ex Dione demonſtrat, qui lib. LI. narrat, Gladiatores, qui ab Antonio ad ludos triumphales alebantur, profectos fuiſſe in Aegyptum ad ferenda illi auxilia; ſed cum opera Quincti Didii praefecti Syriae circumventi, intercluſique, non potuiſſent evadere, coactis illis ad deditionem, Antiochiam Caeſari Auguſto ceſſiſſe. At Dio eodem in libro pag. 274. edit. Baſileenſis haec narrat, poſtquam & pugnam Actiacam, & Caeſaris reditum in Italiam, & regreſſum in Aſiam, & Antonii fugam, & huius ad finitimos reges legationes, & navium, quae in ſinu Arabico fabricabantur, incendia deſcripſerat, iam ſuperiori pagina adnotato Conſulatu quarto, quem Caeſar Octavianus iniit cum M. Licinio Craſſo, ideſt, anno V. C. 724. Ab hoc itaque anno, non autem a praecedenti, incipit Aera Antiochena Auguſtea. Quamobrem Samuel Baſnagius ad An. XXX. ante Chriſtum num. 14. inquit: *Pace doctiſſimorum virorum, nobis nondum liquet quibus argumentis anno praeterito illam aſſignent Epocham. Neque in Dione, ſi ſit nobis oculorum viger integer, praeclare factum eſt huius opinionis fundamentum.* Si autem Aera Antiochena ab anno Vrb. 724. inchoetur; conſtat notam numeralem anni 25. in Nummis Quinctilii Vari deſignare annum Vrb. 749. non vero praecedentem 748. ac proinde iisdem nummis ſententiam fulciri noſtram. Deinde Alexander & Ariſtobulus Sebaſte iuſſu patris Herodis ſtrangulati ſunt, poſtquam Nicolaus Damaſcenus illos, & Syllaeum apud Caeſarem accuſaverat, quod *Coſs. Balbo & Antiſtio*, ideſt, anno Vrb. 748. inſidias Antipatri contigit,

XIV. *Aera Antiochena Auguſtana undenam ſupputanda?*

ut narrat Ioſephus lib. xvi. Antiq. cap. 17. Tunc vero Saturninus, quem ad invidiam eluendam Antipater ſibi omni ſtudio conciliavit, adhuc regebat Syriam, ut commonſtrat idem Hiſtoricus lib. xvii. cap. 2. Si autem Saturninus anno Vrb. 748. Syriae praeerat, quomodo e Palaeſtina diſceſſerat? quomodo ea provincia Quinctilio Varo fuerat demandata? Verum adverſus ſententiam eorum, qui hoc anno Vrb. 748. ſtatuunt Chriſti Nativitatem, dictum ſatis, ſuperque.

XV. *In Cenſus ab Auguſto indictos inquiritur.*

XV. Quae duo ſuperius dicta ſunt, natum Dominum *dum deſcriberetur univerſus orbis*, & deſcriptionem iſtam factam fuiſſe *a Praeſide Syriae Cyrino*, ambo haud levem ingerunt difficultatem, & differendi materiam nobis ſuppeditant. Oritur difficultas ex tempore univerſalis illius deſcriptionis, augeturque, & magis implicatur ex anno, quo ad Syriam regendam miſſus fuit Publius Sulpitius Quirinius. De univerſalibus Auguſti cenſibus quid ſit aſſerendum, colligitur ex lapide Ancyrano, quem ex Byzantina legatione attulit Busbequius, & quem poteſt unuſquisque delineatum exſcriptumque videre apud Ianum Gruterum lib. i. Inſcript. pag. 250. & apud Andream Schottum in Epitomen Aurelii Victoris, necnon in Pandectis Turcicis Leunclavii. Ex hoc Ancyrano lapide, quem notis illuſtravit Vir eruditiſſimus Iuſtus Lipſius, optime obſervarunt Caſaubonus Exercit. I. in Baronium num. 33. Petavius lib. xii. de Doctr. Temp. cap. 8. ac doctiſſimus Abrincenſis Epiſcopus Petrus Daniel Huetius P. II. Demonſtr. Evangel. prop. 9. cap. 10. ter Auguſtum egiſſe cenſum, quod & affirmavit Suetonius in *Octavio* his verbis; *Cenſum tamen populi ter egit, primum & tertium cum Collega, medium ſolus.* Prior cenſus peractus eſt an. V. C. 726. *Coſs. Auguſto Caeſare V I. & M. Vipſanio Agrippa* (male apud Huetium legitur Auguſto IV. quoniam Conſulatum quartum Auguſtus geſſit cum M. Licinio Craſſo, non cum Agrippa:) & de hoc cenſu in Ancyrano Lapide, IN CONSVLATV. SEXTO. CENSVM POPVLI. COLLEGA M. AGRIPPA. Cohaerent his verba Dionis lib. liii. ad praenotatum Conſulatum ſcribens, *Eo quippe anno cenſum peregit, & princeps Senatus ipſe in eo dictus eſt pro eo more, qui integro etiamnum populi in republica ſtatu erat receptus.* Cenſus alter peractus fuit anno Vrb. 746. *Coſs. Marcio Cenſorino & Aſinio*: ita Lapis Ancyranus: LVSTRVM. SOLVS. FECI. COSS. CENSORINO. ET. ASINIO: de quo tamen cenſu nil apud Dionem, quamquam non vereor quin is fuerit, de quo Suetonius, *Medium cenſum egit ſolus.* Tertium actum anno Vrb. 767. paullo ante C. Auguſti mortem, & liquet ex praecitati marmoris inſcriptione, & ex Dione lib. lvi. In marmore ſcriptum extat, NVPERRIME. CVM. COLLEGA: TIBERIO. SEXTO. POMPEIO. ET. SEXTO. APVLEIO. COSS. Apud Dionem vero, *duobus Sextis Coſs.* ut oſtenderetur, *quantum, aut quo pendendum cuilibet*

bet modo foret, alios alio dimisit, qui privatorum & civitatum facultates describerent. Iam vero si ab Augusto universus Orbis censitus est anno Vrb. 726. anno 746. & anno 767. quo modo Christus, quem constat ex Evangelio Lucae natum *dum describeretur universus Orbis*, dicitur natus in Bethlem anno V. C. 749.? Atque haec est prior difficultas ex descripto iussione Caesaris Augusti toto Romano Orbe petita.

XVI. *Quo tempore Quirinius fuerit Praeses Syriae.*

XVI. Altera e praefectura Cyrini depromitur, & est huiusmodi. Cyrinus in Syriam Praeses missus fuit post relegationem Archelai, ut Flavius Iosephus scribit lib. XVIII. Antiq. cap. 3. *Missus est in Syriam, ut censum ageret Quirinius vir Consularis*, post pauca subiiciens actum hunc censum anno 37. *post pugnam Actiacam*. Demonstratum est autem a nobis in Epocha Archelai N. III. hunc Romae damnatum, & Viennam Galliarum urbem relegatum fuisse anno regni sui decimo nondum exacto, idest anno V. C. 760. ac septimo Aerae Dionysianae, quem annum esse 37. a pugna Actiaca quae itidem diximus de Aera huius pugnae initae anno Vrb. 723. satis ostendunt: idque & Dio confirmat, tametsi uno anno labitur in Chronologia Herodiana, scribens lib. LV. relegato trans alpes Archelao, quem ipse Dio *Herodem Palaestinum* appellat, partem eius ditionis in publicum fuisse redactam. Legite quae diximus in Epochis Herodiadum N. III. IV. & V. Indubitatum est itaque, Cyrenium, aut Quirinium, non fuisse Syriae praesidem ante annum Vrb. 760. & consequenter quomodo descriptio Orbis facta tempore Dominicae Nativitatis, peracta fuit a praeside Syriae Cyrino? Haec vero est altera difficultas.

XVII. *Oppositio prima diluitur.*

XVII. Quum utramque omnes Chronologi diluere teneantur propterea quod nullus retrahit Christi Nativitatem ad an. Vrb. 726. quo Augustus egit priorem censum, aut ad an. 746. quo peregit secundum, nullus item illam protrahit ad an. 767. quo actus est census tertius, vel ad annum 760. quo ad Syriam regendam profectus erat Quirinius; quisque probe intelligit neutra sententiam nostram peculiari ratione oppugnari: tametsi in iis expediendis aliquantulum sit immorandum. Ergo ad lapidem Ancyranum quod spectat, principio iure dubitare possumus, num recte exscriptus ad notitiam nostram pervenerit: nam census secundus, quo tantum indicto contingere potuit Salvatoris Nativitas, incerti videtur temporis; siquidem in Ancyrano Lapide litterae abrasae sunt multae, & Consulatus *Censorini & Asinii* coniectura tantum Iusti Lipsii ibidem est restitutus: capita etiam eo in censu enumerata dicuntur in lapidis incisis litteris. QVADRAGENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIGINTA. TRIA. & Eusebius in Chronico inquit, Τιμήσεως γενομένης ἐν Ῥώμῃ ἀπεγράφησαν Ῥωμαίων μυριάδες υἵς καὶ ϡλ. idest, iuxta versionem Hieronymi,

nymi, *Cenſu Romae agitato inventa ſunt civium Romanorum* XLI. *centena*, & LXIV. *millia*. Si autem in ea inſcriptione irrepſit mendum, deprompta inde obiectio nullius roboris. Admiſſa deinde Lipſii explicatione, reſpondeo cum doctiſſimo Huetio, iuſſum quidem, indictumque cenſum an. Vrb. 746. ſed illius executionem fuiſſe diuturnioris operis, quaeque in plurimum annorum ſpatium excurreret. Si enim quando Ioab mandante Davide percenſuit Hebraeos, quamvis in cenſum non venerint Leuitae & Beniamitae, eam in rem decem menſes fuerunt inſumpti, ut inquit Ioſephus lib. VII. Antiq. cap. 10. Si cenſus inchoatus anno Vrb. 767. in ſola Germania continuatus fuit ex Tacito lib. I. Annalium proximi triennii ſpatio: ſi teſte Plinio Veſpaſiani, pater, & filius, intra quadriennium cenſum abſolverunt; quare dici nequit cenſum anno V. C. 746. in Italia finitimisque provinciis inſtitutum, ſubſequentibus annis actum fuiſſe in extremis Imperii finibus, adeo ut anno Vrb. 749. peragereturin Syria? Vlterius Auguſtus praeter cenſus, de quibus in Lapide Ancyrano, ob exigenda tributa peractos, edendum curavit totius imperii *Breviarium*, cuius conficiendi cauſa in omnes provincias miſit ſelectos viros, ut ſcribunt Dio lib. LVI. Suetonius in *Octavio* cap. 102. & Suidas V. *Απογραφη'*. De hoc itaque *Breviario*, ſive omnium capitum, omniumque virium Romani Imperii recenſione, poſſumus cum illuſtri Viro Dionyſio Petavio lib. XII. de Doctr. Temp. cap 8. accipere Evangelica verba, *Exiit edictum a Caeſ. Auguſto ut deſcriberetur univerſus Orbis:* atque una, aut altera ex tribus hiſce reſponſionibus prior difficultas evidenti ſolutione dirimitur.

XVIII. *Alia oppoſitio dirimitur.*

XVIII. De altera oppoſitione eruditorum iudicia diſcrepant. Theodorus Beza in ea fuit ſententia, quod tempore Dominicae Nativitatis revera fuerit Praeſes Syriae aut Saturninus, aut Quinctilius Varus, ſed ab Evangeliſta actum dici a Quirinio, quoniam is adiunctus fuerit Varo ſocius, huiusque muneris particeps: quod & Tillemontius affirmat Not. 2. in Ieſum Chriſtum. Id falsum puto, quia non mihi videtur ſocium & coadiutorem, non vero praeſidem actoremque praecipuum fuiſſe ab Evangeliſta commemorandum. Baronius ait in Appr. Ioſephum ſcribentem Lib. XVIII. Antiq. Cyrinum egiſſe in Syria cenſum relegato Archelao, & anno 33. a pugna Actiaca, enormi anacroniſmo peccaſſe; ſed immerito Hiſtoricum praeſtantiſſimum Baronius pulsat & vellicat; ſiquidem ille non de univerſali deſcriptione, ſed de cenſu in Syria in provinciam redacta inſtituto verba facit, illamque ad Iudaeos, quorum texuit Hiſtoriam peculiari ratione non pertinentem alto praetermiſit ſilentio. Henricus Valeſius in Notis ad cap. 5. lib. I. Hiſt. Euſebii inquit corrigendum eſſe textum Lucae, & pro Cyrino ſubſtituendum Saturninum ex Tertulliano lib. IV. adverſus Marcionem cap. 19. quod & ſuperius

perius improbatum eſt, & illinc quoque refellitur, quod naſcente Domino non Saturninus, ſed Quinctilius Varus Syriae praeerat. Huetius Quinctilium ipſum Varum pro Cyrino ponendum cenſet, addens ex Epiphanio H. 42. in Lucae Evangelium Marcioniſtarum fraude menda complura irrepſiſſe: verum & id reſicitur, quoniam nec ullo autographo textus Evangelicus corrigi poteſt, nec haeretici cur hunc locum corrumperent cauſam habuere aliquam, nec deſunt antiquiſſimi Patres, qui cenſum a Quirinio peractum diſerte affirmant. Papebrochius Diatriba Praeliminari ad menſem Aprilem Exercit. 2. Georgius Hervartus cap. 241. Chronologiae, & Samuel Baſnagius ad an. Vrb. 749. putant in Evangelio poſitivum πρώτη, prima, vim habere comparitivi πρoτέρα reſpectu genitivi ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ita ut ſenſus ſit; Haec deſcriptio eſt prior ea, quae poſtea facta eſt ſub praeſide Syriae Cyrino: at nemo non videt hanc ſyntaxim violentam eſſe, praeſertim cum deſcriptio facta a Cyrino anno V. C. 760. non fuerit univerſalis eiusdemque generis cum priori? Quid ergo? Anno V. C. 749. Quirinius poſt devictos Homonadenſes in Cilicia commorabatur, ut colligitur ex Tacito lib. III. Annal. quod & Caſaubonus & Vſſerius praenotaverunt: eique Auguſtus extraordinario magiſtratu perogendum in Syria cenſom commiſit, ita, ut ea verba, *Haec deſcriptio prima*; *&c.* planiſſimum hunc ſenſum referant, Haec deſcriptio eſt prima facta a Cyrino, qui & deſcriptionem alteram fecit poſt relegationem Archelai, quando advenit Praeſes in Syriam. Cur enim dicitur deſcriptio prima, niſi reſpectu alterius ab eodem Cyrino peractae? Praeclare Dionyſius Petavius praecitato lib. XII. cap. 8. *Non ordinarius hic erat Magiſtratus; extraordinarius autem, ac ſolius cenſus gratia miſſus eſt Quirinus.* His autem utraque difficultas ſuperius propoſita videtur mihi ſatis explanata, & abunde ſoluta.

XIX. Praecipuis oppoſitionibus, quae urgeri poſſunt adverſus ſententiam ſtatuentium Chriſti Nativitatem in anno Iuliano 41. & V. C. 749. quantum noſtra intererat expeditis, recentiorumque eamdem Nativitatem in ſuperiorem annum retrahentium diſcuſſis libratisque momentis, ut de ſtatuta a nobis Epocha omnes evellantur ſcrupuli; illa quoque rationum pondera, quibus adducti alii in annum 750. alii in 751. alii in 752. alii in 753. alii demum in 754. Natale Domini protraxerunt, in medium producam & refutabo. Itaque ii, qui cum Bernardo *Lamy* exiſtimant conſignandam Nativitatem Dominicam anno Iuliano 42. *Calviſio Sabino*, & *Paſſieno Rufo*, *Coſs.* haud negant adligandum fuiſſe Chriſti Natale tranſactis anno 41. ſi natus fuiſſet, ut vulgo creditur, anno definente, & die 25. Decembris: ſed aliter rem ſe habere contendunt, propterea quod Aegyptii, & Orientales alii complures Natalem, & *Theophaniam*, Dei ſcilicet apparitionem, die Ianuarii quinta vel ſexta a primis ecclc-

XIX. *Ad argumenta Bernardi Lamy reſponſio.*

cleſiae ſaeculis celebraverint, ut Epiphanius, Caſſianus, Photius, aliique teſtantur; immo non rigente hieme, ſed verno potius aut autumnali tempore contigerit Salvatoris noſtri Nativitas, Luca Evangeliſta affirmante, quod eo temporis *Paſtores cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum*: id, quod rigidiſſima hiemali tempeſtate nequaquam patitur frigoris aerisque inclementia. Reiecta autem Dominica Nativitate in annum proximum, qui Decembrem anni Iuliani 41. ſubſecutus eſt, quis non videt Nativitatem illam anno Iuliano 42. & V. C. 750. eſſe adligandam?

XX. *Praedictae obiectioni occurritur.*

XX. Haec, ſi nonnihil ſapio, nullius ſunt roboris, & nil prorſus crepant ſolidi. Nam ſive verno, ſive autumnali, ſive aeſtivo quoque tempore natus ſit ex Virgine Dei Filius, id omnino impertinens eſt ad annum definiendum. De die tamen natali dicam poſtea, & iſtiusmodi quoque argutiolas cuſas olim in Volfii, & Beroaldi officina, diſpungam penitus & exsufflabo. Interim hoc unum repono non eſſe cuſtodes gregis adeo molles & delicatulos ut aeris intemperiem horreſcant, a qua ovinis pellibus, incenſis arbuſtis, conſtructisque palearis rigidiora membra defendunt. Non opus eſt memoria repetere quae Genes. 31. aiebat Patriarcha Iacob de tempore, quo Labani ſoceri ſui ducebat armenta, *Diu noctuque aeſtu urebar, & gelu*: non, inquam, opus eſt haec repetere ob oculos poſitas Etruriae maritimas regiones, proximumque Piſanum agrum ſpectantibus, nec ignorantibus illuſtris Poetae carmen in III. Georgicorum.

Saepe diem noctemque, & totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta, ſine ullis
Hoſpitiis: tantum campi iacet. Omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram.
Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Iniuſto ſub foſce viam dum carpit, & hoſti
Ante expectatam poſitis ſtat in agmine caſtris.

XXI. *Caeſ. Card. Baronii momenta producuntur.*

XXI. At audiendus eſt modo Cl. Annalium Auctor Baronius, qui natum Dominum cenſet anno Iuliano 43. V. C. 752. ſecundo Olympiadis 194. Inquit primo vir doctiſſimus id comprobari auctoritate Caſſiodori, qui in ſuo ad Theodoricum Regem Chronico, ad Conſulatum Lentuli & Meſſalae ſcribit: *His Coſs. Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei in Bethlehem naſcitur anno Imperii Auguſti* XLI. nimirum a Triumviratu. Deinde profert Baronius Romanae Ecclcſiae Martyrologium, in quo VIII. Cal. Ianuarias eadem ſententia quoad annum Olympiacum expreſſe traditur. Tribus praeterea Epochis Auguſti deſcriptis, ideſt a nece Iulii Caeſaris, ab inſtituto Triumviratu, & a pugna Actiaca, demonſtrat annum V. C. 751. eſſe annum Auguſti 42. a nece Caeſaris, quo anno natum Dominum affirma-

firmarunt Euſebius & Epiphanius: eſſe annum Auguſti 41. a Triumviratu, quo anno Chriſtum natum ſcripſere Irenaeus, Hieronymus, & praelaudatus Caſſiodorus: eſſe demum annum Auguſti 28. ab Actiaco conflictu, quo anno Dominum natum litteris prodidit S. Clemens Alexandrinus: ita Baronius ſententiae ſuae accommodat omnium fere Antiquiorum Chronologiam. Ad haec ait, deſcriptionem in Syria a Luca Evangeliſta commemoratam, ex Chronico Euſebii peractam fuiſſe anno 11. Olymp. 194. quem conſtat eſſe V. C. 751. Demum inquit Baronius baptizatum fuiſſe Chriſtum exacto anno trigeſimo aetatis ſuae, & anno 15. Imperii Tiberii Caeſaris: hunc annum 15. fuiſſe annum Vrb. 781. unde annis 30. detractis, reſiduus erit annus Dominicae Nativitatis 751. ab V. C. Haec totius Baronianae Chronologiae compendiaria ſynopſis.

XXII. Nullum vero, qui hactenus dicta perceperit, valent producta momenta aliquatenus commmovere. Etenim de Faſtis Conſularibus pertractando oſtendimus digeſtos a Caſſiodoro permultis ſeatere mendis, etiam poſt correctiones Cuſpiniani & Fornerii, ipſumque Baronium duo Conſulum paria, ut Annalibus ſuis Dionyſianam Epocham accommodaret, praetermiſiſſe: praelaudatos autem Caſſiodori Faſtos *farraginem* appellari a Scaligero, *temulentiae* comparari a Panvinio, & non *magnae rei* opus dici a Gerardo Ioanne Voſſio. Ita primum Baronii argumentum nihil aut parum negocii nobis faceſſit. Proximum eiusdem generis eſt: nam in vetuſtis Eccleſiae Romanae Martyrologiis annorum ſupputatio, qualis extat modo, non legitur; ſed in antiquiori, quod a memorato Caſſiodoro, a Beda, aliisque tribuitur *Hieronymo*, & edito ex probatae fidei Codicibus anno 1668. a Florentinio, legitur tantummodo, *VIII. Kal. Ian. Nativitas Domini & paſſio S. Anaſtaſiae Virginis*. Quis deinde ignorat in Romano Martyrologio, quo modo utimur, ſequi Eccleſiam ſupputationem Graecorum Bibliorum, dum ibidem aſſeritur natum e Maria Virgine Chriſtum anno a creatione Mundi 5199. cum tamen eadem Eccleſia in Vulgata, quam Canonicam definierunt omnium Tridentinorum Patrum ſuffragia, praeferat Hebraicam ſupputationem, iuxta quam natus eſt Dominus circa annum Mundi, plus, minus, 4000.? Quis rurſus ignorat cum in Romano Martyrologio, tum in Breviario, quaedam, quae ſpongia indigent, reperiri; quibus tamen nullatenus Fides Catholica labefactatur. Quis denique ignorat ipſi Martyrologio annum 11. Olymp. 194. fuiſſe adpoſitum, ut Dionyſianae Epochae ratio haberetur, quod tamen infida falſaque ſupputatione factum poſtmodum commonſtrabo? (Scriptum legimus in editis Martyr. 752. ſed an. 11. Olymp. 194. aliique Chronologici characteres deſignant an. Vrb. 751. ideoque recte Baronius pro ſententia ſua laudat Romanae Eccleſiae Martyrologium). Fas itaque ſit mihi reponere quod Chriſtiano Erneſto quamdam BENEDICTI XIV. P. O. M. epiſtolam temerario auſu roden-

XXII. *Solvuntur praemiſſa Baronii argumenta.*

ti nuperrime reſpondit Ludovicus Muratorius Italiae noſtrae decus & ornamentum, neceſſum eſſe ut qui frivola haec obiectat, nos reputet in tetra caligine merſos, immo ſtipites, quaſi aut Fidei regulam in his concludamus, aut exiſtimemus Eccleſiam nos cogere ad credenda ut vera, quaecumque in eisdem (Breviario, aut Martyrologio, ea enim utriusque eſt ratio) traduntur. Ad ſupputationes denique annorum iuxta diverſas Epochas Caeſaris Octaviani Auguſti, atque ad producta a Card. Baronio ſcriptorum teſtimonia, principio reponimus cum Auguſtino lib. II. de Doctr. Chriſtiana cap. 28. *Ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare*. Tum admittimus triplicem illam Auguſti Epocham, aliasque etiam a Baronio praetermiſſas, a nobis vero ſingillatim expoſitas; ſed affirmamus, cui ex iisdem Epochis auctores a Baronio laudati inſiſtant, rem eſſe omnino incompertam; Patres antiquiores, qui aſſeruerunt crucifixum Dominum *Coſs. duobus Geminis*, Baronianam Chronologiam praedamnaſſe; anno V. C. 751. Decembri menſe Herodem Magnum non fuiſſe inter viventes: ipſum Baronium adligantem praedicto anno Natale Dominicum extra ſemitam diu cucurriſſe: nequaquam nos imperitos de viro alioqui maximo iudicium iſtud proferre; Pagios, Noriſios, Petavios, Vſſeriors, ceterosque primi ſubſellii Chronologos illud praenuntiaſſe: Dominum non anno 15. Imperii Auguſtaei Tiberii Caeſaris, ſed anno 15. Imperii Proconſularis tinctum fuiſſe baptiſmo; ſi id contigiſſet anno 15. Imperii Auguſtaei, non anno 30. ſed 33. aetatis ſuae iam exacto, cum Vſſerio, recentiorumque permultis ob Epocham Herodis emortualem, fore Baptismum Domini neceſſaria conſecutione adligandum: atque his Baronium debito cum honore dimittimus.

XXIII. *Aliorum rationes breviſſime refutantur.*

XXIII. Faſtorum vero Parer Onuphrius Panvinius, qui ait natum Dominum anno V. C. 752. duplici rationi innititur; alteri, quia in eius ſententia Chriſtus ad Ioannis Baptiſmum acceſſit anno V. C. 782. alteri, quia putat anno Vrb. 752. a Quirinio cenſum fuiſſe peractum. Verum de baptiſmo dicendum alibi, de cenſu pertractatum eſt ſupra. Dionyſius Exiguus, Labbeus, aliique aſſerentes natum Chriſtum anno V. C. 753. non alia ratione id pronuntiant, niſi quia a proximis Kalendis Ianuariis anni 754. exordium ducit Aera Vulgaris: at iſtam a vero Chriſti Natali praeveniri integro ſaltem quadriennio a nobis demonſtratum iri promittimus. Poſtremo qui protrahunt Chriſti Nativitatem ad Conſulatum Caeſaris & Paulli, ſive ad annum Iulianum 46. & V. C. 754. producunt Faſtos Conſulares Anonymi laudatos a Cuſpiniano, & ab ipſo adtributos Paulo Oroſio, in quibus ad praelaudatum Conſulatum legitur: *Hoc Conſule, Chriſtus natus eſt VIII. Kal. Ianuarias, Luna* 15. ſed interim fat eſt reſpondere, iisdem Faſtis aliena & imperita manu haec verba fuiſſe inſerta: nam differendo poſthac de Aera Dionyſiana addemus nonnulla, quibus

bus id comprobetur; & ſi quid ad Epocham Dominicae Nativitatis colluſtrandam deſideratur, & hoc explanabitur, ut praeſens Diſſertatio reddatur, quantum ingeniolum noſtrum conari poteſt, numeris omnibus abſoluta.

XXIV. Vera Natalis Domini Epocha definita, oppoſitisque opinionibus diſcuſſis & refutatis, ad illam, qua modo utimur, nunc Dionyſianam, nunc Vulgarem, Communemque, & Chriſtianam quoque nuncupatam, convertenda eſt Diſſertatio: atque ut recto procedamus ordine, primum de huius Epochae Auctore, deinde vero de modo ac tempore, quo in uſum recepta fuit, tum de variis circa eius initia illuſtriorum Virorum placitis, ac poſtremo de recta illius ſupputatione pertractare deliberavi. De Auctore itaque nunc differamus. Dionyſius Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 2. ait communem eſſe opinionem veterum Computiſtarum, Dionyſium Abbatem inſtituiſſe cyclum annorum 82. huiusque cycli annum primum accommodaſſe illi, qui proxime Aeram Vulgarem praecedit, & aureo numero 1. inſignitur; itaut Incarnationem Chriſti menſe Martio, Nativitatem menſe Decembri anno 2. Cycli ſtatuerit, quod & Beda tradidit cap. 45. libri de Ratione Temporum, & in Cyclis Dionyſianis. At monet Petavius aliter de Cyclo, aliter vero de Aera Dionyſii diſſerendum eſſe; primumque Cycli annum in anno Per. Iulianae 4712. primum Aerae in anno Per. Iul. 4713. iuxta Aeram Dionyſianam conſignari oportere: quumque ab Incarnatione Dionyſius annos coeperit numerare, nos uno minus anno numerare hodie, quam ille inſtituerat. Certum eſt enim ſupputari a nobis annos Chriſti ab anno Per. Iulianae 4714. Hac Petavii opinione probata, conſtat Aeram noſtram eamdem eſſe ac Dionyſianam, modo non ab Incarnatione Chriſti, ſed a Nativitate, ſeptemque diebus ante Kalendas Ianuarias omiſſis, ab ineunte anno Vrb. 754. Per. Iul. 4714. annos enumeremus. Cardinalis Noriſius Diſſert. III. *de Cyclo Paſchali Ravennate cap.* 5. adverſus Langium, qui exiſtimavit Vulgaris Epochae non Dionyſium, ſed Bedam auctorem fuiſſe, inquit nec Dionyſio, nec Bedae id adtribuendum eſſe; propterea quod Beda item annos Chriſti Domini non ab eiusdem Natali, ſed ab illius Conceptione auſpicatur, ideoque uno anno computum Bedae Vulgarem Aeram praecedat: quod perſpicuum eſt ex Lib. *de Rat. Temp. cap.* 45. atque ex *Hiſtoria Anglorum*, ubi paſſim utitur Epocha annorum a Dominica Incarnatione. Verum & Beda cum Vulgari Aera convenit, ſi animadvertat, ut ſupra de Dionyſio aiebat Petavius, Bedam ab Incarnatione, non autem a Natali Domini, ut fit in Epocha Vulgari, dinumerare annos Chriſti, atque ſi ex computo eiusdem Bedae annum unum detrahamus. Demum & Cl. Pagius in Diſs. de Periodo Graeco-Romana num. 14. ait, Dionyſium ad Latinos tranſtuliſſe Epocham apud Graecos uſitatiſſimam, quam concinnaverat, aut ſaltem illuſtraverat Panodorus Monachus;

XXIV. *Chriſtianam Aeram, quis primus omnium invexerit?*

nachus ; cuius Epocham , neglecta illa , quam amplexati fuerant Iulius Africanus , & Eusebius , Constantinopolitani sequuntur Etenim , Panodorus , prout constat ex Chronographia Georgii Syncelli , alligavit annum Dominicae Incarnationis cum anno Mundi Antiocheno 5493. sive cum anno Iuliano 45. V. C. 753. ideoque si a Nativitate Domini Christianae Aerae annos enumerabimus , seu potius a proximis Kalendis Ianuariis anni Iuliani 46. & V. C. 754. nullatenus ab Epocha Panodori Graecarum omnium celeberrima discrepabimus .

XXV. *De Panodoro, Dionysio , ac Beda , Communis Epochae instauratoribus.*

XXV. Ex his autem , quae ex viris doctissimis Petavio , Norisio , ac Pagio delibavimus , aperte colligitur , Vulgaris Aerae institutorem fuisse Panodorum , eamque Latinis tradidisse Dionysium , & commentariis illustrasse Ven. Bedam ; hos autem , quidquid Scaliger , Calvisius , aliique Chronologi autumaverint , uno duntaxat anno a vulgari computo dissidere , quoniam more veterum Christi annos subduxere a Virgine salutata . Panodorus Monachus Aegyptius , ac Synchronus Aniani , qui iubente Alarico rege edidit Volumen de Legibus Theodosii Imperatoris , ac latinitate donavit hortatu Oruntii Episcopi Opus S. Ioannis Cstryfostomi in Matthaeum , Panodorus , inquam , floruit sub Arcadio filio Theodosii Magni , quinto scilicet Ecclesiae saeculo , ediditque Opus Chronographicum , in quo licet multa exscripserit ex Eusebio , nihilotamen minus saepe eumdem Eusebium errantem castigavit . De Panodoro haec Georgius Syncellus (Syncellum dixere Graeci , quoniam Tharasii Patriarchae proximus futurus erat successor) ut de *Syncelli* dignitate adnotavit in Lexico Mixobarbaro eruditus Meursius in libro , quem inscripsit , Ἐκλόγη χρονογραφίας , *Excepta Chronographia* , Πανόδωρος Αἰγύπτου μοναχὸς ἱστορικὸς , οὐκ ἄπειρος χρονικῆς ἀκριβείας , ἐν τοῖς χρόνοις ἀκμάσας Ἀρκαδίου Βασιλέως , καὶ Θεοφίλου Ἀλεξανδρίας ἀρχιεπισκόπου , *Panodorus Aegypti Monachus Historicus , non ignarus accuratioris Chronologiae , qui floruit tempore Arcadii Imperatoris , & Theophili Archiepiscopi Alexandrini* . Dionysius autem cognomento Exiguus , natione Scytha , sed Monachorum Abbas in Vrbe Roma , scripsit *Cyclum Paschalem* anno , quo decessit Iustinus , idest , anno Christi 527. non autem temporibus S. Leonis Magni , uti insigni anachronismo ait lib. III. Chronologiae suae Genebrardus . Plura de ipsomet Dionysio Cassiodorus de Divinis Lectionibus cap. 23. de ipso Gerardus Ioannes Vossius lib. II. de Hist. Latinis cap. 19. inquit : *Primus morem induxit numerandi annos a Nativitate Christi , cum antea Diocletiani Aera obtineret* . Sed *ab Incarnatione* dicendum erat ; unde etiam ante Dionysium Panodorus , ut diximus , annos denumeravit ; post Dionysium vero non statim , sed serius haec numerandi ratio inducta fuit . Beda Anglosaxo , cognomento *Venerabilis* , Monasticum Ordinem literis ac sanctimonia decoravit , atque imperante Leone Isauro Ecclesiasticae Anglorum Historiae ,

quam

quam perduxit ad annum Dominicae Incarnationis 731. auctore & coadiutore Albino Abbate, manum admovit anno 725 De Epocha autem Chriſtiana egit in Opere *de Temporum Ratione*, *& de ſex Mundi Aetatibus* : quod unum, alia enim plurima & exquiſita recenſere ad praeſens non attinet inſtitutum, iis, quae de communi Aera producimus, haud parum lucis ſuffundit. At de Epochae inſtitutoribus dictum ſatis.

XXVI. *Quomodo Aera Dionyſiana fuerit in uſum recepta.*

XXVI. Nunc de huius Aerae propagatione nonnulla ſubiiciam. Ac primo certum eſt priſcis Eccleſiae Catholicae ſaeculis non fuiſſe in uſu receptum, ut ab Incarnatione, ſive a Nativitate Domini, annorum numerus ſubduceretur, ideoque olim Aeram hanc minime obtinuiſſe. Principio Aeris aliis ſaecularibus neglectis, utebantur Patres Diocletiana, ſive Aera Martyrum ſubrogata Actiacae anno Chriſti 284. qua etiam nunc uti ſolent Aegyptii; quare ſcribit Beda cap. 45. de Ratione Temporum, *Temporum ordinem Graeci calculatores a Diocletiani Principis annis obſervavere. Sed Dionyſius Venerabilis Abbas Romanae Vrbis, & utriusque Linguae, Graecae videlicet, ac Latinae, non ignobili praeditus ſcientia Paſchales ſcribens circulos noluit eis, ſicut ipſe teſtatur, memoriam impii, & perſecutoris innectere, ſed magis elegit ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum tempora praenotare, quatenus exordium ſpei noſtrae nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanae, ideſt, Paſſio Redemptoris noſtri evidentius eluceret.* Eccleſia tamen Romana, ut eo loci addit Ven. Beda, *in cereis annuatim ſcribere ſolebat tempus Dominicae Paſſionis, illud in memoriam populis revocans.* A morte itidem Redemptoris tempora computarunt nonnulli Graecorum, ac praeſertim Euſebius, & Auctor Chronici Alexandrini. Solebant quoque Graeci a Mundi creatione annorum rationes ducere, quam conſuetudinem non eſſe omnino antiquatam ſcribit his verbis Allatius in Opuſculo de Graecorum Hebdomadibus, *Solent Graeci, ut plurimum, immo fere ſemper, dum annos recenſent, non a Chriſto Nato, ſed ab Orbe condito ipſos enumerare.* Itaque Dionyſii, aut Panodori Epocha in Eccleſia Coſtantinopolitana obtinere coepit altero poſt eumdem Dionyſium ſaeculo, ſcilicet, nono: tunc enim uſurpari deſiit ſupputatio per Conſules, quae magis incommoda, & ſubobſcura evaſit, dum coepit unus Conſul in Oriente, alter in Occidente renuntiari. In Occidente autem non eodem ubique tempore, ſed ſenſim ac paullatim recepta fuit. Scaliger ſcribit in Galliis primum invectam *ſub Carolo Magno*, ideſt, circa octavi ſaeculi medietatem; atque in Capitularibus Regum Francorum opera Stephani Baluzii publica luce donatis adnotatus adinvenitur annus Dominicae Incarnationis 742. Luſitani, Hiſpanique nonniſi a paucis ſaeculis Aeram Hiſpanicam abrogarunt, ſubſtituta Dionyſiana, ut inquit Pagius Diſſ. De Periodo Graeco-Romana num. 15. Romani demum Pontifices, quum antea authenticis literis Indictionis notam,

tum

tum Pontificatus annum adponerent, id, quod minoris videbatur commodi, Aeramque variam & mutabilem, non vero unam ac perpetuam ſtatuebat, ab Eugenio IV. ad Apoſtolicam Cathedram evecto V. Nonas Martii 1431. coeperunt Dionyſianam Epocham adhibere. Quod factum aiunt hortatu Flavii Blondi Forojulienſis, eiusdem Eugenii a ſecretis, qui *Romae illuſtratae* libros tres, & *Italiae illuſtratae* libros octo, aliaque praeclari ingenii monumenta reliquit, obiitque pridie Nonas Iunii anno Salutis 1463. ut legitur in eius epitaphio Romae ante introitum templi, quod vocant in *Ara Coeli*: quod adnotatum volui, cum Ioannes Gobellinus lib. II. Commentariorum Pii II. Pontificis Maximi deceſſiſſe Blondum ſcribat *anno* 1458. unde certiores reddimur, accuratos quoque ſcriptores in rebus, quae aetate ſua contigere, narrandis interdum memoria labi, aut oſcitanter, negligenterque ſe gerere. Ob ea, quae hactenus dixi, Aera, qua numerantur anni ab Incarnatione, ſeu a Nativitate Dominica, Dionyſiana, Vulgaris, vel Communis, & Chriſtiana appellatur: *Dionyſiana*, quoniam Dionyſius Exiguus in Occidentem primus omnium illam invexit; *Vulgaris*, quia planior & communior evaſit; *Chriſtiana*, quia ab Adventu Chriſti & a reparatae ſalutis exordio inchoatur. Haec vero de huius Aerae inſtitutione, ac propagatione dicta ſint.

XXVII. *De Aera Dionyſiana opiniones contrariae recitantur.*

XXVII. Dionyſianae Aerae inſtitutione praemiſſa, mihi ad eius ſtatuenda principia progredienti occurrunt diverſae eruditiſſimorum Chronologorum haud flocci faciundae definitiones. Nam Scaliger in ſexto *de Emendatione Temporum* libro ait, Dionyſium biennio breviorem, quam par fuiſſet, Incarnationis Aeram conſignaſſe, ac ſubiraſcitur, quod & illi eamdem proponendi, imperandique poſteris amplectendi & ſequendi noxia cogitatio ſubierit. Voluiſſet enim Scaliger, ut Aeram ipſam ſtatuiſſet auctor in anno Iuliano 43. V. C. 751. quo idem Scaliger natum Dominum exiſtimavit; ideoque Aerae initia conſtituit in anno Iuliano 44. & V. C. 752. Baronius item, qui in anno Dominicae Nativitatis conſentit Scaligero, cummonemque Aeram in digerendis Annalibus ſectatur, nullumque in illa mendum cubare deprehendit, conſequenter ab an. Vrb. 751. & ab anno Iuliano 43. ſeu potius ab anni proximi Kalendis Ianuariis huius Aerae auſpicatur exordia. Ita Onuphrius Panvinius, qui deſinente anno Iuliano 44. natum Salvatorem ſaeculorum putavit, ab ineunte anno Iuliano 45. ſupputat annos eiusdem Aerae. At perſuaſum iam eſt omnibus eruditis, accuratisque Chronologis, Vulgarem hanc Dionyſianam Aeram initia ſua ducere a Ianuario Per. Iul. 4714. ſive ab anno Iuliano 46. Caeſaris Auguſti a caede avunculi 45. a Triumviratu 44. a Pugna Actiaca 30. Olympiadis 195. anno 1. ab V. C. anno 754. & a Conſulatu Caii Caeſaris & L. Aemilii Pauli; ita ut falſa ſit cum Baronii ſententia, qui illam biennio decurtavit, tum Panvinii, qui ipſam mutilavit anno uno, tum denique Auctoris anonymi

nymi Faſtorum, qui illam uno poſtpoſuit anno, & Pauli Foroſempronienſis, qui in eadem Aera duos & viginti annos arbitrabatur omiſſos, adeo ut qui dicitur annus Chriſti 12 dicendus ſit annus 34. & qui modo labitur 1749. ſit annus Chriſti 1771. Sententia mea eſt, de hac Aera ceteris luculentius pertractaſſe Petavium lib. XII. *de Doctr. Temp.* cap. 2. & 3. Noriſium in Diſſertationibus *de Cicło Paſchali*, & *de Votis Decennalibus*; Pagium Diſſert. *de Periodo Graeco Romana*, & Emmanuelem a Scheleſtrate *Diſs. I. Antiq. Eccl.* Nos vero ad hunc modum illam ſtatuimus & comprobamus.

XXVIII. Diximus Panodorum ac Dionyſium Monachos, Aegyptium unum, alterum Scytham, iſtius Aerae architectos, conſignaſſe Dominicam Incarnationem anno Mundi 5493. iuxta computum Antiochenum. Annus vero Mundi 5493. in eodem Antiocheno computo eſt annus 45. Iulianus. Quum vero Panodorus & Dionyſius ſequuti fuerint Epocham *Incarnationis*; perſpicuum eſt eos, qui *a Nativitate* Domini annos enumerant, poſtremisque ſeptem diebus Decembris praetermiſſis annum a Kalendis Ianuariis incipiunt, ut ſimul Iuliani, & Chriſtiani anni rationem habeant, communis Aerae primordia in exordio anni Iuliani 46 figere & collocare. Deinde in lapide Ravennate prior annus Aerae Dionyſianae eſt hiſce characteribus adnotatus, *Anno* 1. *Luna* 14. *Nonis Aprilis*. *Paſcha III. Idus Aprilis*, *Luna* 20. quae omnes, inquit Noriſius, *ſunt certiſſimae Notae Chronologicae deſignantes annum Aerae Chriſtianae* 532. *Periodi Iulianae* 5245. *& V. C.* 1285. Aeram itaque ſuam ab hoc anno Dionyſius Exiguus incepit. Iam vero ſi ab eodem anno Periodi Iulianae 5245. retro percurramus integram periodum annorum 532. perventum erit ad annum Per. Iulianae 4713. & ſi ab anno V. C. 1285. ad initia eiusdem Periodi curſum retroverſi iteremus, deſinet Periodus ipſa in anno Vrb. 753. ideoque hoc anno Dionyſius credidit Dominicam Incarnationem fuiſſe peractam, atque ab anno proximo Aera noſtra inchoatur. Praeterea Aera Diocletiani, *Martyrum* alias dicta, incipit ab anno Aerae Vulgaris 284. ut mox demonſtrabo, ſive exordium ducit a Conſulatu *M. Aurelii Carini*, *& M. Aurelii Numeriani*, atque ab anno V. C. 1037. A quo anno ſi 284. detrahantur, perveniemus ad annum Vrbis 753. ad quem proximus erit conſequenter primus Aerae Vulgaris. Poſtremo Caeſar Cardinalis Baronius ſtatuens Aerae Vulgaris initia in anno V. C. 752. abraſit duo Romanorum Conſulum paria, Aeramque biennio mutilatam exhibuit, atque Onuphrius Panvinius illam ſupputans ab anno Vrb. 753 Conſulatum unum abraſit, fecitque Aeram anno minorem. Quid ergo? Anno Vrb. 752. biennium, anno proximo 753. annus unus ſuperaddatur, eritque annus 754. communis Aerae principium.

XXVIII. *Aera Dionyſiana ab anno Iuliano* 46. *inchoatur.*

XXIX. Quoniam vero hae demonſtrationes ſupponunt lectoribus Aeram Diocletianeam notiſſimam, compertosque Conſulatus a Baronio & a Pau-

XXIX. *Diocletiani Aera explicatur.*

a Panvinio praetermissos; necessum est primo de ipsa Aera Diocletiani, aut Martyrum agere; deinde expunctos abrasosque Consulatus restituere atque explicare. Igitur etsi Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis*, & Cointius in *Annalib. Eccles. Franc.* contendant Aeram Diocletiani inchoandam ab anno Aerae Vulgaris 285. sive a Consulatu, quem idem Diocletianus gessit cum Aristobulo, Cassiodorus autem, aliique eam supputandam censeant ab anno vulgari 287. videtur tamen modo extra controversiam omnem positum, quod ipsa Diocletiana Aera subducenda sit a praecedenti Consulatu *Carini Augusti II. & M. Aurelii Numeriani II.* Haec sunt autem figendae eiusdem Epochae munimenta. Primo: praedicto anno, quo Numerianus una cum Carino Consulatum gerebat, post Cari parentis sui obitum, ex Oriente ac Perside rediens a socero suo in itinere occisus fuit; post cuius interitum Diocletianus die 17. Septembris assumpsit imperium, & die 27. eiusdem mensis regio indutus paludamento triumphantis more Nicomediam ingressus est. Carus renuntiatus fuerat Imperator *Cos. Probo Aug. & Pomponio Victorino*, anno scilicet Vulgaris Aerae 282. cui proximo anno Carinus & Numerianus illius filii successere, nec ultra annos duos Cari, filiorumque eius processit imperium, Eutropio, Victore, Vopisco, ceterisque scriptoribus id concorditer asserentibus. Nondum ergo annus V. C. 1037. & Vul. Acr. 284. elapsus erat, & Diocletianus ad Imperii fastigium fuerat evectus. Secundo: in Chronico Alexandrino ad secundum Consulatum Carini & Numeriani legitur: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octobris Calcedone renuntiatus, V. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus intravit, & Kalendis Ianuariis Consul processit.* In huius itaque Consulatus Numeriani & Carini decursu, & in anno Christi 284. initia Aerae Diocletianeae sunt conlocanda. Tertio: habetur in Codice Iustinianeo Lex II. *de Praediis*, quae dicitur lata *VI. Idus Decembris Caro & Carino AA. Cos.* L. III. *de Revocandis Donat.* lata *II. Idus Ianuarias*, & L. V. *de Donat.* lata *VI. Kalendas Februarias*, utraque in Consulatu Carini & Numeriani, & cum inscriptione, *Carinus & Numerianus Impp. AA.* Extat ibidem lib. III. Lex, *Vt nemo invitus*, in cuius titulo legitur, *Imp. Diocletianus Augustus Camerio*, in fine autem *Dat. Idibus Octobris Carino II. & Numeriano Cos.* Hinc vero perspicue colligimus, Carum adhuc fuisse superstitem, & nondum apud Ctesiphonta amplissimum Assyriae pagum ictu fulminis sublatum e vivis, die 8. Decembris anni 283. quo Consul prodierat cum filio M. Aurelio Carino Caesare: eumdem Carinum, fratremque Numerianum patre demortuo fuisse renuntiatos Imperatores Augustos ante diem 12. Ianuariam anni proximi 284. quo uterque Consulatum gessere; & nondum hoc anno transacto, ante VI. Idus, seu ante diem decimam mensis Octobris, Carino insidiis Apri soceri sui imperium affectantis occiso, Diocletianum Imperatorem salutatum fuisse, legesque

sub

ſub Auguſti nomine condidiſſe. Quarto: anno proximo 285. *Coſs. Valerio Diocletiano II. & Ariſtobulo* nondum Maximianus adſcitus erat a Diocletiano collega Imperii, ut Cl. Caeſar Card. Baronius ad An. Ch. 284. num. 2. demonſtrat ex hac Inſcriptione aſſervata Romae in atrio Aedium Tiberii Ceuli: IMP. CAES. G. VALERIO. DIOCLETIANO. PIO. FELICI. INVICTO. PONT. MAX. BRITANNIC. MAX. GERM. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. P. P. PROCOS. HONORATI. DECVRION. ET. NVMERVS. MILITVM. CALIGATORVM. Nondum itaque hoc anno imperabat Maximianus, quem Diocletianus Nicomediae morans collegam & Auguſtum nominavit *Coſs. Iunio Maximo & Aquilino*, Kalendis Aprilis, tertio anno, ex quo ipſe Diocletianus renuntiatus fuerat Auguſtus, atque in ſecunda Tribunitia ſua poteſtate, ut ſcribit citato in loco Baronius, & Noriſius Diſſert. I. de Numiſmate Diocletiani & Maximiani cap. 3. demonſtrat ex Faſtis Idatianis, in quibus legitur: *Maximo II. & Aquilino. His Conſulibus levatus eſt Maximianus Senior die Kalendarum Aprilium.* Anno itaque Diocletiani tertio, Aerae Ch. 286. in Conſulatu Maximi & Aquilini nuperrime commemorato Imperator Diocletianus Maximianum ad Imperii conſortium evexit, ideoque iam ab anno 284. ille conſecutus fuerat Imperium. Quinto: ex eadem Inſcriptione conſtat anno, quo illam Diocletiano *Caligati Milites* (ii, de quibus in Digeſtis L. VI. *de Re militari*, & in Satyra 16. Iuvenalis) dicarunt, fuiſſe ſecundo Conſulem, & II. Tribuniciae Poteſtatis. At ſecundum Conſulatum iniit cum Ariſtobulo anno 285. tranſacto itaque anno Tribuniciam poteſtatem ſimul cum Imperii dignitate fuerat indeptus. Sexto: S. Ambroſius in Epiſtola ad Epiſcopos Aemiliae annum Aerae Vulgaris 373. quo Luna Paſchalis decima quarta incidit in diem nonum ante Kalendas Aprules, appellat *annum Diocletiani octogeſimum nonum*, & annum vulgarem 377. quo Luna 14. incidit in IV. Idus Aprilis, vocat S. Antiſtes *Annum Diocletianeum nonageſimum tertium*. Detrahamus modo annos 89. ab anno vulgari 373. annon reſiduus eſt annus 284.? Detrahamus annos 93. ab anno 377. annon idem annus 284. reſiduus eſt? Hoc ergo anno, hoc inquam, non aut praecedenti aut ſequenti, incepit Aera Diocletianea. Abſolvamus itaque hunc paragraphum verbis doctiſſimi Cardinalis Baronii ad praedictum annum, num. 4. *Ex tot igitur neceſſariis plane probationibus cum conſtet hoc anno 284. Diocletianum ſuſcepiſſe regimen Imperii, erraſſe omnino convincuntur quotquot abhinc poſt tertium annum exordium imperii Diocletiani reiiciunt, ut inter alios Caſſiodorus: quod ante eum feciſſe videtur Euſebius, dum in Chronico ingreſſum eius ponit anno Domini 287. Stabiliiſſe itaque in hunc modum Diocletiani annorum Chronologiam oportuit, nam cum futura tempora poſt haec con-*

tigerint numerari ab initio eius imperii; ſi quis in eum ſemel errorem labatur, per devia ſemper ferri neceſſe eſt. Hactenus Eccleſiaſticorum Annalium Auctor clariſſimus.

XXXI. *Quae in Chronologia Baronii corrigenda ſunt, ut recte Vulgaris Aera procedat.*

XXX. Caeſarem S. R. E. Cardinalem Baronium, cuius non ſemel, & nuper quoque cum laude meminimus, nemo non miratur, non celebrat ob elaboratiſſimum Opus, in quo Aerae Chriſtianae Annales Eccleſiaſticos accommodavit, omnesque Haereticorum fraudes, maxime Centuriatorum Magdeburgenſium detexit, ſuique nominis immortalitati conſuluit. Tam eximius nihilominus, & incomparabilis Scriptor Aeram Dionyſianam ſecutus, hanc nobis biennio minorem exhibuit: quod, cum attigerim pertractans de Romanorum Conſulum Faſtis, nunc tradam & exponam enucleatius. Itaque Baronius poſteaquam Domini Nativitatem ſtatuerat anno V. C 751. *Coſs. Lentulo & Meſſalino*, & in proximo anno Vrb. 752. ſive *in* XIII. *Conſ. Auguſti* initia Aerae Chriſtianae locaverat, ſubinde vero ſingulis annis adponere ſtuduerat Conſulares Faſtos; animadvertens poſt editum iam, typisque procuſum primum Annalium Volumen, ſe integro biennio, a vera Chronologia deflexiſſe, ut ſeſe in viam revocaret, omiſit anno 259. Conſulatum *Fulvii Aemiliani, & Pomponii Baſſi*, atque anno 260. *Conſulatum Cornelii Saecularis, & Iulii Donati*. Quum inſuper Annalibus Eccleſiaſticis aptaret Chronologiam Imperatorum, perſpiciens initia Imperii Diocletiani amoveri nequaquam poſſe ab anno 284. ut evincunt invicti monimenta ſuperius producta, in definienda Probi Imperatoris aetate; huius Principis, qui ſex imperavit annis, ad quadriennium coarctavit imperium. Philippo item ſeniori, qui vix ſextum attigit annum, ad Chriſtianae Aerae 249. annos ſeptem attribuit, quamobrem per decennium aberravit a recta. Decimo tandem Annalium Tomo animadvertens in Faſtis Conſularibus ad annum Vrb. 754. deſcribi Conſulatum Caii Caeſaris & L. Aemilii Pauli, quum ipſe Caium ante triennium defunctum putaret, ait ſe Faſtis a Panvinio digeſtis in errorem fuiſſe inductum; Caii Caeſaris Conſulatum nullum fuiſſe; petitum quidem a Caio, ſed ab Auguſto ei denegatum, atque cum Paullo Aemilio Conſulem fuiſſe Auguſtum XIV. non Caium Caeſarem. Quamobrem ne quis ex lectione Annalium a vera deflectat Chronologia; primum de Conſulatu Aemiliani & Pomponii, atque de Conſulatu Cornelii Saecularis & Iulii Donati, poſtea de annis Probi ac Philippi pertractandum eſſe videtur, atque poſt neceſſariam hanc digreſſionem redeundum eſt ad Conſulatum Caii Caeſaris, & ad Aerae Dionyſianae principia.

XXXI. *Conſulatus ab Eminentiſſimo Baronio praetermiſſi.*

XXXI. Anno itaque 259. Aemilianus & Baſſus, & anno 260. Saecularis & Donatus Conſulari praediti dignitate Magiſtratum geſſere: quod aperte demonſtratur ex Faſtis omnium vetuſtiſſimis apud Cuſpinianum, ex Faſtis Theonis Alexandrini editis a Dodwello, ex Graecis,

pro-

productis in lucem a Voſſio, ex erutis e Cæſarea Bibliotheca, illuſtratisque a Cardinali Noriſio, atque, ut verbo dicam, ex univerſis; in quibus Conſulum ſeries iſta comprehenditur,

Anno V. C. 1011. *Ch.* 258. *Tuſcus & Baſſus.*
Anno Vrb. 1012. *Ch.* 259. *Aemilianus & Baſſus.*
Anno V. C. 1013. *Ch.* 260. *Saecularis & Donatus.*
Anno Vrb. 1014 *Ch.* 261. *Gallienus IV. & Gentianus, aut Voluſianus:*

Inter Conſulatum itaque Tuſci & Baſſi, atque inter Conſulatum IV. Gallieni & Gentiani, duo alii a Baronio praetermiſſi locari debent. Deinde in Codice Iuſtinianeo lib. IX. tit 22. ad Legem Corneliam *de falſis* habetur L. VII. reſcriptum, *Impp. Valerianus & Gallienus A. A. & Valerianus C. Heliodoro PP. III. Kal. Iulii, Tuſco & Baſſo Coſs.* De hoc itaque Conſulatu, qui conſignatur anno Ch. 258. & 6. Valeriani & Gallieni, nulla ſupereſt difficultas. Lege autem 8. in eodem Codicis titulo habetur haec nota *Iidem Augg. & Caeſ. Marino PP. III. Kalend. Inlias Aemiliano & Baſſo. Coſs.* quae lex data eſt anno proximo; ideoque Conſulatus iſte Aemiliani & Baſſi a praecedenti Conſulatu Tuſci & Baſſi diverſus eſt: quod & de Conſulatu Saecularis & Donati eſt aſſerendum, quo & in eodem Codice, & in Excerptis Cod. Gregoriani plura *Gallieni Reſcripta* inveniuntur notata. Praeterea compertum eſt in Conſulatu Tuſci & Baſſi Martyrio coronatum fuiſſe VIII. Idus Auguſti Sixtum glorioſiſſimum Romanae Eccleſiae Pontificem, eodemque anno 18. Kal. Octobris pro Chriſto fudiſſe ſanguinem S. Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, ut ex eius Paſſione a Pontio deſcripta evidentiſſime apparet. In Chronico autem Damaſi haec de Sixto leguntur, *Coepit a Conſulatu Maximi & Gabrionis uſque Tuſco & Baſſo, & paſſus eſt VIII. Idus Auguſti, a Conſulatu Tuſci & Baſſi uſque in diem XII. Kal. Auguſti, Aemiliano & Baſſo Coſs.* Hoc item in loco una cum tempore, quod a Martyrio Sixti usque ad creationem S. Dionyſii Papae praeterit, *Aemiliani & Baſſi* diſpunctum a Baronio Magiſtratum invenimus. Demum inter tertium, & quartum Conſulatum Gallieni, inter quos unum annum, & unum Conſulatum Tuſci & Baſſi Caeſar Cardin. Baronius interceſſiſſe putavit, alii duo anni certiſſime interfuere, ut eruditus Scheleſtratenus demonſtrat ex nummis Gallieni apud Occonem: quibus accurate deſcriptis ait Diſſ. II. Antiq. Eccl. cap. 7 *Manifeſte conſtat tres annos medios eſſe inter tertium & quartum Conſulatum Gallieni, quod nulla alia ratione fieri potuit, quam quod poſt tertium Gallieni tria Conſulum paria ſucceſſerint, priusquam Gallienus quartum Conſulatum inierit.* Ad reſtituendam itaque Baronianam Chronologism, quae inter utrumque Conſulatum Gallieni, unum duntsxat Tuſci & Baſſi interſeruit, Conſulatus alii duo, nempe Baſſi & Aemilisni, atque Saeculatis & Donati, erant adiiciendi; id, quod Henſchenius, Papebrochius, Noriſius, Pagius, Scheleſtratius, necnon Pearſonius, Dodwellus, Baſnagius, aliique

bene multi praeſtarunt: ex quorum lucubrationibus haec pauca deprompſimus.

XXXII. *De recta annorum Probi Imperatoris ſupputatione.*

XXXII. Probi autem principatum non quatuor, aut quinque incompletis, ut viſum Baronio, ſed ſex annis eſſe & quibusdam menſibus circumſcribendum, videlicet a die 3. Iulii, anni Vulg. Aer. 276. quo occiſus fuit Florianus, uſque ad Auguſtum vel Septembrem anni 282. quo ipſi Probo a militibus ſuis per inſidias interfecto ſucceſſit M. Aurelius Carus, demonſtrant teſtimonia ſcriptorum; Sexti Aurelii Victoris, cuius in Epitome haec ſunt verba: *Probus genitus patre agreſti hortorum ſtudioſo, Delmetio ſanguine, imperavit annos ſex:* cui Eutropius, Iulianus, Euſebius, Caſſiodorus, Oroſius, aliique concordant, addentes inſuper ad ſex annos menſes aliquot, unde conſtat Probum ſex annis expletis ſeptimum inchoaſſe. Demonſtrat haereſeos Manichaeorum origo: de qua S. Leo Magnus affirmat exortam fuiſſe *Probo & Paulino Coſs.* anno Chriſti 277. Euſebius autem in Chronico erupiſſe affirmat *ſecundo anno Probi*, ideoque idem Probus anno 276. auſpicatus fuerat Imperium. Demonſtrat nummus eiusdem Imperatoris M. Aurelii Probi, laudatus a Pagio ad annum 283. num. 2. cum ſymbolo Aquilae, & numerali nota L. Z. *anno VII.* unde colligimus, ipſum Probum attigiſſe ſeptimum Imperii annum, & regnaſſe (ut inquit in Caeſaribus Iulianus) *ſeptem annos nondum completos*. Atque haec dicta ſint de annis M. Aurelii Probi: de quo Flavius Vopiſcus, qui Conſtantii Chlori, & Conſtantini Magni eius filii floruit aetate, commemorato ſepulcro ei a militibus ex elatis aggeribus extructo, *Conferens ego* (inquit) *cum aliis Imperatoribus principem Probum, omnibus prope Romanis Ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles extiterunt, intelligo hunc virum parem fuiſſe, aut ſi non repugnat invidia furioſa, meliorem*. Titulus ſepulcralis inciſus marmori, etiam a Carolo Patino productus in Impp. Numiſ. pag. 436. eſt huiuſmodi: HIC PROBVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS SITVS EST: VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

XXXIII. *Philippo Auguſto Seniori quot attribuendi ſint anni.*

XXXIII. Philippus pater ac filius, de quorum religione disputant Eruditi, occiſi fuerunt ambo circa menſem Iulium *Coſs. Fulvio Aemiliano II. & Vettio Aquilino*, cum Philippus Pater vix ſextum imperii annum, & Philippus filius anni tertii initia attigiſſet; in Cod. enim Iuſtiniani lib. VIII. tit. 35. habetur L. 1. reſcriptum *Philippi Auguſti ad Caſminum* ſubſcriptum *XIV. Kal. Iul.* & lib. IV. tit. 16. extat Lex *Decii Imperatoris ad Telemachum*, ſubſcripta *XIV. Kal. Nov.* utraque lata *Aemiliano & Aquilino Coſs.* His ergo Coſs. ideſt anno 249. die 18. Iunii, Philippus Auguſtus vivebat adhuc, eodemque anno die 19. Octobris imperabat Q. Traianus Decius. Cum autem Philippus Senior ſucceſſerit Gordiano, trucidato *Coſs. Peregrino & Aemiliano*, nem-

nempe anno 244. Kalendis Martiis, perſpicuum eſt, ſex tantum annis, & quidem incompletis, non autem ſeptem imperaſſe, ſecus ac Baronius exiſtimavit.

XXXIV. Haec cum ita ſint; duobus Conſulatibus adiectis, ac Probi & Philippi Auguſtorum emendata Chronologia, accedent Eccleſiaſticis Baronii Annalibus anni duo, & Aera Vulgaris a Viro Illuſtriſſimo inchoata ab anno V. C. 752. ſupputabitur ab anno Vrb. 754. quo anno Conſulatum iniiſſe Caium Caeſarem negabat Baronius ipſe, ſed prorſus immerito. Enimvero Conſulatum Caii Caeſaris comprobatur ex Gruteriana Inſcriptione, pag. 1075. CAIO. CAESARE. AVG. FIL.... PAVLLO. COSS. ex nummis apud Occonem & Mediobarbum pag. 40. & apud Vaillant fol. 6. cum epigraphe, C. CAESAR. AVG. F. PONT. COS. ex lapide Ariminenſi, C. CAESAR. AVGVST. F. COS. VIAS. OMNES. ARIMINI. STERN. atque ex Piſano Caii Cenotaphio, in quo legitur, POST. CONSVLATVM. QVEM. VLTRA. FINIS. EXTREMAS. POPVLI. ROMANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. Adite huius alteriusque Cenotaphii Expoſitorem nobiliſſimum Noriſium Diſſ. II. cap. 13. Baronio fucum fecit quod legitur in Indice Conſulari Dionis praemiſſo lib. LV. *C. Caeſar Auguſtus XIV. L. Aemilius L. F. Paulus*: unde infert Aemilii Pauli collegam fuiſſe *Caeſarem Auguſtum XIV.* non Caium Caeſarem. Sed praeterquamquod in Latinis, Graecisque Dionis Codicibus expreſſe *Caii* nomen apparet, Caeſar Auguſtus nunquam geſſit Conſulatum XIIII. Suetonius enim in *Octavio* cap. 26. tertiumdecimum fuiſſe affirmat; atque Papinius, Statius lib. II. Sylvarum Carmine I. gratulans Domitiano, quod perveniſſet ad gerendum Conſulatum decimum ſeptimum, inquit:

XXXIV. *C. Ceſaris Conſulatum non eſſe ſuppoſitum.*

Dic age Roma potens, & mecum longa vetuſtas
Dinumera Faſtos, nec parva exempla recenſe,
Sed quae ſola meus dignetur vincere Caeſar.
Ter Latio deciesque tulit labentibus annis
Auguſtus faſces, ſed coepit ſero mereri.

His autem abunde adverſus Caeſarem Cardinalem Baronium annum primum Aerae Vulgaris, & Caii Caeſaris, & Aemilii Paulli Conſulatum, quo inſignitur, conſtituiſſe & vindicaſſe videmur.

XXXV. Nunc ad Vulgarem Epocham ab iis, quae in Faſtis Panvinii, & Anonymi offenduntur, purgandam mendis accedimus. Panvinius, quoniam Aeram ipſam incepit ab anno Iuliano 45. & V. C. 753. (Chriſtum enim Natum aſſeruit in exitu praecedentis anni Iuliani 44. in aptandis priorum ſaeculorum Hiſtoriae Faſtis Conſularibus, a recta Chronologia ſemper anno uno deflexit, aberravitque, usque ad annum Chriſti 277. ad quem annum M. Aurelii Probi, & Anicii Pau-

XXXV. *De Chronologia Panvinii atque de Probi & Paulin Conſulatu.*

Paulini Conſulatum expunxit. Eumdem enim Conſulatum ſuffectum, non ordinarium vir praeclariſſimus eſſe putavit. Cardinalis Noriſius in Diſſertatione Chronologica *de Votis Decennalibus cap.* 5. corrigit, refutatque Petavium, qui Faſtos Baronii ac Panvirii diſcutiens, de utroque ait lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 27. *Ambo inter ſe concordes Dionyſianam & Vulgarem Aeram morantur, donec ad Probum Imperatorem perventum eſt, ubi biennium utrique tacite diſſimulavit*: In quibus, ut recte animadvertit Noriſius, calculi minus recte ponuntur: quum falſum ſit, Panvinium biennio Aeram Dionyſianam antevertere; ſiquidem uno tantum anno citius eamdem inchoat, natum Dominum putans anno Vrb. 752. At Petavius ipſe errorem ſuum caſtigavit; atque in auctiori editione eiusdem Operis lib. XII. inquit: *Baronius, necnon Scaliger, ante duos annos, quam natus vulgo creditur, ortum Chriſti collocarunt; alii uno anno dumtaxat antevertunt, ut Onuphrius & Ferrerius*. Si unum itaque annum, ſive Probi & Paulini Coſulatum addamus, Onuphrii Panvinii Chronologia regio planiſſimoque progredietur itinere. Sane praedictum Conſulatum non fuiſſe abradendum evincunt proxima monumenta. Primum locum tenet egregia Inſcriptio a Noriſio in Cenotaphiis Piſanis, & ab Antonio Pagio ad annum 277. producta, D E D. III. NON. IVL. M. AVR. PROBO. AVG. ET. M. AVR. PAVLINO. COSS. *Ex qua inſigni Inſcriptione* (inquit Noriſius) *intelligimus anno Chriſtiano* 276. *M. Aurelium Probum fuiſſe Imperatorem, quod negabat Baronius; eumque Conſulem ordinarium* (anno proximo 277.) *ſecus ac Panvinius iudicavit: ſiquidem eo ſaeculo publica monumenta ſolis Conſulum ordinariorum Nominibus obſignabantur*. Quae verba ad literam Pagius exſcripſit, ſuaque reddidit. Sequitur Codex Iuſtinianeus, in cuius lib. VIII. *de Revocandis Donat.* tit. 56 num. 11. habetur Reſcriptum Probi Auguſti ad Felicem, quod incipit, *Si apud Provinciae Praeſidem*, ſignaturque, *P. P. III. Non. Maii Sirmii, Probo Auguſto, & Paulino Coſs.* Accedunt Faſti, Theonis, & Heraclii, in quibus legitur, Πρόβου Αὐγέστου καὶ Παυλίνου: Faſti Siculi item habentes, *Probo & Paulino*: Faſti ex vetuſtiſſimo Codice editi a Friderico Sylburgio, in quibus pariter ſcribitur, Πρόβος Σεβαστὸς, καὶ Παυλίνος: Demum Leo Magnus pag. 75. Edit. Lugdun. De Haereſi Manichaeorum his Coſs. exorta, quemadmodum dicebamus ſupra num. XXXI. ait: *Manichaeus ergo Magiſter falſitatis diabolicae, & conditor ſuperſtitionis obſcoenae, eo tempore damnandus innotuit, Probo Imperatore, Paulinoque Conſule, cum octava iam in Chriſtianos perſecutio ebulliret*. Nequit igitur Probi & Paulini Conſulatus extrudi; eoquo reſtituto Chronologia Faſtorum Patris Panvinii cum Aera Dionyſiana & Vulgari cohaeret.

XXXVI. *De Aera Chriſtiana, ut in Faſtis Anonymi praenotatur.*

XXXVI. A Panvinio, qui hanc Aeram anno uno antevertit, ad anonymum Faſtorum ſcriptorem, qui conſignans Nativitatem Chriſti

in

in anno Iuliano 46. Aerae Chriſtianae initia conſequenter locat Kal. Ianuariis anni proximi 47. illamque auſpicatur a Conſulatu Vinicii & Vari, ſive ab anno Vrb. 755. in praeſentia diſſerendo progredior atque affirmo neminem moveri debere, quod eo loci figatur Chriſti Nativitas *Coſs. Caio Caeſare & Paullo*. Etenim iisdem in Faſtis (quos tamen ob Conſulum rectum ordinem ſummopere commendamus) alios temporum characteres poſteriori aetate ab imperito ſcriptore fuiſſe adpoſitos, ratiocinationibus iſtis demonſtro. Primum in iisdem Faſtis, ſicuti Nativitas Chriſti conſignatur anno Vrb. 754. *Coſs. C. Caeſare & Paulo*, ita Chriſti Paſſio adligatur anno Vrb. 782. *Coſs. Gemino & Gemino*; ideoque univerſa aetas Chriſti annis viginti octo, & quidem nondum completis, iisdem in Faſtis circumſcribitur ac finitur. Quis autem ita deſipiat, ut aſſerat paſſum Dominum anno aetatis ſuae 28. quum ex Evangelio baptizatus ſit, dum ageret annum triceſimum? Inſuper Ioan. Cuſpinianus ad annum 748. V. C. ait vetuſtum illorum Faſtorum Codicem cenſeri a doctis Viris foetum Pauli Oroſii: at Oroſius lib. VII. Hiſtoriarum cap. 3. ait natum ſalutis noſtrae Auctorem *anno Vrb.* 752. *C. Auguſti* 43. ideoque non ſcripſit in Faſtis, niſi forte manifeſtiſſima Antilogia, natum fuiſſe an. V. C. 754. & C. Auguſti 46. Praeterea nil abſurdius poteſt excogitari iis, quae ibidem leguntur ad Conſulatum duorum Geminorum, *Chriſtus paſſus eſt die Solis*, *Luna XIV.* quum nemo ignoret crucifixum Dominum *in Paraſceve Sabbati*, & in Plenilunio menſis *Niſan.* Viterius ad annum V. C. 786. ſive ad Conſulatum Galbae & Sullae in iisdem Faſtis legitur, *Hoc Conſulatu Petrus & Paulus ad Vrbem venerunt*, & ad annum 808. & ad Conſulatum Veteris & Neronis, *His Coſs. paſſi ſunt Petrus & Paulus, III. Kal. Iulias*. Apoſtolos autem Romam veniſſe anno 33. Aerae Chriſtianae, & 20. Tiberii, concurrente cum anno V. C. 786. & cum praedicto Conſulatu Galbae, & Sullae; atque occiſos anno Aerae Vulgaris 55. & primo Neronis concurrente cum anno Vrb. 808. eiusdemque Neronis, & Antiſtii Veteris Conſulatu, nemo unus, qui micam habeat ſalis, effutiet. Petrus enim anno Aer. Ch. 44. quo ab Agrippa coniectus fuit in carcerem, Heroſolymis morabatur, ut oſtendimus in Herodiadum Epochis num. XXII. crucifixus eſt autem anno 37. a Paſſione Domini, *Coſs. Veſtino & Nerva*, ſive anno Aerae Vulg. 65. & Neronis 12. ut cum Epiphanio & Hieronymo affirmant recentiores omnes Hiſtorici. Poſtremo Codicem Bibliothecae Caeſareae, unde iidem Faſti, a Noriſio emendati, primum fuerunt exſcripti, vix ſuperare trecentorum annorum aetatem, ex antiquiori apographo fuiſſe depromptum, atque aliena, non quidem maligna, ſed ignava manu interpolatum teſtatus eſt in epiſtola ad Emmanuelem a Scheleſtrate Conradus Iannings; ille idem, qui ex autographo excerptos, & cum illo conlatos ad Antonium Magliabechium Cl. Florentinum Civem Faſtos ipſos transmiſit: a quo Noriſius

ac-

acceptos primus omnium publica luce donavit ad calcem egregii Operis de Epochis Syromacedonum. Hinc percipimus quantae auctoritatis cenſeri debeant praedicti Conſulares Faſti; & inferimus ad Conſulatum Caii Caeſaris & Paulli legendum non eſſe, *Hoc Conſ. Chriſtus Natus eſt* VIII. *Kal. Ian.* ſed, *His Coſs. Kal. Ianuariis incipit Aera Chriſtiana*.

XXXVII. *Pauli Epiſcopi Foroſempronienſis Commentum ac ſomnium.*

XXXVII. Aeram quippe ipſam alteri anno alligari non poſſe, non tantum refutatio oppoſitarum opinionum, verum etiam argumenta alia complura commoſtrant: quae ulterius elidunt & evertunt abſurdiorem ceteris, licet pervagatam, ſententiam aliquorum Chronologorum, quibus arriſit Commentum Pauli Foroſempronienſis Epiſcopi, Vulgarem hanc Aeram eſſe viginti duobus annis minorem, itaut excurrens annus 1749. dicendus ſit 1771. Etſi enim Paulus lib. x. Operis, quod *Paulinam* inſcripſit, p. 2. diu multumque in ea opinione firmanda inſudavit, ſibique illam in ſomniis a beatiſſimo Apoſtolo Paulo ſuperna inſpiratione demonſtratam aſſeruit; recte tamen Cl. Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 4. appellavit *labem temporum, annorumque iacturam*. Et revera ſi Chriſtus natus ſit 22. annis ante Aeram Dionyſianam, mortuus autem, quae eſt etiam opinio Foroſempronienſis Epiſcopi, exacto anno aetatis ſuae 33. & 34. inchoato; neceſſum eſt natum fuiſſe *Coſs. Marcello Aeſernino & Aruntio*, & anno V. C. 732. qui eſt annus 22. ante Aeram Chriſtianam; mortuum vero *Coſs. Caeſare Germanico & Capitone*, & anno Vrb. 765. qui eſt annus Vulgaris Aerae 12. ideoque natum Furnio adverſus Cantabros & Aſtures, ac Petronio adverſus Aethiopes bella gerentibus, non autem Orbe in pace compoſito; mortuum vero, non ſub Tiberio, ſed ſub Octaviano Auguſto, quem e vita exceſſiſſe *Coſs. duobus Sextis*, anno Vrb. 767. & communis Chriſtianae Aerae 14. repetere non eſt opus. Attamen (tanta eſt apud homines novitatis libido) a nugaciſſima illa ineptiſſimaque opinatione, nec Sigebertus, nec Marianus Scotus abhorruerunt: quos tamen cum Paulli Mittelburgenſis inſomniis extruſere Baronius ad annum 34. Caſaubonus Exercit. 16. ac Petavius praecitato lib. XII. immo idem Foroſempronienſis Epiſcopus, contempta Apoſtoli revelatione, de qua vigilans ſomniaverat, lib. XIII. ſcripſit communem Aeram nequaquam annorum 22. ſed ſolius biennii metachroniſmo peccare. Quamobrem nequit aut de me, aut de alio quopiam vir ille, alioqui Hiſtoricus & Mathematicus perilluſtris, eas repetere querimonias,

Ingeniis non ille favet, plaudetque ſepultis,
Noſtra ſed impugnat: nos, noſtraque lividus odit.

XXXVIII. *Praecedentium conſectaria.*

XXXVIII. Duo ex dictis fluunt Corollaria. Vnum inter veram Nativitatem Chriſti, & initium Aerae Vulgaris, annos quatuor, dieſque ſeptem interceſſiſſe; hoc enim temporis intervallum verſatur inter

diem

diem 25. Decembris anni Iuliani 41. & V. C. 749. quo natus eſt Chriſtus, & inter diem primum Ianuarii anni Iuliani 46. & V. C. 754. a quo ſubducitur Aera Vulgaris. Alterum Corollarium eſt, dum nos Chriſti annos dinumeramus, ac dicimus excurrere nunc annum 1749. a Domini Nativitate, annos ſupputare ab eo tempore, quo Chriſtus ſupponitur natus in computo Dionyſiano, non a tempore quo revera in Bethlehem natus eſt. Hinc vero recentiores Chronologi cum Antonio Pagio in Diſſert. de Periodo Graeco-Romana N. IV. & in Aapparatu ad Annales Baronii num. 147. diſtinguunt duplex Natale Chriſti, Dionyſianum, ac verum: quod utique diſcrimen ſi ulterius vellem explicare, profecto temporis iacturam facerem. Hoc unum addendum eſt; cum Aera Dionyſiana communiter ſit recepta, eamque ſecuti fuerint omnes prorſus poſteriorum temporum Hiſtorici, habeatque illa inſuper certum exploratumque principium, de anno autem Chriſti natali neque Scriptores conveniant, nec habeatur communis uſus, propterea quod ante Aeram Vulgarem obtinebat Epocha Diocletiani, neceſſum eſſe tum ad confuſionem vitandam, tum ad cohaerentiam Hiſtoriarum, ut ipſi Dionyſianae & communi Aerae ſcribendo ac diſſerendo inſiſtamus. Quis enim nos pateretur, ſi de rebus hoc anno geſtis commentaria conſcribentes, addito quatuor annorum ſpatio, quo Natale Domini Aeram hanc antevertit, ut ſcioli, & chronologicis elementis videremur imbuti, affirmaremus has contigiſſe, non anno 1749. ſed anno 1753. a Domini Nativitate? Igitur a communi Aera recedendum non eſt; nobisque ſufficiet eius, quam aſſecuti ſumus, pleniſſima certiſſimaque cognitio.

XXXIX. Cur autem a communi hac Aera receſſerunt Florentini, ac Piſani, quorum primi labentem annum appellarunt uſque ad VIII. Kalendarum Aprilium 1748. iſti autem poſt eamdem diem vocant annum 1750.? Iſtud a communiori uſu parvum nullumque reputari debet diſcrimen. Enimvero annos *ab Incarnatione Domini*, non autem *a Nativitate*, Veteres poſt antiquatam Aeram Martyrum ſupputarunt, & Epochas vetuſtiores a creatione Mundi, ab inſtitutione Olympiadum, ab Vrbe Condita, aliasque ad Incarnationem usque, non ad Kalendas Ianuarias ad Nativatem Dominicam ſubſecutas, ſed ad VIII. Kal. Aprilium, ſive ad proximum Paſcha, producere conſueverunt. Ipſe Dionyſius Exiguus in Epiſtola II. ad Petronium inquit: *Quia Sanctus Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani 153. coepit, & ultimum in 247. terminavit, nos a 248. anno eiusdem Tyranni potius, quam Principis, inchoantes noluimus circulis noſtris memoriam impii, & perſecutoris innectere; ſed magis eligentes ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum tempora praenotare.* Huius igitur Epochae inſtitutor, ab Incarnatione computum inchoavit. Rationem eamdem ſervavit Beda de Rat. Temp. cap. 45. ut diximus ſupra num. XXV. Servavit & Pandorus qui apud Petavium lib. VIII. Auctarii *Aeram*

XXXIX. *Florentini, ac Piſani, cur annos ab Incarnatione Domini enumerent.*

Incarnationis consignavit anno M. 5493. secutus, ut addit Pagius de Periodo Graeco-Romana, Epochsm Antiochensm. Servavit S. Maximus, cui & adhaesit Georgius Syncellus, scribens ad annum 31. Heraclii, *Colliguntur ab Incarnatione Domini usque ad praesentem Indictionem XIV. anni* 633. Quid alios commemorem? Aut ab Incarnatione, aut a Passione Domini annos supputari debere, definierat citata ad Petronium epistola Dionysius, *ut exordium spei nostrae notius nobis existeret, & causa reparationis humanae evidentius eluceret*. Quapropter doctissimus Csrdinslis Norisius Diss. III. de Cyclo Paschali cap. 5. *Florentini*, inquit, *tradito a maioribus ritu etiam id temporis annos non a Natali, sed ab Incarnatione Dominica supputantes hac die 7. Martii* (tunc haec Norisius exarabat) *anni Christi apud ceteros* 1691. *in publicis monumentis numerant* annum ab Incarnatione Domini 1690. *quam sane Epocham ad elapsum usque proxime saeculum Gallia retinuit*.

XL. *De Pisanorum consuetudine Viri praeclarissimi opinio.*

XL. Eam Epocham & Pisni ex vetusta consuetudine usurpant, quod non ob productas tantum rationes, sed etism ob peculiarem ipsorum cultum erga Beatissimam Virginem, qua ab Angelo salutata Verbum factum est Caro, probandum & commendsndum est maxime. Sed quare iidem Pisni eamdem Aeram protrahunt ad annum unum? Si id ab eis petamus, respondere solent se ab anni initio, Florentinos ab exitu Aeram Dominicae Incarnationis inchoare; quumque Incarnatio VIII. Kal. Apriles superiori anno, non Kalendis Ianusriis anni primi Vulgaris Aerae peracta sit, addere idcirco currenti annum unum sb aliis non computatum atque neglectum. Addunt, Florentinos potius in temporum ratione peccare: nam cum prius puer concipistur, qusm prodeat ex utero, videntur Conceptioni Domini praeponere Nativitatem, siquidem hunc annum ab Incarnstione 1748. a Nativitate 1749. ante VIII. Kalendas Apriles denominsbant, quasi plus temporis a nato Domino, qusm ab eius conceptu praeterierit. Atque haec testimoniis locupletissimis Cuiacii Iureconsulti percelebris, aliorumque clarissimorum Virorum demonstrat Vir Pisanae Vrbis egregius ornsta excultaque Dissertatione. Sed rem acu non tetigisse qui Florentinos redsrguere, non tsntum demonstrat praelaudatus Norisius, & vetustissima consuetudo Gallorum, sed etiam aperta rstio; Conceptio enim & Nativitas intra eiusdem anni limites comprehenduntur, ideoque a Kalendis Ianusriis, usque ad VIII. Kal. Aprilis, est idem annus tam Nativitatis, quam Conceptionis; periodus autem Conceptionis absolvitur duntaxat die 25. Martii: qua idcirco die sbiiciunt Florentini ea verba, *Ab Incarnatione Domini*, & addita unitate eumdem snnum pergunt enumerare usque dum absolvstur rursus anni ab Incarnatione tota periodus. Quamobrem ab initio, non ab exitu periodi annos supputant: atque est, me quidem iudice, res absurds in Epochis annos ab illorum termino numerare; aliud est enim dicere, *Est modo annus 1749. ab Incarnatione Domi-*

Dominica, aliud, *praeterierunt ab Incarnatione Dominica anni* 1749. ac prima oratio currentem annum demonſtrat, & vera eſt; altera deſignat annum iam tranſactum, & eſt falſa. Alia eſt ergo dilucidandae Aerae Piſanae ratio ineunda.

XLI. *Piſanorum ratio explicatur.*

XLI. Illam ego ad hunc modum expono. Dionyſius Exiguus una cum Epocha Chriſtiana inſtituit Cyclum Paſchalem, ſeu potius Epochae *Incarnationis* aptavit Cyclum Lunarem, ſive decemnovennalem; cuius Cycli Lunaris annus ſecundus concurrit cum anno primo Aerae Chriſtianae, non autem cum anno ſecundo. Id primo aperte demonſtro auctoritate Ven. Bedae ſcribentis cap. 45. de Ratione Temporum, *Secundo anno Circuli, quem primum Dionyſius ſcripſit, quingenteſimus trigeſimus tertius ab Incarnatione Domini completus eſt annus; ipſe eſt nimirum iuxta concurſus ſiderum ille, in qua incarnari dignatus eſt*. Secundo, auctoritate Chronici Virdunenſis, in quo legitur, *Natus eſt Chriſtus Dominus anno ſecundo Cycli decemnovennalis, Indictione IV. concurrente V. Epacta XI. Feria I.* Tertio, ex ratione apertiſſima, quoniam anno 1. Aerae Vulgaris Per. Iulianae 4714. & V. C. 754. Luna XIV. Paſchalis, ea ſcilicet poſt quam proxima Dominica iuxta Nicaenos Canones celebrandum eſt Paſcha, incidit in diem Conceptionis Dominicae, ſive in diem 25. Martii, unde in Cyclo Paſchali Ravennate ad eumdem annum primum Cycli Dionyſiani, qui ab ipſo Dionyſio dicitur annus 533. ab Incarnatione, habetur Luna Paſchalis *Aureo Numero* 1. *Nonis Aprilis*, ſecundo autem anno Cycli habetur eadem Luna Paſchalis *Aureo Numero II.* VIII *Kal. Aprilis*: ideoque indubitatum eſt, Incarnationem Domini peractam eodem die VIII. Kal. Aprilium, factam fuiſſe anno ſecundo Cycli Dionyſiani, non anno primo. Quarto, ut ratiocinatur in lib. De Arg. Lunae Ven. Beda, atque ex dictis conſequitur, debuit neceſſario Dionyſius Incarnationem ad ſecundum annum Cycli referre. Nam ſi primus Aureus Numerus Cycli Dionyſiani reſpondet *Nonis Aprilis*, ſecundus vero diei 25. *Martii*; quomodo poterat vir praeclarus Cyclum ſuum praenotare annis Incarnationis Dominicae, quae eadem die 25. facta fuerat, niſi eamdem Incarnationem anno ſecundo Cycli alligaſſet? *Quando incarnatio facta eſt* (inquit Beda) *unus annus de Cyclo decemnovennali praeceſſit. Attende quomodo:* VIII. *Kalendas Aprilis Chriſtus conceptus; dies Nonarum Aprilis iam tranſiit; & propter hoc unum addidit*. Similia leguntur cap. 45. libri de Rat. Temp. Quare, ut eo loci refert Ven. Beda, Dionyſius praeſcripſit, ut ad inveniendum quotus annus ſit Cycli decemnovennalis, ad datum annum Aerae Incarnationis addamus unitatem, *ſignificans illo Incarnato unum Circuli decemnovennalis annum iam fuiſſe completum*. Harum autem probationum haec eſt expedita & perſpicua ſynopſis. Iuxta Aeram Dionyſianam Chriſtus conceptus eſt VIII. Kal. Aprilis Luna XIV. Atqui Luna XIV. incidit in diem VIII. Kal. Aprilis an-

no ſecundo, non anno primo Cycli decemnovennalis: Igitur anno ſecundo, non primo huius Cycli, conceptus eſt Chriſtus.

XLII. *Superius dicta teſtimoniis doctiſſimorum Virorum firmantur.*

XLII. Ab Abaco rationali ad producenda illuſtrium Virorum teſtimonia progredior. Card. Noriſius Diſſert. III. De Cyclo Paſchali Ravennate cap. 5. ait: *Nonae Aprilis ſunt primus terminus Paſchalis Cycli decemnovennalis; qui ante annum iam tranſierat, cum Chriſtus anno altero* VIII. *Kal. Aprilis conceptus fuit, nempe anno ſecundo Cycli.* Dionyſius Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 1. ait: *Liquido patet, Bedam, ac reliquos Natalem Chriſti contuliſſe in annum Julianum* 46. *Auguſti* 44. *ſi a Coſs. Hirtio & Panſa imperium illius ordiare: quadrageſimo vero quinto, ſi a nece Caeſaris... Idem & ex Chronologis Dionyſio Bedaque recentioribus oſtenditur. Marianus Scotus ad an. M.* 4193. *notat Chriſtum ex mente Dionyſii natum eſſe anno ſecundo Cycli magni, necnon Sigebertus ad annum Chriſti* 532. *tum alii plerique, quod & communis Aerae appellatio declarat, dum annos Chriſti non a Nativitate, ſed ab Incarnatione computant. Vnde manifeſtum eſt, anno primo Chriſti Incarnationem ac Natalem accidiſſe. Denique computi artifices omnes hoc velut poſtulato, & axiomate nituntur; velut Paulus Foroſempron. P.* 2. *Paul. lib.* IV. *Campanus in Computo cap.* 24. Addit vir eximius, veteres omnes exiſtimaſſe Chriſtum incarnatum & in lucem editum anno primo Aerae Chriſtianae, ſed annum illum ab illis dici primum, *qui Aeram antecedit*. Verum tamen eſt, annum, qui Vulgarem praecedit Aeram, eſſe annum Julianum 45. non 46. & Caeſaris Auguſti ab inſtituto Triumviratu, ſive a Conſulatu Hirtii & Panſae 43. non 44. verum eſt item, Petavium, cui & Langius & Ricciolius ſubſcripſere, diſtinguere annum primum Cycli Dionyſiani ab anno 1. Aerae Dionyſianae; ſed aperte a Cardinali Noriſio refutantur citata Diſſert. III. quamvis omnino, quidquid ſit de hac diſtinctione, Dominum conceptum & natum fatentur anno Cycli ſecundo, non primo, ut evidentiſſime demonſtravimus.

XLIII. *Infertur ex dictis Piſanae Aerae congruentia, licet recte nobis praeſcriptum ſit, ut ſtylo utamur communi.*

XLIII. Commendanda eſt itaque duplici titulo Aera Piſana; primo quia more vetuſtiſſimo enumerat annos a Domini Incarnatione; deinde quia anno primo Aerae Chriſtianae coniungit annum primum Cycli decemnovennalis: ideoque iuxta hanc Piſanam Aeram abſque ulla omnino difficultate Aureus numerus adinvenitur, ſi coniungamus primo anno Piſano primum, ſecundo ſecundum, atque ita deinceps uſque ad decimumnonum, quo exhauſto a priori anno Cycli iterum inchoatur. Neque convenit haec Aera tantummodo cum Cyclo & cum Epocha Dionyſiana; verum etiam videtur conformis Romano Martyrologio, in quo Nativitas Domini ſigitur Anno ab V. C. 752. & 42. Imperii Romani, ideſt, Caeſaris Octaviani Auguſti a Triumviratu, & a Conſulatu Hirtii & Panſae. Si enim Chriſtus dicatur natus hoc anno, Aera Chriſtiana inchoanda eſt a Kalendis Ianuariis an.

Vrb.

Vrb. 753. & ab anno Rom. Imp. 43. Hinc vero ſi inchoetur, erit praeſens annus 1750. quemadmodum eamdem Aeram ſtatuentibus in anno proximo V. C. 754. & Rom. Imp. 44. dicitur annus iſte 1749. Quum ea, quae de Piſana Aera diximus, veriſſima, aut ſaltem probabilia ſint; recta tamen providentiſſimi, ſummique Viri, qui pro Auguſtiſſimo Invictiſſimoque Imperatore FRANCISCO praeſunt Etruriae regimini, per idem tempus, quo haec literis mandamus, ſtatuerunt, ut Piſani, aeque ac Florentini, ceterique ipſius Etruriae incolae, Aera illa ſepoſita, communi ſtylo uterentur; quemadmodum ob confuſionem vitandam, ſervandamque communem reliquarum gentium rationem, univerſi Dionyſianam, etſi a veritate certo certius aberrat, neceſſitate quadam uſurpant.

XLIV. *Recitantur, ac proponuntur diverſae de Chriſti die natali ſententiae.*

LXIV. Abſoluta de anno Dominicae Nativitatis, & de Aera Dionyſiana & communi, necnon de variis eiusdem Aerae computis Diſſertatione, non abs re factum puto, ſi de menſe ac die commemoratae Salvatoris noſtri Nativitatis dicere inſtituam. Sunt enim permultae, & oppoſitae tum veterum, tum recentiorum ſcriptorum opiniones. Romanae Eccleſiae, omniumque Noſtratum perpetuam firmam vetuſtamque perſuaſionem de Natali Domini conſignando VIII. Kal. Ianuarias, neceſſum non eſt in praeſentia commemorare: nam in ea vindicanda verſabitur poſthac Diſſertatio. At non ei Fideles omnes adhaeſere, nec eam inconcuſſam certamque exiſtimant modo Scriptores Sacrarum Hiſtoriarum. Aiebat S. Clemens Alexandrinus in I. Stromatum: *Sunt qui curioſius Natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt XVIII. anni Auguſti in* 25. *Pacon* (ea dies eſt Latinis 25. menſis Maii.) *Quin etiam dicunt ex eis aliqui, Chriſtum natum eſſe vigeſima quarta, & 25. Pharmuti*, nimirum die 20. aut 21. menſis Aprilis. S. Epiphanius H. 51. ſcribit Chriſtum Natum VIII. Idus Ianuarias, qui eſt apud Romanos Ianuarii die 6. Aegyptiis autem *Tybi* 11. Graecisque *Andynaei* 6. Et quidem in Eccleſia Orientali celebratam olim ex antiqua Traditione Epiphaniam ſimul, & Domini Nativitatem teſtatur etiam Caſſianus Collat. 10. cap. 2. Quamobrem Novatorum aliqui cum Iſaac Caſaubono Exerc. II. in Baronium ſtandum putant ſententiae Epiphanii, & Domini Nativitatem & Theophaniam, ſive ut Graeci appellant, *Sanctorum Luminum*, eſſe unam, eamdemque: aliqui vero contendunt nihil certi nos habere, & falſam, aut dubiam ſaltem cenſendam eſſe pervulgatam in Romana Eccleſia perſuaſionem, prout iactitant Gerardus Voſſius Tom. VI. pag. 8. Clericus Diſſertatione I. Harmoniae Evangelicae ſubiecta, & Samuel Baſnagius ad Annum V. ante Dominum num. 34. Ioſephus autem Scaliger in Calce Operis de Emendat. Tempor. in Notis ad Fragmenta, & lib. III. Can. Iſag. annot. 101. & 102. ait natum Dominum exeunte Septembri, aut Octobri ineunte; quae fuit etiam ſententia Matthaei Beroaldi, Hoſpiniani, & Henrici Wolphii, a Scaligero

ro autem e vicibus Sacerdotum in Templo Hierosolymitano ministrantium ingeniose illustrata. Etsi autem opinionem hanc, aut potius a Novatoribus excogitatum figmentum, gravi notatur censura in Martyrologio Hispano Tom. II. pag. 386. & a Gretsero lib. 1. de Festis cap. 29. recudit tamen illam, novisque commentationibus incrustavit Ioannes Harduinus in *Antirrhetico* pag. 65. Edit. Parisiensis. Atque hae sunt diversae de Christi natali die opinationes. Quoniam vero SS. Patrum permulti, & Augustinus praesertim, ad natalitium Domini diem demonstrandum usi sunt supputatione dierum ab illius Conceptione, ad hanc autem VIII. Kalendas Aprileis statuendam Pontificatu Zachariae, cui adolenti incensum Angelus futuram Praecursoris Nativitatem praenuntiavit; recentiores Critici, ideſt, Thomassinus lib. II. de Festis, Tillemontius Annot. 1. in Iesum Christum, Serrius Exerc. XXXI. num. 3. & Baillet in Vit. SS. ad diem 25. Martii, negant rationem Conceptioni innixam ad investigandum diem natalitium idoneam esse: & Zachariam simplicem Sacerdotem, non Pontificem fuisse, propugnant Heterodoxi omnes, & Catholicorum innumeri; inter quos Lyranus, Salmeron, Iansenius, Barradas, Didacus Stella, Sylveira, aliique Evangeliorum Expositores, necnon Carolus Sigonius de Repub. Heb. lib. v. cap. 3. & Vincentius Card. Gotti Tom. IV. de Verit. Relig. Christ. cap. 7. Vt itaque haec historica Controversia penitus dirimatur, primo vindicanda est Romanae Ecclesiae Traditio; deinde expendendum est momentum e Christi Conceptione petitum, postea ad trutinam revocandum est alterum innixum Zachariae Sacerdotio, ac tandem Casauboni, Scaligeri, Harduini, aliorumque traditioni Ecclesiae adversantium, diluenda sunt argumenta.

XLV. *Vindicatur Romanae Ecclesiae Traditio, iuxta quam Christus natus est* VIII. *Kal. Ianuarias.*

XLV. Natum itaque *secundum carnem* Mundi Opificem & Reparatorem Dominum Iesum VIII. Kal. Ian. priori loco demonstratur ex traditione Romanae Ecclesiae, quam praeferendam esse alteriu s cuiuslibet particularis Ecclesiae, doctrinae & persuasioni, ostendimus lib. XXIII. Theolog. Discipl. cap. 5. ex quo ipsa Romana Ecclesia sit Apostolica, neque fuerit unquam haereticorum hominum figmentis labefactata. Hac enim regula veras a falsis traditionibus discerni accepimus ab Irenaeo lib. III. adv. H. cap. 2. & 3. atque a Vincentio Lirinensi cap. 2. Commonitorii. Id vero maioris est ponderis, si animadvertatur eiusdem traditionis, cuius originem posterioribus saeculis non invenimus, a primis Catholicae Ecclesiae incunabilis ad nos certitudinem derivasse. Nunc traditionis perantiquae de Christo Redemptore in lucem edito VIII. Kal. Ianuarias, testes appello Auctorem Constitutionum Apost. quae adscribuntur Clementi, cuius lib. v. cap. 13. haec sunt verba: *Dies festos custodite, fratres, in primis Natalem, qui celebratur a vobis die 25. decimi mensis, post quem Epiphaniae dies sit maximo in honore*: Vetustissimum MS. Regium laudarium ibidem a I. B. Cotelerio, in quo legitur, *Sciri debet, quod Annuntia-*

tio

tio facta eſt die Martii 25. *Nativitas vero die* 25. *Decembris*: Chronicum Alexandrinum, Regium MS. alterum num. 1819. necnon vetuſtiſſimum Calendarium editum a Bucherio, in quibus eadem die 25. Decembris conſignatur Domini noſtri Nativitas. Appello univerſa Martyrologia Occidentalis Eccleſiae, non tantum illud, quod reformatum iuxta antiquas Eccleſiae tabulas a Card. Baronio ubique nunc obtinet, verum & perantiquum appellatum Hieronymi, editumque & illuſtratum a Florentinio, de quo ſupra N. XXII. ac vetuſtiſſimum quoque, cuius meminerunt S. Gregorius Papa Ep. 29. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & in Praefat. ad Martyrologium ſuum Ado Archiepiſcopus Viennenſis, quodque ex MSS. optimae notae produxit in lucem Rosweydus Societatis Ieſu Theologus. Quamquam autem annum Chriſti natalem Romano Martyrologio adpoſitum non probemus; non eadem tamen eſt ratio de die; ſiquidem diei, non anni in vetuſtis illis Martyrologiis ſit mentio: & quantum ad computum annorum ſpectat, ſecuta eſt olim Eccleſia reiectum modo calculum LXX. ſed quod ad diem attinet, nunquam iſtum Romana Eccleſia immutavit, natumque Dominum VIII. Kal. Ian. ſemper aſſeruit conſtanti, perpetua, invariabili traditione.

XLVI. *Eadem traditio Patrum teſtimoniis corroboratur.*

XLVI. De hac aliquorum Patrum teſtimonia producam, Hieronymi, nempe, Auguſtini, & Chryſoſtomi. Hieronymus enim Comment. in Caput 1. Ezech. carpens ſuppreſſo nomine vel Epiphanium, vel Caſſianum, & natalem diem ab Epiphaniis aperte diſtinguens, *Epiphaniorum* (inquit) *dies hucusque venerabilis eſt*, loquitur de quinta die quarti menſis Hebraici *Tamut* cum Ianuario concurrentis, *non ut quidam putant Natalis in carne: tunc enim abſconditus eſt, non apparuit.* Magnus Auguſtinus in Pſalmum 132. haec de S. Ioanne Baptiſta proloquitur: *Nam ille natus eſt, ſicut tradit Eccleſia, VIII. Kal. Iulias, cum iam incipiunt minui dies: Dominus autem natus VIII. Kalendas Ianuarias, quando iam dies incipiunt creſcere.* Atque lib. IV. de Trinit. cap. 5. *VIII. Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus: natus autem traditur VIII. Kalendas Ianuarii. Ab illo ergo die usque ad iſtum computati ducenti ſeptuaginta & ſex reperiuntur dies, qui ſenarium numerum quadragies ſex habent.* Legite & lib. IV. contra Creſconium cap. 37. Chryſoſtomus vero Homilia in Natalem Domini, quae eſt 31. *de diverſis novi Teſtamenti locis* iuxta editionem Frontonis Ducaei, ait, ſententiam, quam propugnamus, ab antiquis temporibus notam fuiſſe incolentibus Occidentem, ante annos decem ex vetere Roma in Orientem translatam, certam eſſe, nec repudiandam. Ἀλλὰ ἄκουε, inquit, καὶ μὴ ἀπίστει, ὅτι παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων. καὶ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκούντων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν. οἱ γὰρ διατρίβοντες ἄνωθεν καὶ, ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες, αὐτοὶ νῦν ἀκριβῶς ὑμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο; ideſt, *Sed audi ſis, atque fidem adhibe,*

libe, quoniam ab iis, qui exacte haec norunt, & qui urbem illam, nempe Romam, *inhabitant, diem ipsum accepimus. Nam qui istic degunt, atque a superioribus & antiquis temporibus solemnem diem illum habent, nunc demum nobis illius notitiam impertierunt.* Produci posset altera Ioannis Chrysostomi Homilia *de Nativitate Domini*, in qua ait, traditionem de natali Salvatoris nostri die in Romana Ecclesia ex eius Conceptione, quae contigit die 25. Martii, apertissime colligi, ut postea explicabo: nam licet Homilia ipsa spuria videatur nec praeseferat aureum Chrysostomi stylum, & reiiciatur quoque a Sixto Senensi lib. IV. Bibl. Sanctae; sciendum est tamen Chrysostomum edidisse etiam Commentaria in Lucam, ut Suidas & Euthymius testantur, quae magno litterariae Reipublicae detrimento perierunt: atque in Florentina ad S. Marcum Bibliotheca asservari MS. ex illis Commentariis collectum, inscriptumque nomine Titi Bostrorum Episcopi, ubi haec eadem Oratio numero secunda invenitur. Mitto Epistolam Ioannis Archiepiscopi Nicaeni ad Zachariam Catholicum Maioris Armeniae, editam a Combefisio Tom. II. Auctarii Bibliothecae Patrum, de qua Epistola discrepant iudicia Criticorum; mitto Orationem nonam Gregorii Nysseni, ubi ait eo tempore Christum natum, *quo contrahi incipiunt noctes;* siquidem solstitium hibernum, quod post Nicaenam Synodum notatur die 21. Decembris, a Iulio Caesare diei 25. affixum fuerat, ideoque Christus in Solstitio, a quo incipit dies crescere, & nox imminui, prodiit in lucem: mitto denique Maximum Taurinensem in Serm. de Dom. Nat. inter Opera Ambrosii, Paulinum Nolanum Natali primo S. Fel. M. ceterosque Patres a Baronio in fine Apparatus ad Annal. Eccl. a Suaresio q. 31. de Vita Ch. & a Natali Alex. Diss. II. Saeculi 1. laudatos, necnon Paulum Orosium lib. VII. Historiarum cap. 2. claudamque hanc probationum seriem verbis Baptistae Mantuani haud vulgaris Poetae in Sacris Fastis:

Nox erat, & Capro iunctus tellure sub alta
Sol gradiens nostri radiabat sydera coeli:
Cancer in excelso stellati Cardine mundi,
Dux Signorum Aries, Librae duo brachia in Ortu;
Cum Soboles divina novem iam mensibus actis
Prodiit, & Christus tertis apparuit infans.

XLVII. *Infertur tempus Dominicae Nativitatis ex tempore Conceptionis.*

XLVII. Romanae Ecclesiae Traditioni ab Apostolicis temporibus ad nos transmissae, & plurimorum Patrum testimoniis corroboratae, quae Dominum VIII. Kal. Ian. natum affirmat, accedit ratio, ac momentum ab eius Conceptione depromptum. Nam conceptum illum fuisse *VIII. Kal. Aprilis*, sive die 25. Martii a primis Ecclesiae saeculis non modo Latini, sed & Graeci, Syri, Chaldaei, & Copti testantur; ac testantur item Martyrologia Occidentalis Ecclesiae, & Me-

nolo-

tologia Graecorum, atque sexta Synodus apud Theodorum Balsamonem pag. 228. Quapropter Augustinus lib. IV. de Trinitate, *VIII.* (inquit), *Kal. Apr. conceptus creditur.* Auctor Quaestionum ad Antiochum inter Opera S. Athanasii, q. 17. *Vicesimo quinto die mensis Martii in utero Virginis clausus habitare coepit Christus, & Deus noster veniens in terram.* Ioannes Chrysostomus in Lucam apud Titum Bostrensem, *Fuit quando haec Angelus ad Mariam annuntiavit VIII. Kal. Aprilis, mense Martio, qui & ipse est dies aequinoctialis ad inchoationem lucis; iam enim detersa caligine a mundo lux in mundum adveniebat.* Andronicus Hierosolymitanus in Dialogo adversus Iudaeos, qui habetur tom. 26. Biblioth. Patrum: *Vigesima quinta mensis Martii Deus opificium coepit, in hac Israelitarum ex Aegypto fuga, & in Chananaeam transitus contigit, in hac promissae terrae sortitio & ingressus fuit, in hac Gabriel Archangelus Virgini Deiparae laeti nuncii verba attulit, atque extemplo Christi pro nobis sine semine conceptus, & arcana Incarnatio est secuta.* Quid plura? Ineunte septimo Christi saeculo scribebat Auctor Chronici Alexandrini id teneri *ab universa Catholica & Apostolica Dei Ecclesia ex Sanctorum Doctorum traditione.*

XLVIII. Idem Auctor Chronici Paschalis, seu Alexandrini, & Auctor Epistolae ad Zachariam Catholicum maioris Armeniae, quae sub nomine Ioannis Episcopi Nicaeni circumfertur, aliique bene multi haud contemnendam rationem huius temporis proferunt. Zacharias, inquiunt, pater Ioannis Baptistae in solemnitate Tabernaculorum, & in die Expiationis incensum adolevit: id enim muneris ad summum Sacerdotem, cuius tum Zacharias fungebatur officio, spectabat. Expiationis Festum die 10. mensis *Hillul*, idest Septembris, celebrabatur; & post Expiationem Eneaenia; post haec Scenopegiae, seu Tabernaculorum succedebant solemnia a die eiusdem mensis 15. ac prima hebdomadis, usque ad 21. & hebdomadis septimam. Octavo post Scenopegias die Sacerdos a Templo dimittebatur. Itaque Zacharias vicesima tertia die mensis Septembris abiit in domum suam, & tunc puerum concepit uxor eius Elisabeth. Sexto postmodum mense, ex quo conceperat, Gabriel Angelus ad Virginem Iosepho desponsatam descendit: ac sextum mensem a labente Septembri Martium esse omnes norunt. Hoc itaque mense ad finem vergente Deipara Virgo concepit. Eumdem computum Ioannes Nicaenus, ut creditur, confirmat partitione dierum: nam ab expleto Sacerdotali officio usque ad finem mensis *Hillul* sunt dies 7. Adde mensis *Tisri* 31. *Hesvan* 30. *Cisleu* 30. *Tebet* 31. *Sebat* 28. *Adar* 25. Omnes dies *sex lunares menses* efficiunt; ideoque 25. die mensis *Adar*, hoc est Martii, conceptus est Dominus. Non abhorret ab hac supputatione S. Mater Ecclesia, quae celebrans Nativitatem S. Ioannis Baptistae die 24. Iunii, conceptum supponit mense septimo, quem Hebraei *Hillul* dicunt.

XLVIII. *Eadem ratio quomodo nonnullis producta sit.*

XLIX. *Quid in ea ratione certum ſit quid ambiguum.*

XLIX. In hac ratiocinatione quaedam certa ſunt, ſed nonnulla etiam ambigua. Certum quippe eſt ex cap. 23. Levitici, diem celeberrimum *Expiationum* fuiſſe *decimum ſeptimi menſis*, & ferias Tabernaculorum *a quinto decimo die* eiusdem menſis inchoandas ſeptem perduraſſe diebus: & *Encaeniorum* & *Scenopegiarum* dies, ideſt Dedicationis Templi, & Tabernaculorum, fuiſſe quatuordecim ex lib. III. Regum cap. 8. ver. 65. & II. Paralip. cap. 7. ver. 9. ita, ut die 23. menſis abſolverentur ſolemnia. Certum quoque eſt ex Levit. cap. 17. in Expiatione Sanctuarii Pontificem ingreſſum fuiſſe Tabernaculum ultra Velum, ibique etiam ex praecepto Exodi cap. 7. incenſum adoleviſſe, & ſemel per annum ſuper cornua altaris oraſſe. Certum item eſt ex cap. 1. Lucae, Angelum apparuiſſe Zachariae *ſtanti a dextris altaris incenſi*, impletisque diebus officii ſui domum rediiſſe, atque poſt hos dies concepiſſe uxorem eius Eliſabeth. At in controverſia poſitum eſt, num Zacharias fuerit Pontifex, ideoque num Angelus illi apparuerit in Feſto *Expiationum*, quod poſtmodum ob Patres, qui id aſſeruerunt, revocabo ad examen. Decima quoque dies menſis *Hillul* non eſt 10. ſed 28. Septembris; & dies 25. menſis *Adar* non eſt dies 25. Martii, ſed 10. Aprilis, quoniam *Hillul* ingreditur Septembris 18. *Adar* Martii 17. Videtur quoque Angelum Gabrielem fuiſſe miſſum ad Virginem *ſexto menſe* a conceptione Ioannis incunte, non autem tranſacto; ſiquidem inquit Evangeliſta Lucas cit. cap. 1. de Eliſabetha, *Et occultabat ſe menſibus quinque*; additque, *In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo*, non ait, *Poſt menſem ſextum*; quapropter Iuvencus lib. 1. Hiſt. Evang. de Zacharia cecinit,

Inde domum remeat completo ex ordine Vates
Officio, amiſſamque levant promiſſa loquelam:
Nec dilata diu venerunt munera Prolis.
Anxia ſed ventris celabat gaudia coniux,
Donec quinque cavam complerent lumina Lunam.
Tunc maiora dehinc idem mandata Miniſter
Detulit ad Mariae demiſſus Virginis aures.

L. *Praecedens ratiocinatio concluditur, & ingenioſa Auguſtini adnotatione corroboratur.*

L. Haec cum ita ſint, certa ab incertis ſegregantes dicimus Archangelum ad Virginem miſſum, dum Eliſabeth Baptiſtam geſtaret utero, ac ſextus a conceptu menſis laberetur, nuntiumque feliciſſimum allatum *VIII. Kalendas Aprilis*: nam de menſe ſatis aperte idem Angelus, *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quae vocatur ſterilis*; quae verba in primo de Partu Virginis libro ita numeris reddit eloquentiſſimus Sannazarus,

Iuncta Tibi mulier, ſterilis licet illa, gravique
Preſſa aevo, haudquaquam ſperatum hoc tempore pignus
Fert utero, & felix ſexto ſub menſe laborat.

De

De die autem satis, ut opinor, paullo supra disserui. Iam vero ab eadem die 25. Martii, aut VIII. Kal. Aprilis supputati dies 276. quibus foetus maternis visceribus continetur, protrahuntur ad VIII. Kal. Ianuarias, seu 25. Decembris, quo in lucem editus est Filius Dei. Atque haec est ratiocinatio Augustini lib. IV. de Trinit. cap. 5. ubi ait: *Natus autem traditur VIII. Kal. Ian. Ab illo ergo die usque ad istum computati ducenti septuaginta & sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragesies sexies habent.* Eo loci recte S. Pater animadvertit patientibus feminis imputari decem menses, idest novem menses & sex dies, non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniant, sed quia ipsa perfectio Corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, nimirum diebus 276. quot *ab VIII. Kal. Aprilis* usque ad *VIII. Kal. Ianuarias* computantur. Praeterea eiusdem temporis ex Templi Hierosolymitani mysticam rationem profert, allegoria, quae ex Evangelio redditur plausibilior: ibi namque Dominus Corpus suum Templo illi comparavit, dicens. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem dicebat, ait Ioannes cap. 2. *de Templo Corporis sui.* Augustinus itaque explicat primum inter annum & numerum senarium proportionem, postea subiicit: *Nec immerito in aedificatione Corporis Dominici, in cuius figura Templum a Iudeis destructum triduo se resuscitaturum esse dicebat, numerus ipse senarius pro anno positus intelligitur, dixerunt enim*, Quadraginta & sex annis aedificatum est Templum, *Et quadragies sexies seni fiunt ducenti septuaginta sex.* Haec quidem est perfecta & communior parvulorum in maternis uteris mora; quam Christum servasse ex traditione Romanae Ecclesiae, ex Patrum testimoniis, atque ex tempore Conceptionis ipsius hactenus demonstravimus.

LI. Addamus & congruentiam, cur debuerit in Decembri, & rigente hieme Salvator nasci; quam post Augustinum in Psalmum CXXXII. num. 11. explicat S. Bernardus Serm. III. in Nat. Domini his verbis: *Hieme natus est, nocte natus est Christus. Numquid credimus casu factum, ut in tanta aeris inclementia, & in tenebris nasceretur, cuius est biems & aestas, dies & nox? Non eligunt parvuli ceteri quando nascantur quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, fratres, etsi homo non erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat eiusdem, cuius nunc est, sapientiae & potestatis, utpote Dei virtus & Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius, cuius in arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, praesertim parvulo, & pauperis Matris filio, quae vix pannos haberet ad involvendum, praesepe ad reclinandum.* Guilielmus Durandus Mimatensis Episcopus lib. VI. Rationalis, sive Enchiridii divinorum Officiorum, aliam producens rationem inquit: *Dominus in fine anni nasci voluit, ut ostenderet*

LI. *Coniecturae quaedam attinguntur.*

ſe in ultima Mundi aetate venire. Verum hanc, & conſimiles conjecturas attigiſſe ſat eſt.

LII. *Solvuntur quae videntur praecedenti ſententiae oppoſita, ac primum expenduntur verba S. Clementis Alexandrini.*

LII. Multiplici genere argumentorum, quorum aliqua decretoria ſunt atque invicta, aliqua probabilia ſaltem, & nequaquam ſpernendae auctoritatis munimentis innixa, contigiſſe temporalem Salvatoris noſtri Nativitatem die 25. Menſis decimi hactenus demonſtravimus. Nunc argumenta, quae praedefinitam ſententiam labefactare videntur, producenda ſunt, ac ſolvenda. Quorum primum petitur ex verbis S. Clementis Alexandrini, haec, ut diximus N. IV. in I. Strom. ſcribentis: *Sunt, qui curioſius Natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt* 28. *anni Auguſti, diem Pachon* 25. *Quin etiam dicunt ex iis aliqui, eum natum eſſe* 24. *aut* 25. *Pharmuthi*. Pachon Aegyptiis, nobis Maius dicitur; quem vero illi Pharmuthi, nos Aprilem appellamus. In uno itaque, aut altero ex his menſibus natus eſt Chriſtus; aut incertum eſt potius, & nimia curioſitate, ut Clemens innuit, tempus illud inveſtigatur. Ad hanc vero priorem oppoſitionem haec ſit reſponſio. Duas, ut conſtat, ſententias S. Clemens Aexandrinus recenſet: unam ſectatorum Baſilidis, qui aiebant natum Dominum *die* 24. *aut* 25. *Pharmuthi*, ideſt, 19. aut 20. Aprilis, altera quorumdam, qui anno diem curioſius addentes natum putabant die 25. *Pachon*, ſcilicet 20. Maii. Reiicienda eſt itaque utraque haec ſententia; prima, quia a Baſilidianis invecta, altera quia adverſus veterem traditionem a curioſis quibusdam, & novitatum adoratoribus excogitata. Deinde non deſunt viri doctiſſimi, qui diem 25. menſis *Pachon* eſſe diem 25. Decembris exiſtimant: quos inter Pamelius, Mercator, & Auctor Collectaneorum in Clementem pag. 802. Quamquam vero Samuel Baſnagius ad An. V. ante Chriſtum num. 30. Pamelium irrideat, quod ovanti ore ex Clemente aſtruat Latinorum traditionem, propterea quod *Pachon* Aegyptiorum revera cum Menſe Maio, non cum Decembri concurrat; attamen ſciendum eſt menſem *Thoth*, qui apud Aegyptios eſt primus, & incipit die 29. Auguſti, unde annum iidem Aegyptii auſpicantur, diverſum olim, nobisque incompertum habuiſſe principium; ideoque non ſatis conſtare quaenam ſit dies illa 25. *Pachon* a Clemente Alexandrino commemorata. Ad haec vir in Chronologia accuratus & peracutus *Van Til* in Diſſert. de anno, menſe, & die Chriſti natali, quam ad annum praecitatum num. 32. idem Baſnagius *eximiam doctiſſimi viri lucubrationem* appellat, demonſtrat ex Clementis Alexandrini ſententia natum Dominum menſe Decembri, aut potius Novembri. Enumerat enim Clemens a Chriſti Nativitate lib. 1. Strom. uſque ad mortem Commodi *annos* 194. *menſem unum & dies* 13. cum autem Commodus ſtrangulatus ſit pridie Kal. Ian. anno Aer. Vulg. 192. ſequitur natum Chriſtum biennio ante Aeram Chriſtianam die 19. Novembris: quam argumentationem non alia ratione potuit

Ba-

Baſnagius dirimere, niſi reſpondendo, ſatis ſuperque compertum eſſe in Clementis Alexandrini verbis numeros ac menſes eſſe corruptos. Quae quum ita ſint, percipere nequeo, cur nobis idem Baſnagius confidentiſſime obiiciat, ex Clemente nonnullos Orthodoxos ſtatuiſſe Natale Domini die 20. Menſis Maii: nam quod Baſnagius viro acutiſſimo *Van Til*, nos ipſimet Baſnagio repoſimus. Vno tandem verbo depromptam ex verbis Alexandrini Antiſtitis difficultatem expedio, affirmando nimirum fluxae, incertae, & ab haereſum illuvione turbatae Aegyptiorum Graecorumque traditioni, eam quae apud Latinos una, perpetua, & incorrupta perſiſtit, ut diximus N. IV. praeferri oportere.

LIII. *Samuelis Baſnagii peculiare argumentum.*

LIII. Baſnagii mentione nuper facta offendo apud illum ſingularem, mihique ante inauditam argumentationem, qua contendit neque in Eccleſia Occidentali ſemper viguiſſe praeſentem de menſe natali Dominico traditionem, quum S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, aut quisquis fuerit auctor *Paſchalis Computi* editi ſub Cypriani nomine a Fello, ſcripſerit verno tempore, non glaciali hieme, corpoream hanc lucem Reparatorem Mundi adſpexiſſe. *O quam praeclara & divina Domini providentia* (inquit Cyprianus pag. 69.) *ut in illo die, quo factus eſt Sol, in ipſo die naſceretur Chriſtus, V. Kal. Aprilis, feria quarta!* Hoc teſtimonio producto inquit Baſnagius: „ Si Computi huius autor Cyprianus eſt Carthaginenſis Antiſtes, Africana Eccleſia, quae Carthaginenſem in Paſcha celebrando ſequebatur, verno quidem, non hiberno tempore Chriſti Nativitatem celebrabat. Quisquis ſane fuerit ille, argumento eſt Latinorum de menſe natali Dominico traditionem non ſemper viguiſſe ne vel in Eccleſia Occidentali, cuius Africana pars magna fuit. „

LIV. *Baſnagii argumentum diluitur.*

LIV. Haec vero ita refutanda eſſe reor. Imprimis Baſnagius ipſe ea parentheſi, *Quisquis ſane fuerit ille*, Opus a ſe productum Apocryphum ſuſpicatur: ac tale eſt revera. Dupinius in Nova Bibliotheca recenſitis Cypriani libris genuinis atque ſuppoſitis, inquit: *Alii Tractatus Cypriano adſcripti non tantum ſunt ſuppoſititii, ſed etiam nugas & mendacia continent:* ac de Computo ſeu Kalendario Paſchali in Editione Anglica edito ſub nomine Cypriani addit, *Eius ſtylus a Cypriani ſtylo longe differt*. Praetermitto adulterini illius Operis auctorem aſſerere, *Chriſtum poſt baptiſmum celebraſſe Paſcha quinta vice, & ſexta obiiſſe anno 16. Tiberii cum Evangelium per unum tantummodo annum praedicaſſet:* quum tamen (quidquid ſentias de tempore Dominicae praedicationis, & de annorum Tiberii ſupputatione) ſextum poſt baptiſmum Paſcha incidat in annum Tiberii vigeſimum, cum Dominus ex Evangelio Lucae cap. 3. baptizatus ſit anno Tiberii Caeſaris quintodecimo. Nil ergo e ſpurio illo ſcripto apertis ſcatente anachroniſmis eruere poſſumus: ac miramur Baſnagium virum alioqui naris haud obeſae, ex auctore, quem neſcit num Africanus, num alterius generis homo cen-

ſendus

fendus ſit, Africanae Eccleſiae traditionem pervetuſtam nobis venditare diverſam ab hodierna, maxime cum illius Traditionis teſtem locupletiſſimum & beatiſſimi Cypriani ſtudioſiſſimum habeamus egregium Eccleſiae Catholicae Doctorem Auguſtinum, qui lib. IV. de Trinitate cap. 5. ait: *Sicut a Maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiae cuſtodit auctoritas. Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus .... Natus autem traditur Octavo Kal. Ianuarias.*

LV. *Obiter peractatur de tempore, quo Deus adſpectabilem Mundum condidit.*

LV. Ab hac Africanae Eccleſiae traditione fortaſſis alienus non eſt Auctor Computi, ſeu Calendarii ſuperius commemorati, de quo poſt allatas Dupinii, aliorumque animadverſiones, quibus abunde refellitur Samuelis Baſnagii obiectamentum, fas mihi ſit producere novam, quae modo mihi ſuccurrit, coniecturam, tanti, quanti valet, a lectoribus aeſtimandam. Tametſi Mundum a Deo conditum autumnali tempore, in menſe Hebraeorum *Tiſri*, atque in die Solis, qui fuit x. Kalendarum Novembris, ſive dies tertius ac viceſimus menſis Octobris, poſt Talmudiſtas & Cabaliſtas, poſt Alphonſum Toſtatum, Picum Mirandulanum, Hadrianum Iunium, & Scaligerum, demonſtrare conati ſunt, Vſſerius, Lancellotus, Natalis Alexander, aliique recentiores Chronologi; nihilo tamen minus mundum hunc adſpectabilem productum fuiſſe verno tempore, ac Sole ingrediente Arietem, ſententia fuit veterum Hiſtoricorum apud Diodorum Siculum lib. II. Ethnicorum Philoſophorum, apud Rhodiginum p. 1. variarum lectionum, necnon Aſtrologorum omnium appellantium Arietem Signorum Zodiaci Circuli ducem ac principem, apud Manilium II. lib. Aſtronomiae. Quidquid autem ſit de hac ſententia, quam ego utique oppoſitae arbitror praeferendam, indubitatum eſt in eam conſpiraſſe SS. Eccleſiae Patres. Eam quippe tradiderunt S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi XIV. Ambr. lib. I. in Hexam. cap. 4. S. P. Auguſtinus 54. inter Novi Teſtamenti Quaeſtiones, Leo Magnus Serm. 9. de Paſſ. Domini, Theodoretus in Exodum, & Ioannes Damaſcenus lib. II. de Fide Orthodoxa cap. 7. Quorum teſtimonia collegerunt Salianus initio Annalium veteris Teſtamenti, & Gerardus Ioannes Voſſius in Iſagoge Chronologica Diſſ. II. cap. 7 Arriſit autem Patribus ea potiſſimum ratio, quod eadem tempeſtate mundi ortus ac reparatio, Adami productio, & Chriſti Conceptio, haec & eius Paſſio, hominumque universorum redemptio contigerit. Haec opinio cum forte Auctori Computi, ſeu Calendarii praelaudati inſederit, non alio pacto ab illa receſſit, niſi quatenus Conceptionem Chriſti conſignandam VIII. Kalendas Apriles, alligavit v. *Kalendas*; niſi mavis mendum in numeralem notam irrepſiſſe: quumque primigenia lux producta fuerit feria prima, Sol autem *feria quarta*, comparans Solem Iuſtitiae Soli corporeo ait Chriſtum *natum ea die, qua factus eſt Sol, feria quarta*: Natum autem dixit, ut Solem ex praeexiſtente puriſſima luce productum, ideſt, factum ex muliere, & in viſceribus caſtiſſimae Virginis conceptum, phraſi a ſacris litteris non aliena,

Enim-

Enimvero Angelus de ipſo Chriſto, quem Virgo gerebat utero, & nondum erat enixa, inquit Matthaei I. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, *Quod enim in ea natum eſt*. His vero Baſnagii obiectionem diluimus, & nonnulla quoque de prima mundi origine delibavimus.

LVI. Samuelis Baſnagii cavillulas, quibus Clementis Alexandrini, & Pſeudo-Cypriani teſtimoniis evincere adnitebatur, perantiquam non eſſe de menſe, atque de die Chriſti natali vigentem apud Latinos traditionem, excipit paullulum difficilius momentum, olim a Casaubono Exercit. II. in Eccleſiaſticos Baronii Annales, a Gerardo Ioanne Voſſio in Differt. de Chriſti menſe, dieque natali cap. 5. productum. Petitur illud ex opinione Eccleſiarum Orientalium, quae Mundi Reparatorem natum exiſtimarunt VIII. Idus Ianuarias: cuius opinionis teſtes proferunt S. Epiphanium, Caſſianum, S. Iſidorum, Ammianum Marcellinum, & Zonaram, addita phalerata, tumidaque Graecanis vocabulis probatione. Ac Epiphanius, ut ab eo exordium ſumat oratio, quinquageſima prima haereſi, quae eſt *Alogorum* (dixeris, *Sine Verbo*, vel potius ſine ratione, Filium enim Verbum Patris, necnon Ioannis Evangelium, cuius initio ipſummet Verbum deſcribitur, praefracte negabant,) quum dixiſſet natum Dominum VIII. Idus, ſive 6. die Ianuarii, ἐπιφανείας, ideſt, *Apparitionis* nomine celeberrima, inquit eamdem diem Aegyptiis eſſe 11. Τυβὶ, *Syris Graecisque* 6. Ἀνδυναίου, *Cypriis at Salaminiis Quincti menſis diem* 5. *Paphiis* 14. *Iulii*, *Cappadocibus* 13. Ἀρταμῖ, *Hebraeis* 13. *Tebeth*, *vel ut Epiphanius loquitur*, Τιβὶ ἐνθ, *atque Athenienſibus* 6. Μαιμακτηριῶνος. Caſſiani autem in cap. 1. Collationis 10. haec ſunt verba: *Intra Aegypti regionem mos iſte antiqua traditione ſervatur, peracto Epiphaniorum die, quem provinciae illius Sacerdotes vel Dominici Baptiſmi, vel ſecundum carnem Nativitatis eſſe definiunt; & idcirco utriusque Sacramenti Solemnitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, ſed ſub una diei huius Feſtivitate concelebrant:* atque eadem prorſus ſcribit Iſidorus lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 26. pro Aegyptiis *Graecos* reponens, quoniam & hi ſervabant eamdem cum Aegyptiis conſuetudinem. Ammianus Marcellinus, qui floruit ſub Gratiano ac Valentiniano, etſi Gentilis, idem tradidit, lib. XXI. de Caeſare Iuliano ita ſcribens: *Et ut haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Ianuario Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam, ſolemniter Numine adorato, diſceſſit:* quae pariter de eodem Iuliano Apoſtata narrans Zonaras, diem, quem Ammianus Marcellinus dixit *Epiphaniam*, expreſſe appellavit feſtum, τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας, ſcribens in III. Annalium, Αὐτὸς δὲ τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας ἑσπερωθείσης εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ προσκυνήσας ἐν ὁμοδόξοις τοῖς στρατιώταις δοχῇ, ἀπῆλθε, ſcilicet, *Ipſe in Natali Domini die ingreſſus eſt templum & adorato Numine, ut eiusdem ſententiae*

LVI. *Eccleſiarum Orientalium de Natalis Dominici die ſententia proferetur.*

tiae cum militibus videretur, diſceſſit. Epiphaniorum itaque diem cum die Salvatoris noſtri natali unum eumdemque apud Aegyptios, Graecosque eſſe teſtatur Epiphanius, confirmat Caſſianus, affirmat Marcellinus, declarat Zonaras.

LVII. *Epiphaniae nomine praecedens ſententia a Caſaubono corroboratur.*

LVII. Accedit horum teſtimoniis ratio a ſignificatione Graeci vocabuli ἐπιφανείας deprompta. Eo quippe nomine Nativitatem, qua Deus in ſubſtantiae noſtrae corporali forma apparuit viſibilis, deſignari commonſtrant S. Gregorius Nazianzenus Orat. xx. ubi air Epiphania dicta ſunt, ὅτι ἐφάνη Θεὸς διὰ γεννήσεως, *Quia Deus apparuit per Nativitatem:* S. Epiphanius ſcribens praecitata haereſi 51. ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανίων ἐστὶν ἡμέρα τῆς χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα, *dies Epiphaniorum eſt dies Nativitatis Chriſti ſecundum carnem:* Iſidorus Peluſiota, cuius lib. III. epiſt. 110. haec ſunt verba τὰ Θεοφάνια ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις, *Theophania eſt Salvatoris in carne Nativitas:* Euſebius, qui lib. III. Vitae Conſtantini Bethlehemiticum ſpecum vocat myſticum antrum τῆς πρώτης τοῦ Σωτῆρος Θεοφανείας, *primae Salvatoris noſtri Dei Apparitionis;* ſuamque Hiſtoriam lib. I. ſe ordiri affirmat, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας, *A temporali, ſive in carne, Servatoris noſtri Epiphania:* Suidas, qui in V. *Epiphania* inquit Ἐπιφανία ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία, *Epiphania eſt Salvatoris noſtri Iesu Chriſti Incarnatio.* Quid plura? Ipſemet Paulus Apoſtolus in Epiſt. II. ad Titum cap. 2. de Adventu & Nativitate Domini ait: ἐπεφάνη ἡ τοῦ Θεοῦ χάρις ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, *Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus.* Eſt itaque turgentis huius, & ſufflatae argumentationis ſumma: in die Epiphaniorum natum Chriſtum & Graeci Patres unanimi aſſenſione teſtantur, & id aperte comprobat ipſum nomen Ἐπιφανείας. At Epiphaniorum dies eſt VIII. Idus Ianuarias. VIII. itaque Idus, ſive 6. die Ianuarii, natus eſt Chriſtus.

LVIII. *Apud Graecos traditionem, de qua N. LII. conſtantem non fuiſſe demonſtratur.*

LVIII. Ad haec reſpondendum eſſe puto, Traditionem, quae aliquandiu apud Orientales fuit incomperta, in Eccleſia Romana aliarum omnium magiſtra perpetuam incorruptamque ſervari: Orientalium & de die Chriſti natali, & de Epiphaniis non unam fuiſſe ſententiam, rationemque e Graeco ἐπιφανείας vocabulo depromptam nobis nullatenus adverſari. Primum, etſi ex dictis abunde conſtat, comprobatur ab Auctore Homiliae de natali Dominico inter Chryſoſtomi Opera, qui obiicientibus Hieroſolymitanae Eccleſiae traditionem reſpondet: *Dicat aliquis; hic*, ideſt in Iudaea, *Chriſtus natus eſt: ergo magis illi ſciunt, qui prope*, ut Syrii, aliique Aſiatici, *quam qui longe*, nempe Romani, & alii Occidentales. *Vobis dixerunt? Qui ſunt in iſta provincia Iudaea? Petrus & Paulus, atque ceteri Apoſtoli? Vos eiecciſtis: nos* (loquentes inducit Romanos, ceterosque Occidentales) *nos ſuſcepimus, Petrus, qui hic fuit cum Ioanne, qui hic fuit,*

fuit tum Iacobo, nos in Occidente docuit. Et veſtri igitur & noſtri Apoſtoli magiſtri ſunt ..... Hoc totum quare dico? Quia nobis inquiunt: hic Apoſtoli fuerunt, hic traditio fuit. Nos ergo dicimus, quia hodie Chriſtus natus eſt, in Epiphaniis autem baptizatus eſt. Addit Chryſoſtomus interprete Petro Pantino: *Quare non erraverit qui eumdem diem Dominicae Nativitatis novum ſimul & antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum exacta eius notitia ad nos pervenerit: antiquum vero & vetuſtum, quod celeriter vetuſtioribus actate ſuppar redditus ſit, & ad eumdem cum ipſis temporibus commenſum evaſerit.*

LIX. Variam autem, non unam fuiſſe apud Orientales de die Epiphaniorum, & die Natali traditionem evincitur ex quo Epiphanius qui Haereſi LI. num. 29. ait natum Dominum die XI. *Tybi*, ſive ſexta Ianuarii; ſupra num. 24. ſcripſerat natum ἡμέρᾳ πέμπτῃ τοῦ Ἰανναρίου, *die Ianuarii quinta:* quo in loco etſi Petavius inquit Typographi vitio ἕκτῃ in πέμπτῃ fuiſſe mutatam, quod tam ex undecimo *Tybi*, quam ex Graecis notis πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανναρίων, admodum probabile apparet; attamen celebratam in quibusdam Orientalium Eccleſiis Epiphaniam *die Ianuarii quinta* ex Hieronymo in Caput. I. Ezechielis, ex auctore Homiliae 8. *in Paſcha* inter Opera Chryſoſtomi, atque ex Stephano Gobario apud Photium Cod. 232. nititur poſt Vſſerium demonſtrare Baſnagius ad Annum V. ante Dominum num. 31. Ioannes quoque Nicaenus, aut quisquis eſt auctor Epiſtolae ad Zachariam Catholicum maioris Armeniae, editae Tom. II. Auctarii a Combefiſio, ſcribit, a Baſilio, a Ioanne Theologo, & a Conventu Conſtantinopolitano, tempore Imperatoris Honorii, omnibus Epiſcopis, qui aderant, annuentibus, definitum fuiſſe, Salvatorem Mundi natum *die 25. Decembris*, idque etiam per litteras ſignificatum Theophilo Alexandrino, Ioanni Hieroſolymitano, & Flaviano Antiſtiti Antiocheno, ut omnes praedicta die Nativitatem Dominicam ſolemni ritu recolerent: Epiphanium quoque Cypri Archiepiſcopum, re penitius inſpecta, ſententiam, cui olim adhaeſerat, tandem mutaſſe. Ea autem Epiſtola, quamvis a Criticis abiudicetur Ioanni Nicaeno, e Graecia tamen ad nos pervenit, neque cenſeri poteſt Latinorum commentum. Extat item Tom. I. Bibl. PP. pag. 138. Anaſtaſii Nicaeae Epiſcopi oratio, in qua haec leguntur: *Nam natus quidem eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex S. Maria Virgine in Bethlehem 25. menſis Decembris, qui eſt ſecundum Aegyptios menſis Chyac hora ſeptima diei, qui eſt VIII. Kalendas Ianuarii:* unde etiam colligimus menſium apud Orientales permixtionem, & confuſionem. Ac tandem S. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. in Epiphaniam diſerte hanc a Nativitate Domini diſtinguens diverſa ſolemnitate celebrari affirmat, & inquit: *At Chriſti quidem Nativitas apta ſolemnitate prius tum a feſti duce & auſpice, tum a vobis, atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo verſantur, quam qui*

LIX. *Apud Graecos traditionem, de qua N. LII. conſtantem non fuiſſe demonſtratur.*

mundo ſublimiores ſunt, celebrata eſt : nunc vero alia Chriſti actio, aliudque myſterium ſequitur. Legite Antonium Pagium ad Ann. Ch. LXVII. num. 25. Quamobrem Orientales quidem permulti Nativitatem, atque Epiphaniam Domini eadem ſolemnitate celebraverunt; quod conſtat ex Menologio per Sirletum edito, atque ex erudita Diſſert. Leonis Allatii *de Dominicis Graecorum* num. 32. ſed tamen non fuit haec omnium per Orientem Eccleſiarum immutabilis & perpetua conſuetudo, neque conſtans & firma univerſorum Graecorum Patrum ſententia.

LX. *Cuinam Solemnitati vocabulum Epiphaniae proprius conveniat?*

LX. Reliquum nunc eſt, ut de *Epiphaniae* vocabulo, unde plura adverſum nos obiiciebat Caſaubonus, pertractemus. Neminem latet *Epiphaniam* dici a Graeco verbo ἐπιφαίνομαι, *appareo*, *exorior*; ideoque etiam Nativitati, in qua Deus factus homo in lucem editus eſt, apparuitque paſtoribus, fatemur nomen illud competere: ſed potiori iure convenire Feſto, a Dominica Nativitate diſtincto, & Latini & Graeci Patres, & ratio ipſa ſuadent. Ex Latinis Hieronymus cap. 1. Ezechielis, ubi ait: *Epiphaniorum dies hucusque venerabilis eſt, non ut quidam putant Natalis in carne, tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit: quod huic tempori congruit, quando dictum eſt, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Auguſtinus Serm. II. de Epiphania: *In praeſepio iacebat, & magos ab Oriente ducebat; abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in coelo, ut agnitus in coelo manifeſtaretur in ſtabulo, & appellaretur Epiphanias dies iſte, quod Latine manifeſtatio dici poteſt:* atque Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de Officiis Eccl. cap. 26. *Epiphaniorum diem feſta ſolemnitate viri Apoſtolici ſignaverunt; quia in eo per ſtellam eſt Salvator oſtenſus, quando invenerunt magi Chriſtum in praeſepio iacentem, & adoraverunt eum.* Ex Latinis haec tantum. Quid vero ex Graecis? Suidas a Caſaubono laudatus non Domini Nativitatem, ſed *Occonomiam*, ideſt, *Incarnationem*, vocavit Epiphaniam, puto quia ideo Verbum Patris apparuit hominibus, quia caro factus eſt, induitque formam hominis adſpectabilem. Praecitata Oratio 39. Nazianzeni titulum praefefert *de ſecundis Epiphaniis*; ideoque S. Gregorius Nazianzenus duas diſtinguit *Epiphanias*, unam, qua Chriſtus apparuit paſtoribus; alteram, qua revelatus eſt gentibus, ut animadvertit ad v. librum Conſt. Apoſt. I. B. Cotelerius: atque hinc notatum velim, immerito Iſaacium Caſaubonum Exercit. II. adv. Baronium, de Hieronymo, qui diem Epiphaniorum a die Natalis Domini ſeiungendum eſſe affirmavit, pag. 188. ſcripſiſſe: *videtur ex profeſſo contradicere Gregorio Nazianzeno praeceptori ſuo*. Theodorus item Srudita Catecheſim 37. ſic incipit, Αἱ ἑορταὶ ἤδη παρῆλθον τά τε Θεοφάνεια, καὶ ἐπιφάνια. *Iam feriae tranſierunt, tum Theophaniae, tum Epiphaniae*, aperte ſecernens cum Nazianzeno duas Domini appaririones. Quae cum ita ſint, & Caſauboni oppoſitiones ſunt refutatae, & aperta ſimul eſt via ad Latinorum, Graecorumque Traditionem conciliandam. Poſſumus enim aſſerere Orien-

rientales duas ſimul Apparitiones Chriſti celebraviſſe, unam factam *VIII. Kal. Ian.* Paſtoribus, aliam factam *VIII. Idus Ian.* Gentilibus; quamobrem celebritatis huius diem plurali numero nuncupatunt, *Epiphaniorum*, *Theophaniorum*, *Sanctorum Luminum*. Latini vero utrumque myſterium peculiari ſolemnitate celebrantes, VIII. Kal. Ian. Natalem Dominicum, VIII. Idus Manifeſtationem a priſcia ſaeculis coluerunt; & ſecundae potius, quam primae feſtivitati attribuerunt nomen *Epiphaniae*, propterea quod manifeſtatus eſt adventus Chriſti Magis ſplendore Stellae, manifeſtata eſt in Baptiſmo eius Divinitas coeleſti voce, & manifeſtata eſt eius omnipotentia in Nuptiis Canae Galilaeae primi miraculi patratione: quae omnia in ſancto Epiphaniorum die Eccleſia Latinorum concelebrat.

LXI. *Proponitur difficilis Ioſephi Scaligeri argumentatio.*

LXI. At ad S. Romanae Eccleſiae traditionem oppugnandam, atque evertendam nervos intendit omnes ad Calcem Operis de Emendat. Temporum, & lib. III. Iſagogicorum Canonum Adnot. 101. & 102. Ioſephus Scaliger, qui natum Dominum putat exeunte menſe Septembri, aut Octobri ineunte. Scaligeri autem ratiocinatio eſt huiusmodi: Antiquiſſima Davidis inſtitutione poſteri omnes Aaron, ideſt Sacerdotes Levitici Ordinis, diſtributi fuerunt in *Ephemerias*, ſeu claſſes 24. quarum ſingulae durarint unius hebdomadis intervallo, ut totus Ordo ἱερατικὸς, ut Scaliger ait, nimirum *ſacerdotalis*, comprehenderit dies 168. in iisdem vero Ephemeriis principem tenebat locum Familia *Ioiarib*, octava vice ſacerdotale munus obibant poſteri *Abiae*. Legite I. Paralipomenon cap. 24. Sacerdotales illae vices a Davide diſtributae ac praeſcriptae nunquam interruptae fuerunt, niſi everſo, aut polluto Templo, ut quando Machabaeorum tempore Antiochus Epiphanes profanato Sanctuario, ceſſarunt ſacrificia, ſuffimenta, ac libamina. At poſt triennalem Templi contaminationem, inſtauravit, purgavitque illud Iudas Machabaeus, ſolemnesque ritus reſtituit anno Graecorum 148. die 25. menſis *Caſleu*. Praedictus Graecorum annus fuit Per. Iulianae 4549. ante Aeram Chriſtianam 165. dies autem 25. menſis *Caſleu* incidit in diem 22. Novembris, quae erat Sabbatum, ideoque ea die iniit primae *ephemeriae*, viciſque munus Familia Ioiarib; die autem 10. proximi anni P. Iul. 4550. ante Aetam Chriſtianam 164. familia Abiae, atque ita Laevitae omnea vicem ſubiere ſuam uſque ad ultimum Templi excidium. His ita conſtitutis, ad hunc modum procedit Scaligeri ratiocinatio: Si a die 10. Ianuarii an. Per. I. 4550. enumerentur *orbes hieratici*, ſive ſacerdotalis muneris vices & circuli uſque ad an. Per. Iul. 4710. quo anno contigit Zachariae εὐαγγελισμὸς, ſcilicet, naſcituri filii annuntiatio, dum in ordine vicis ſuae, quae erat Abiae, adoleret incenſum, (nam iuxta Scaligerum Chriſtus conceptus eſt anno proximo Per. Iul. 4711.) inveniuntur arithmetica ſupputatione *orbes hieratici* 349. quibus exactis debuit ſubire ſacerdotale miniſterium vices Abiae a 21. die Iulii uſque ad 28. Igitur in hac hebdomade

domade Zacharias adolebat incenſum, atque exeunte Iulio, aut Auguſto incunte, poſtquam Sacerdos expleto officio ſuo domum rediit, concepit Eliſabeth, uxor eius, & occultabat ſe *menſibus quinque*: in menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem, ut cap. 1. narrat S. Lucas Evangeliſta. A poſtremis itaque diebus menſis Iulii, aut primis menſis Auguſti uſque ad Natale Dominicum, numerentur oportet menſes quatuordecim, nempe quinque menſes iam completi uterum ferentis Eliſabeth, & novem Deiparae Virginis: quibus menſibus tranſactis illuxit circa finem Septembris, aut circa initium Octobris, Virginei Partus dies beatiſſima. Haec Scaliger. Ut vero huic, ingenioſae quidem, & peracutae ratiocinationi ſuae pondus addat, animadvertit ulterius, idcirco inditam fuiſſe omnium fere Latinorum animis opinionem de Chriſto in lucem edito *VIII. Kal. Ianuarias*, quoniam invaluit apud illos opinio altera aeque falſa, Zachariam fuiſſe ſummum Sacerdotem atque Pontificem, eique apparuiſſe Angelum, dum ingrederetur *in Sancta* die 10. menſis Septembris: unde collegerunt, Eliſabetham concepiſſe die 24. eiusdem menſis, quando vir eius peractis *Expiationis & Stenopegiae* ſolemniis e templo diſceſſerat, domumque redierat: quod argumenti genus a nonnullis ex Patribus productum & nos attigimus ſupra N. XLIV. Scaligero autem plures alii aſſentiuntur; quos inter Baſnagius ad annum vi. ante Dominum num. 7. inquit: *Antiquorum bene multis infixum animo fuit, Zachariam ſummi Pontificatus dignitate ornatum fuiſſe, quae ſententia placuit Ambroſio, Auguſtino, Bedae, Theophylacto, &c. eoque fundamento praecipue innititur Nativitas Chriſti circa brumale ſolſtitium.*

LXII. *Oſtenditur argumentum Scaligeri non eſſe prorſus invictum.*

LXII. Ad haec vero reſpondendum eſſe arbitror, primo Scaligerianae ratiocinationi non eam ſubeſſe vim, quam & ipſe, & Vbbo Emmius, & Gerardus Voſſius, & alii quidam exiſtimant: deinde tota Scaligeri argumentatione ſuppoſita, eadem fulciri ſententiam noſtram, quae propugnat natum Dominum anno V. C. 749. Per. Iulian. 4709. ad haec Romanae Eccleſiae traditionem nequaquam inniti opinioni de Summo Pontificatu Zachariae; poſtremo & hanc opinionem poſſe magna probabilitate defendi, quamvis ego, ut verum fatear, non auſim oppoſitam reprobare. Quod autem priori loco dictum eſt de argumento Scaligeri non adeo, ut iactitant, robuſto, illud hac ratione diluit Henningus Arniſaeus in Diſputatione *de legitimis terminis partus humani* Sect. 14. *Scaligeri computatio, ex Cyclo Hieratico, ſeu Cyclo vertente Sacerdotii deprompta, laborat eo vitio, quod demonſtrare non poſſit ſtationes Sacerdotum manſiſſe imperturbatas etiam eo triennio, quo Antiochus, ſecundum vaticinium Danielis, ſacris ſilentium indixerat.* Scio Voſſium cap. 11. Diſſertationis *de Chriſti menſe, dieque natali*, aſſerere, quod Arniſaeo haud difficulter occurritur, ſi reponatur, quando interruptae fuerunt vices ἐφημεριῶν, & cum

& cum templum incendit Nabuchodonoſor, & cum illud profanavit Antiochus Epiphanes, ἐφημερίας reduxiſſe poſt priorem divini cultus ceſſationem Zorobabel, poſt alteram vero Iudam Machabaeum. Verum id quidem veritati cohaeret: ſed pro Arniſaeo inſiſtere quisque valet: Videnam Scaliger verum eſſe demonſtrat, quod tanquam indubitatum ſupponit, quoties divinus cultus reductus fuit, prima hebdomade Sacris operaſſe principem claſſem, quae fuit *Ioiaribi*. Vices itaque inſtitutas a Davide, ut legitur in I. Paralipomenon, ultro fatemur: poſt templum a Nabuchodonoſoro ſuccenſum, reſtituiſſe Dei cultum Zorobabelem, ut legitur in I. Esdrae, concedimus; idem factum a Iuda poſt prophanationem Antiochi, ut Machabaeorum narrat Hiſtoria, & id aſſentimur; at in utraque ſacrorum inſtauratione a prima familia inchoatas fuiſſe ἐφημερίας, & vices Sacerdotales, gratis omnino ſupponitur a Scaligero. Enimvero fieri potuit, immo congruum magis erat, ut in divini cultus reſtauratione ſacrarum functionum ordinem inchoaret ea Familia Sacerdotalis, cui id obtigiſſet, niſi ſacra ceſſaſſent; quo pacto & Zorobabel & Machabaeus primam ſtationum ſeriem pertexentes, non a familia principe, ſed ab illa, a qua fuerant interruptae, & nulli irrogaſſent iniuriam, & inſtitutionem ſervaſſent antiquam. Hac autem facta hypotheſi, quae magis, quam ſit Scaligeriana, videtur veriſimilior; fruſtra ad *orbes hieraticos*, fruſtra ad 24. poſterorum Aaron *ephemerias*, fruſtra ad 349. circulos, fruſtra demum ad partitiones arithmeticas confugit Scaliger, ut Romanae Eccleſiae traditionem vetuſtiſſimam oppugnaret, mentemque rudiorum difficillimis obrueret ſupputationibus: quod poſtmodum cap. 13. praelaudatae Diſſertationis fatetur ipſemet Voſſius his verbis: *Id Scaligero probandum fuerat, cum Iudas Machabaeus cultum inſtauraret divinum, ἐφημερίας potius coepiſſe a familia principe, quam ubi ordo fuerat interruptus.*

LXIII. Vidimus quid habeat ponderis ratiocinatio Scaligeri; nunc audiendus doctiſſimus Dionyſius Petavius, qui lib. XII. de Doct. Temp. cap. 7. exactiſſimo computo demonſtrat ratiocinatione ipſa firmari potius, quam everti Romanae Eccleſiae de die natali Dominico perſuaſionem, dummodo ſupponatur Chriſtum natum eſſe anno Iuliano 41. ab V. C. 749. & Per. Iul. 4709. quae eſt ſententia a nobis acerrime propugnata, non autem anno Iuliano 43. V. C. 751. Per. Iulianae 4711. quae eſt opinio Scaligeri ob annum Herodis emortualem ab omnibus recentioribus Chronologis refutata atque exploſa „ Sumatur (inquit Petavius) ex diverſis de vero Chriſti Natali ſententiis ea, quam ceteris anteponendam iudicamus, ut anno Iuliano 41. Periodi Iulianae 4709. natus ſit. Ab anno ergo reſtauratorum a Iuda Machabaeo Sacrorum, qui eſt Per. Iul. 4549. & Novembris 22. ad Septembris 17. anni 4708. dies ſunt 58009. qui per ſeptem diviſi dant hebdomadas 8287. quae ſunt *Orbes Hieratici* 345. & praeterea

LXIII. *Scaligeri computus ſententiam noſtram corroborat.*

dies

dies 49. ſeu ephemeriae ſeptem integrae. Igitur Septembris 18. feria ſeptima coepit octava ephemeria, nimirum Abiae, anno Per. Iulian. 4708. Cyclo Lunae 15. Solis 4. littera C. Qua hebdomada labente, Gabriel Zachariae ſuffitum adolenti Ioannis ortum nunciavit. Expleta functione domum reverſus eſt poſt diem 24. Septembris. Eliſabeth vero concepit haud multo poſtea: peperit vero Ioannem nono menſe vertente, anno Per. Iulianae 4709. quo eodem anno poſt ſex menſes natus eſt Dominus Decembris die 25. Ita vel ipſa Scaligeri coniectura communem de die natali Chriſti, veteremque traditionem adiuvat; nihil ut neceſſe ſit Autumno natum aſſeverare Chriſtum. „ Hactenus Dionyſius Petavius. Duo itaque perſpicua ſunt, & commentitiam eſſe Scaligeri hypotheſim, & etiam admiſſa, nullum inde oriri ſententiae noſtrae vel minimum detrimentum.

LXIV. *Demonſtratur non pendere Latinorum Sententiam ab opinione de Pontificatu Zachariae.*

LXIV. Evidens quoque eſt, Latinorum opinionem, ſeu potius dogma, aſſertumque firmiſſimum, non inniti falſae de Pontificatu Zachariae perſuaſioni, ſed traditioni a maioribus derivatae; quae in ſuo robore ac firmitate perſiſtit, quamvis ratio aliqua a Patrum nonnullis ſuperaddita non foret eiusdem ponderis, ac firmitudinis. Enimvero ſummum Zachariae Sacerdotium negant noſtratium quamplurimi: negant Lyranus, Salmeron, Ianſenius, Barradas, Sylvera, aliique Evangelii Lucae interpretes nobiliſſimi: negant & Sigonius lib. v. de Republ. Hebraeorum cap. 3. & Vincentius Cardinalis Gotti Tom. IV. Verit. Religionis Chriſt. cap. 7. Horum tamen nullus in dubium revocat, quin Dominus natus ſit VIII. Kalendas Ianuarias. Eſt itaque apud nos aſſertio de Natali Dominico communis & certa; ſed altera de Pontificatu Zachariae peculiaris tantummodo & adiaphora: uni propter univerſorum conſenſionem ſubſcribimus utroque pollice; & alteram ob auctorum diſſidia arbitrio relinquimus diſputantium. Poſtremo diximus paulo ſupra, eodem pacto cohaerere ſententiae noſtrae ſupputationem quorumdam Patrum de menſibus ac diebus, qui fluxerunt a Feſtivitatibus Expiationis, & Scenopegiae, & a tempore quo Pontifex ingrediebatur in *Sancta* uſque ad Domini Conceptionem, & ſupputationem Scaligeri enumerantis *Orbes Hieraticos* ab anno Graecorum 148. Per. Iulianae 4549. usque ad tempus quo Gabriel nuntiavit Zachariae conceptionem uxoris ſuae Eliſabethae, nimirum usque ad annum Per. Iul. 4708. Sive ergo dixeris Zachariam fuiſſe Pontificem, ſive ſimplicem ex vice Abiae Sacerdotem, nobis ὁμοφρόνως aſtipulaberis.

LXV. *Quinam ſcripſerint, Zachariam fuiſſe Pontificem.*

LXV. Quamquam ab ea quaeſtione, num Pater Praecurſoris Zacharias Pontificis ſummi dignitate polleret, & fungeretur officio, data opera abſtinui, propterea quod ſatius viſum eſt obiecta Scaligeri abſque illius opinionis praeſidio refellere; animadvertens tamen ab aſſerendo eiusdem Zachariae Pontificatu complures Eccleſiae Patres non fuiſſe alienos, non abs re factum puto ſi in eam nunc ſententiam inquiram, cui bene multi adhaerentes a tempore, quo Sacerdos ſummus ingrediebatur

batur in *Sancta*, tempus Dominicae Nativitatis inveſtigarunt. Ac principio ſi auctoritate, & Patrum numero pugnandum foret, haud vereor quin pars affirmans potior evaderet, oppoſitamque antecelleret. Enimvero ad illam acceſſit Graecorum eloquentiſſimus Ioannes Chryſoſtomus, qui in Oratione *de Natali Dominico* a Patino latine reddita inquit: *Vnde igitur, quiſnam ſextus menſis fuerit praegnationis Eliſabeth, nobis conſtabit? Hinc ſcilicet, ſi quo menſe gravida fieri coeperit intelligamus. Vnde autem quis ille fuerit addiſcemus? Si ſciamus quo tempore laetum de hac re nuncium Zacharias eius maritus acceperit. Ceterum hoc ipſum unde nobis explicatum erit? Ex divinis Scripturis. Quomodo Sacrum Evangelium refert Zachariae verſanti intra Sancta Sanctorum Angelum laetum attuliſſe nuncium, & de partu Ioannis ei praedixiſſe.* Acceſſit Ambroſius, qui in Evangelium Lucae, *Videtur*, inquit, *S. Zacharias ſummus deſignari ſacerdos; quia ſicut lectum eſt, in priore Tabernaculo ſemper intrabant Sacerdotes miniſteria conſummantes; in ſecundo autem ſemel in anno ſingularis ſummus Sacerdos non ſine ſanguine, quem offerret pro ſe, & populi delictis. Hic eſt ſummus Sacerdos qui ſorte quaerebatur, quia verus adhuc ignorabatur.* Acceſſit Auguſtinus, qui Tract. 50. in Ioannem exponens quomodo tempore Paſſionis Domini duo eſſent Pontifices Caiphas & Anna, ita loquitur: *Poteſt movere, quomodo dicatur* (Caiphas) *Pontifex anni illius, cum Deus unum conſtituerit ſummum Sacerdotem, cui mortuo unus ſuccederet: ſed intelligendum eſt, per ambitiones & contentiones poſtea inter Iudaeos conſtitutum ut plures eſſent, & per annos ſingulos vicibus miniſtrarent; nam & de Zacharia hoc dicitur: Factum eſt autem cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuae ante Dominum ſecundum conſuetudinem Sacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini.* Acceſſerunt (neque enim multus ero verba ſingulorum exſcribens) Auctor Quaeſtionum ad Antiochum inter Opera Athanaſii Q. 17. Chronicon Alexandrinum paſſim a Panvinio. & Sigonio laudatum, & latinitate donatum a Radero, inſertumque XII. Biblioth. PP. Volumini; Ioannes Nicaenus, aut quisquis eſt Auctor Epiſtolae ad Zachariam Catholicum maioris Armeniae in *Auctario* Combefiſii; Anaſtaſius Sinaita Tom. IX. Biblioth. PP. Theophylactus, & Beda, in Evangelium Lucae; & me quidem iudice etiam Hieronymus, qui Epiſtola IV. ad Ruſticum, in editione Martian. 95. Sanctum Ioannem Baptiſtam appellat *Filium Pontificis*. Adde ex Sacrarum Litterarum interpretibus Ioannem Hofmeiſterum, Paulum Burgenſem, Thomam S. R. E. Card. Caietanum, aliosque permultos. Non ergo auctoritatis praeſidio deſtituta eſt ſententia illorum, qui Zachariam accenſent inter Pontifices; immo hi producere poſſunt adſtipulantium ſibi Patrum numerum longe ampliorem.

LXVI. *Afferuntur pro eadem ſententia rationes nonnullae.*

LXVI. At dices, opinor: ſi ad rationis pondera provocemus, omnino falſa apparebit. Ita ne vero? Pauliſper id, quaeſo, experiamur.

Primo

Primo Lucae v. 8. & 9. de Zacharia legitur, *Factum eſt autem cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuae ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in Templum Domini.* Ea verba *ſorte exiit*, aut referri debent ad diſtributionem hebdomadarum, quibus ſucceſſive 24. Sacerdotes Domino miniſtrabant, ut habetur 1. Paralip. cap. 24. aut ad munus Pontificis obeundum, *ſorte* eo temporis, ut Auguſtinus ait, Sacerdotibus demandatum. Sane ea verba non videntur priori ſenſu accipienda, quoniam Evangeliſta iam *ordinem vicis* commemoraverat, iam conſuetudinem Sacerdotii deſcripſerat, iam monuerat, quod Zacharias Sacerdotio fungebatur. *Sorte* itaque Zacharias exiit, ut munus obiret Pontificis. Ait deinde Sanctus Lucas Evangeliſta, *Sorte exiit ut incenſum poneret.* Vbinam ſitum erat Altare incenſi? Auguſtinus q. 55. in Leviticum ait fuiſſe *intra velum, ubi erat arca Teſtimonii*, & Chryſoſtomus item inquit Orat. ſup. cit. *Non dixit Altare Sacrificiorum, ſed incenſi: propterea quod Altare Sacrificiorum foris eſſet, intus vero incenſi.* Etſi vero permulti hanc de Altare incenſi opinionem refellant, & extra velum, quo ſinguli Sacerdotes accedebant, illud poſitum fuiſſe contendant; attamen Exodi 30. legimus: *Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet Teſtimonii coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, ubi loquar tibi: Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuave fragrans, mane ... Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel per annum, in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. Sanctum Sanctorum erit Domino.* Altare itaque incenſi illud idem erat, ad quod intra velum Pontifex ſemel in anno ingrediebatur, illud idem poſitum intra velum, quod appellabatur *Sanctum Sanctorum*; adeoque ſi Sacerdotes omnes quotidie lucernas componebant, & urebant ſempiternum *thymiama*, id extra velum & ad altare holocauſtorum, non intra velum & ad altare incenſi, peragebant. Quamobrem Apoſtolus in Epiſt. ad Hebraeos cap. 9. verſ. 4. ait, Σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων, χρυσῶν ἔχουσα θυμιατήριον, *Tabernaculum, quod dicitur Sanctum Sanctorum, aureum habens Thymiatirion*, thuribulum alii, alii altare incenſi verterunt. Torſit perdifficilis hic locus Apoſtoli ingenia interpretum, adeo ut eruditis plurimis hanc Epiſtolam, ut inquit Grotius, ſuſpectam reddiderit, eo quod incenſum adoleretur in Tabernaculo exteriore; & qui Epiſtolam illam, ut modo Catholici omnes, Canonicam eſſe fatentur, obiectis occutrerunt dicendo θυμιατήριον, non eſſe menſam, ſed imponendum menſae batillum cum prunis. Verum aut θυμιατήριον menſa ſit, aut *batillus*; cur intra velum, niſi ob adolendum, cremandumque incenſum, collocabatur? At revertamur ad Evangelium Lucae, qui verſu 10. ait: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi:* ibique in emeodatiſſimis Bibliis citatur ad marginem *Levitici* 16. 17. Levitici autem 16. 17. habetur: *Nullus hominum ſit in Taber-*

bernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, & citatur ad marginem *Luc.* 1. *verſ.* 10. Quid plura? Zachariae incenſum adolenti apparuit Angelus, & oriturum filium nuntiavit: ac Dominus Exodi xxx. ſummo Sacerdoti ſemper Angelum allocuturum dixerat *coram Propitiatorio*. Idem Angelus ſtitit ſe *a dextris altaris incenſi*, Zacharism ad oppoſitum altaris cornu orantem, ſibique adverſum reſpicieus; atque Pontifex in die Expiationis *ſupra cornua altaris* intra velum ex praecitato cap. xxx. Exodi verſ. 10. deprecsbatur: mirabantur denique omnes, inquit Evangeliſta, *quod Zacharias tardaret in Templo*, ſcilicet iuxta mandatum Levitici cap. 16. ſtante intra velum Pontifice, foris ersnt ſinguli, rerum quae intus agebantur ignari. Ex quibus ſatis conſtat, Eccleſiae Patres, qui Zachariam Pontificem crediderunt, atque ex tempore, quo Pontifex ingrediebatur Sanctuarium, ſtuduerunt Conceptionis, & Nativitatis Dominicae tempus adinvenire, deceptos non fuiſſe inanibus, futilibus, ac frivolis coniecturis.

LXVII. Nolumus quae praecedentem ſententiam oppugnare videntur, praeterire ſilentio, ne Auguſtini, aliorumque Patrum, quibus plurimum addicti ſumus, viudicias exornaſſe neglecte ac perfunctorie dicamur. Igitur qui Zachariam fuiſſe ſimplicem Sacerdotem exiſtimant, in hanc opinionem momentis hiſce adducuntur. Si Zacharias, inquiunt, fuiſſet Pontificali charactere inſignitus, non id tacuiſſet S. Lucas Evsngeliſta, qui Praecurſoris parentes, horumque genus commemorans, inquit, Ἐγένετο ἐν ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦβασιλέως τῆς Ἰουδαίας ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας. Zacharias igitur non ἀρχιερεὺς *Pontifex*, ſed ἱερεὺς ſimplex Sacerdos fuit. Deinde ſummus Sacerdos non ſorte exibat, neque erat ex vice, ſeu hebdomadarum diſtributione, ſicuti erat laudatus Zacharias, de quo idem Evangeliſta poſt verba pruducta ait, ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *de vice Abia*, paucisque interiectis, ἔλαχε, τοῦ θυμιάσαι, ſorte exiit, *ut incenſum poneret*. Praeterea incenſum adolere ad altare Thymiamatis cuique Sacerdoti fas erat, ut legitur Exodi xxx. verſ. 20. illud autem altare extitiſſe intra velum, inquit Lyranus, ex Patribus unus duntaxat Auguſtinus aſſeruit. Ad haec Pontifex Sanctuarium ingrediebatur cum ſanguine hirci & vituli, ut ex illo contra Propitiatorium adſpergeret, quemadmodum legitur Levitici cap. 16. de Zacharia autem legimus ſolum incenſum adoleviſſe. Rurſus Sacerdos ſummus Hieroſolymis habitabit ut olim Sacerdos Eli prope Arcam in Silo, ut plebi monitis & doctrina, principibus conſilio ac prudentia praeſto eſſet: Zacharias vero privatas & exiguas aedes in montanis Iudaeae incolebat. Demum nullus veterum, qui Pontificum Hebraeorum texuere Catalogos, in iis Zachsriam patrem Praecurſoris recenſuit.

LXVII. *Quibus argumentis evincere ſtudeant permulti Zachariam fuiſſe ſimplicem Sacerdotem.*

LXVIII. His vero, tametſi inſolubilia reputentur, haec repono. Evangeliſta Zachariam *Sacerdotem* appellat, non *Pontificem*; ſed ait cum incenſo ingreſſum, quo nemo introibat, & oranti ad cornua

LXVIII. *Ad ea, quae obiiciebantur reſponſio.*

altaris appsruiſſe Angelum, ad cuius adſpectum turbatus eſt, irruitque in eum timor, quaſi, ut ait in Orat. de Ioanne Baptiſta Antipater Boſtrorum Epiſcopus, intra ſe diceret, *Quid iſtud rei eſt. Alius ne fungitur munere Sacerdotali? quo modo ego incenſum ponam? Vt unus id agat, lex iubet.* Evangeliſta itaque Zachariam Sacerdotem *de vice Abiae* vocat, ſed ex hac vice ſortitum ait Pontificis munera; atque ita oppoſitio prima diluitur. Antiqua ſane conſuetudine & inſtitutione Pontifex alteri vita functo ſuccedebat; ſed rebus Iudaicis ad exitium vergentibus plures ſimul vivebant, qui Pontifices fuerant, non ſucceſſione renuntiati, ſed ſorte, ut de Caipha & Anna dictum eſt ſupra; atque ita altera obiectio evaneſcit. Quod legitur Exodi xxx. verſ. 20. *Lavabunt Aaron & filii eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tab[illegible]aculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant thymiama Domino*, altare intra velum, & Aaron, eiusque filios futuros Pontifices commonſtrat; nam verſu primo eiusdem capitis legitur, *Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Setim.*; atque de hoc altare legitur eodem cap. v. 10. *Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel in anno*, & rurſus, *Sanctum Sanctorum erit Domino.* Altare itaque thymiamatis, & Sanctum Sanctorum intra velum, ubi Pontifex ſemel in anno, ideſt, in die Expiationis orabat, ſunt prorſus idem. Quamobrem in I. Paralip. cap. 6. v. 49. diſtinguitur altare *holocauſti*, & altare *thymiamatis*; adolebantque ſuper utrumque incenſum Aaron & filii eius, Pontifex ſcilicet, & Sacerdotes alii, hi quotidie ad altare holocauſti, ille vero ſemel in anno ad altare thymiamatis & incenſi, *a cuius dextris* apparuit Zachariae Gabriel Angelus; atque ita corruit tertia oppoſitio, ſuaque ſtat Auguſtino auctoritas, aliorum multorum, quidquid Lyranus ogganniet, teſtimoniis firmata. De ritu autem Expiationis ſemel in anno a Pontifice peragendae legitur Levit. xiv. v. 12. *Aſſumptoque thuribulo, quod de pruuis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in Sancta*; ideoque Pontifex antequam de ſanguine vituli contra Propitiatorium aſpergeret, intra velum adolebat incenſum: atque his eliditur momentum quartum. Inducta demum conſuetudine ut Pontifices miniſterio ſuo non fungerentur ad vltam, ſed aut alterna vice, aut ſortitione, quam conſuetudinem oſtendunt, quae diximus de Caipha & Anna ſimul viventibus, & quae leguntur Marci 14. 1. Καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς, *Et quaerebant ſummi Sacerdotes & Scribae*, necnon Ioan. cap. 11. 47. Συνήγαγον οὖν οἱ Ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ φαρισαῖοι συνέδριον, *Collegerunt Pontifices & Phariſaei concilium*; inducta, inquam, ea conſuetudine, non opus erat ut Pontifices ſinguli aut commorarentur Hieroſolymis, aut Catalogis inſererentur; ideòque Zacharias, *ut impleti ſunt dies officii eius, abiit in*

in domum ſuam; atque his poſtrema duo obiecta eliduntur, & quae dicenda erant de Pontificatu Zachariae abſoluta ſunt.

LXIX. Quoniam tamen ita comparatus ſum a natura, ut rationem auctoritati in iis, que labore atque induſtria aſſequi poſſumus, praeferre ſoleam; tacendum non eſt, comprehendi a me quidquid de Zacharia inter Pontifices connumerando diſſerui, in ſerie rerum verifimilium; ſed opinionem alteram cenſeri probabiliorem, quae illum ad communes Levitarum ἐφημερίας vicesque detrudit. Pontificatum enim, regnante ſaltem Herode Aſcalonita, non fuiſſe ſortibus diſtributum, colligo ex quo poſt Simonem patrem Mariamnis, quam idem Herodes uxorem duxit, Pontificem maximum adinveniam Mathiam; atque hoc deiecto, quod facinoris violatorum Aquilae aureae conſcius fuiſſet, ſuffectum Mariamnis fratrem Ioazarum, ut narrat Ioſephus lib. xvii. Antiquit. Iud. cap. 7. Deinde quum plura fuerint Sacerdotum officia, & alii deſtinarentur altari cineribus purgando, ignique ſtruendo, alii victimarum immolationibus, alii autem ſuffimentis; haud inveriſimile eſt, has functiones datis ſortibus fuiſſe diviſas, quemadmodum ſorte impoſitas diurnas nocturnasque cuſtodias in libro de Sacerd. Hon. teſtatur Philo: quod ſi dicatur, plane intelligitur, quomodo thus offerendi munus ſorte contigerit Zachariae. Aſſirmante praeterea eodem Philone, quod altare poſitum ad uſum ſuffitus erat in adyto intra prius velum, nullique alii dabatur conſpici, quam caſte agentibus Sacerdotibus, Γίνονται δ' ἐν ἀδύτῳ εἴσω τοῦ πρωτίου καταπετάσματος, ὃς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐστὶν ὁρατὸς ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύσασι τῶν ἱερέων, haud perdifficile eſt percipere, cur ſuffimenti tempore adſtantium multitudo foris eſſet, quidque ageretur a Sacerdote ignoraret. Haec quidem ſententia eſt noſtra, quam proponere nolui, niſi poſt vindicatam Auguſtini, aliorumque aſſertionem, imprimis teſtatum faciens maximum erga Eccleſiae Patres obſequium meum, deinde liberrimum in ambiguis rebus definiendis iudicium.

LXIX. *Sententia noſtra profertur.*

LXX. Iamvero redeundo ad menſem, diemque Chriſti natalem, cetera quae expedienda remanent, ad examen ſunt revocanda. Ac primum Harduinus recoquens Scaligeri, Beroaldi, & Wolphii rancidulas cavillationes in Antirrhetico de Antiquis Nummis, procuſo Pariſiis an. 1689. ait Cenſum in Iudaea peractum fuiſſe menſe Septembri, Syriam regente poſt Volumnium Saturnino, quae tempeſtas itineribus illorum, qui dare nomina debuere, opportunior erat: additque in menſem Septembrem multo verius convenire paſtorum vigilias ſuper gregem ſuum, quas Lucas commemorat, ſive ut in Graeco legitur, ἀγραυλίας, nempe campeſtres ſub dio ſtabulationes, quam in Decembrem. Exornat quoque Baſnagius, ut plauſibilior evadat, veterem cantionem poëticis floſculis. Ait pecudes ne vel in Oriente tempeſtate brumali ſub dio noctu agere: ſunt enim oves, ut ut bene veſtitae, impatientes

LXX. *Harduini argumentum producitur.*

frigoris, ut neceſſum ſit in caulis clauſas latere, &, verba ſunt Virgilii in Georgicis lib. III.

Et multa durum ſtipula, filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpesque podagras.

In Africa etiam oves rigente hieme in ſtabulis detineri, & *vere novo*, ut Calpurnius ſcripſit in Eclogis, quas nuncupavit Numeſiano Carthaginenſi,

Cum iam tinnire volucres
Incipiunt, nidosque reverſa lutabit hirundo,
Protinus hyberno pecus omne movebis ovili.

LXXI. *Praedicta argumentatio expenditur, atque elidi-tur.*

LXXI. Quam futilis ſit haec obiectio, praemonui ſupra num. XX. Bernardi Lamy opinionem exagitans. Nunc placet; ut heterodoxis heterodoxi, & Ieſuitae Harduino Ieſuitae reſpondeant. Igitur Iſaac Caſaubonus Exercit. II. num. 7. poſtquam attulit quod lib VII. de ovibus ſcripſit Columella, *Id pecus, quamvis ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen impatientiſſimum eſt*; ita loquitur: „ Sunt viri doctiſſimi, qui hoc etiam argumento uuntur, ut doceant, ſine iuſta cauſa Nativitatem Domini in Decembrem exeuntem eſſe collatam, quia non ſoleant brumalibus diebus ſub dio contineri greges totas noctes, praeſertim in montanis Bethlehem. Sed fortaſſe in Iudaea, & aliis locis magis meridionalibus alia ſervatur conſuetudo, quam in Gallia & Germania. Nam etiam in Anglia, ubi nullus eſt a lupis & aliis noxiis animalibus metus, armenta ſaltem toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos ulli tecto unquam ſubeunt. Quare vetuſta traditio Eccleſiae non temere nobis reiicienda. „ Haec Caſaubonus. Quod vero reponit Baſnagius, agi non de armentis in Anglia, ſed de gregibus in Palaeſtina, ubi Iacob ſoceri ſui curans oves querebatur ſe cruciatum nocturno gelu, non ſolvit, ſed corroborat comparationem Caſauboni, ſiquidem Palaeſtinus aer mitior eſt Anglo, & ideo Iacob gregis Labani curam agens gelu cruciabatur nocturno, ut habetur Gen. 31. 40. quoniam hiemali tempore ſub dio morabatur inſomnis. Gerardus item Voſſius Diſſertat. de menſe dieque natali Ieſ. Ch. §. XIII. inquit: „ Ac nihilo ſolidius quod idem Scaliger hibernum tempus obiectat non fuiſſe aptum patribus familias ad longum iter cum uxore inſtituendum cenſus cauſa: tum item quod paſtores non ſoleant noctu eo anni tempore excubias agere apud gregem. Quippe de nocturnis excubiis non dicit Evangeliſta. Interpretes quidem verbum ἀγραυλεῖν reddunt *vigilare*, vel *excubare*, ſed melius vertas, *ſub dio agere*. Proprie vero, ut origo indicat, notat ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι. Id vero non diurno minus tempori convenit, quam nocturno

nocturno: de quo Caſaubonus plura Exercit. II. ad Annal. Baronianos ſect. 7. Imo, ut de nocturnis excubiis fieret ſermo, non ex Gallia, aut Germania, de Iudaea, & locis aliis aeſtuoſis, aut magis Meridionalibus iudicium ferri debet. Praeſertim cum nec in Septentrionalibus id locum habeat ſemper, quod arbitrantur. Atque haec etiam vidit Keplerus.... Quod de Anglia ait Caſaubonus, id veriſſimum eſſe comperimus iam ante annos duodecim, cum per Angliam de nocte, & ante, & poſt Natalem Domini, ſaepe iter faceremus. „ Ita Voſſius: in quo, ſicuti in Caſaubono, minime probamus, Evangeliſtam iis verbis, Καὶ ποιμένες ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes*, ſignificaſſe tantummodo id, quod notat ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι, *rure agere*, ſiquidem nocturnas excubias indicant quae proxime ſequuntur, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. *Et cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*. Vnde Grotius in Lucam, Ἀγραυλοῦντες, inquit, *Agentes ſub dio: nam in hac voce nulla eſt noctis ſignificatio, quam ſequentia exprimunt*. Iam Novatores Novatoribus occurrerunt.

LXXII. Sodalium ſuorum doctrina, Petavii ſcilicet & Gretſeri, refellendus eſt Harduinus. Ac Petavius de Doctr. Temp. lib. XII. cap. 7. brevi ſe expediens ait: *Quod de gregibus, & paſtorum excubiis obiicitur, hoc & Keplerus, & Caſaubonus ipſe iamdudum refellerunt. Quippe frigidiſſimis etiam in Tractibus, ut in Anglia, hieme tota ſub dio greges habentur; quod multo magis in aeſtuoſis regionibus fieri conſuevit*. Gretſerus autem lib. I. de Feſtis cap. 29. praemittit verba Hoſpiniani aſſerentis, incredibile eſſe in Decembri, cum frigus ſumme intenditur, oves paſtum fuiſſe ductas, & noctu itidem extra ovilia vagari permiſſas, nec veriſimile cenſum a Quirinio indictum hiberno tempore ad agendum iter importuno cum tanto ſubditorum incommodo, Romanos quoque adeo fuiſſe immites, ut id imperarent: quae conſtat eſſe eademmet Harduini argumenta. Tum Gretſerus his, quas vocat ratiunculas & vanitates, reſpondet, in Palaeſtina longe mitiorem, & clementiorem eſſe hiemem, quam in hiſce provinciis, ac non raro contingere, ut viatorem magis taedeat itineris aeſtivo tempore, quam hiberno, ac Romanos non adeo clementes fuiſſe, ut ſubditorum potius commoda ſpectarent, quam propria. Adde in agro, aut in montanis commoranti, & univerſae multitudini accedendi ad Vrbem tempus hiemale magis eſſe opportunum; nam de verno, & aeſtivo, ut ludamus & nos Virgiliano Carmine, in I. Georgicon colonis praeſcribitur,

LXXII. *Sequitur, magisque illuſtratur praecedens reſponſio.*

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Illa

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolae, bis quae ſolem, bis frigora ſenſit.
Illius immenſae ruperunt horrea meſſes.

Atque de Autumno ſequenti libro,

Iam canit extremos effoetus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.

Quod ſi in III. monet, ut armenta teneantur clauſa ſtabulis, ne frigidâ laedantur glacie, loquitur de iis, qui excelſas incolunt alpes ubi *nullae*

Aut herbae campo apparent, aut arbore frondes;
Sed iacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu late, ſeptemque aſſurgit in ulnas.

His vero Beroaldi, Volphii, Scaligeri, Hoſpiniani, quos citato loco *delirare* ſcribit Gretſerus, & haereticam, damnandamque opinionem propugnare ait Tom. II. Martyrologii Hiſpanici pag. 386. Ioannes Tamayus Salazar, & quorum veſtigiis inſiſtere Harduinum nequaquam puduit, nos abunde largeque ſatisfeciſſe putamus.

LXXIII. *Altera Harduini ratiocinatio.*

LXXIII. Sed rem aliam Harduinus oggerit, ſapientiſſime a Romana Eccleſia, Feſtum Dominici Natalis celebrari *VIII. Kal. Ianuarias*, non quod ea die natus ſit, ſed quoniam Gentiles colebant eadem die natalem Solis, de quo legitur in Calendario Romano edito ſub Conſtantino Magno, *VIII. Kal. Ianuarias Nat. Invicti*, quo nomine nummi Gallieni Solem appellant, & in Orat. IV. Iuliani Caeſaris habetur incidere Solis natalem in dies, *quibus primo ad Septentrionem ab Auſtro regreditur*. In diem ergo 25. Decembris, ait vir eximius, Natale translatum eſt Domini, ut dum Gentiles ritui profano vacabant, libere Chriſtiani Sacris operam & cultum impenderent. Placuit commentum iſtud & Samueli Baſnagio, qui ad An. V. ante Dom. num. 35. profert vetus Hervarti Kalendarium, in quo item legitur, *VIII. Kal. Ianuarii natale Invicti*, quae de Sole capienda docet Graevius.

LXXIV. *Reſponſio ad ea, quae ſuperiori numero continentur.*

LXXIV. Nemo exiſtimare debet coniecturam hanc poſtremam fuiſſe ingenii Harduinici foetum. Nam praecitatus Hoſpinianus idem tradiderat, pro Sole tamen *Saturnum* inducens, quem Auctorem temporum, eumdemque Solem eſſe intelligendum docet Macrobius in I. Saturnaliorum cap. 22. demonſtratque in II. de Origine, & progreſſu Idololatriae cap. 33. Gerardus Ioannes Voſſius. Gretſerus autem ita Hoſpiniano reſpondet: „Hoc aeque vanum phantaſma eſt, de quo nihil ullus veterum ſcriptorum; qui omnes hoc feſtum in memoriam & honorem Chriſti nati introductum aiunt, non ut Saturnalia fugarentur, quae per ſe abitura & deſitura erant, propagata coeleſti

Do-

Doctrina. „ Quod ergo Iacobus Gretſerus Hoſpiniano, id nos reponimus Harduino, productam a ſe coniecturam eſſe *vanum phantaſma*. In xxix. lib. de Theol. Diſcipl. cap. 3. Harduino reſpondi, nunquam Eccleſiam Chriſti accepiſſe celebrandorum Feſtorum normam ab Ethnicis, imo e contra Daemonem ad ſuperſtitionem inducendam inſtituiſſe cultus, profanosque ritus in verae Religionis contemptum: quam doctrinam acceperam a Tertulliano in lib. de Praeſcript. cap. 40. Hinc vero potius inferendum eſſe animadverti, Orientales, qui olim Nativitatem Domini non celebrarunt die 25. Decembris, feſtum illam diem ad Ianuarii ſextam tranſtuliſſe, ut ſe opponerent Ethnicis colentibus praedicta die 25. ortum Mithrae, ſeu Natalem Solis. Nunc addendum eſt ex praecitato Macrobio, Saturnalia celebrata fuiſſe *XIV. Kal. Ianuarias*, die nempe 19. Decembris, die autem 25. peractos *Ludos Iuvenales*, ut eſt quoque in vetere Kalendario apud Roſinum, & Dempſterum lib. iv. Antiq. Roman. cap. 4. In nummis denique Gallieni extat typus Solis Orientis cum epigraphe ORIENS AVG. & cum imagine Caeſaris ſtantis, & deſtra globum, ſiniſtra haſtam tenentis, his literis circumſcriptis, IVVENTVS AVG. In aliis eiusdem Principis numismatibus cernitur Symbolum *Solis gradientis*, cum inſcriptione, VIRTVS AVGG. S. C. Itaque in iisdem Nummis *Sol oriens* primam Gallieni iuventam, *Sol gradiens* virilem eius animum, virtutemque ſignificat. Verum ad futilem, ineptamque Harduini argutiolam multa nimis.

LXXV. Poſtremo adverſus ſtatutum diem Dominicae Nativitatis urgeri ſolet, quod etſi detur, Chriſtum in utero Virginis fuiſſe conceptum die 25. Martii, non tamen ſequitur prodiiſſe in lucem die 25. Decembris; cum aliquando infantes ultra novem menſes maternis detineantur viſceribus, aliquando intra brevius tempus inde progrediantur: quod poſt Thomaſinum & Tillemontium, Serrius quoque obiectat Diſſert. XXXI. de Chriſto num. 3. Verum obvia & facilis eſt reſponſio, nos ex traditione, qua accepimus Chriſtum conceptum die 25. Martii, & natum 25. Decembris, ſententiam hanc propugnaſſe; traditione autem ſuppoſita, e tempore, quod imputatur mulieribus parientibus, ipſam traditionem explanare. Qua in re imitamur Auguſtinum ſcribentem in iv. de Trinitate cap. 5. *Numerus dierum 276. complent novem menſes & ſex dies; qui tanquam menſes decem parientibus feminis imputantur: non quia omnes ad ſextum diem poſt nonum menſem perveniunt; ſed quia ipſa perfectio Corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, ſicut a maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiae cuſtodit auctoritas*. Vide ſup. N. XLVI. Ceterum ad tempus, quo partus emittitur, etſi Varro & Plinius aiunt aliquando naſci menſe undecimo, quod & Hadrianum decreviſſe tradit A. Gellius; tamen Tertullianus de Anima cap. 37. inquit: *legitima nativitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt*: quod & aſſerunt in Pſalmum III. Ambroſius,

LXXV. *Vltima oppoſitio producitur, ac diluitur.*

broſius, in Epiſtola ad Agnetem Auguſtam Petrus Damianus, & Codex Iuſtinianeus lib. VI. tit. 29. *de poſthumis haeredib.* leg. 8. & Novella 39. necnon ille, qui ita pupum adhuc a partu rubentem alloquebatur,

Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem;
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Nullus autem dubito, quin tam in Ioannis, quam in Chriſti partu commune & ordinarium tempus ſervatum fuerit, tum quia ſi foetus citius, vel tardius emittitur, in cauſa eſt eius imperfectio, aut parientis invaletudo; tum etiam quia de Eliſabetha ait Lucas cap. 1. 57. *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi*, atque de Maria Virgine cap. 2. 6. *Impleti ſunt dies, ut pareret*; quae verba de nullo alio puerulo in Sacris Litteris dicta leguntur. Anno itaque Iuliano 41. Caeſaris Auguſti 40. V. C. 749. Olymp. 193. anno 4. Per. Iul. 4709. VIII. Kalendas Ianuarias natus eſt *ſecundum carnem* Vnigenitus Dei Filius: quod erat univerſae huius Diſſertationis hypotheſis, & argumentum.

DIS-

DISSERTATIO V.

EPOCHARVM CETERARVM CVM DIONYSIANA CONNEXIO.

I. DE tempore Dominicae Nativitatis, & de Aera Dionyſiana & Vulgari ſatis ſuperque pertractaſſe videmur. Subiit nunc animus commonſtrandi qua ratione Epochae aliae cum ipſa, qua utimur, a Dionyſio Exiguo Eccleſiae tradita Occidentali componi valeant, ac primum ceteris omnibus vetuſtior, & quae ab ipſa Mundi productione ſubducitur. Tria autem in praeſentia, tanquam ab Hiſtoricis aut certa, aut magna ſaltem probabilitate litteris tradita praeſupponimus, Mundum videlicet ſempiternum non eſſe, aetatiſque ſuae habuiſſe principium; alterum, de eius duratione usque ad Natale Dominicum Graecos Hebraicosque Sacrorum Bibliorum Codices diſcrepare; tertium, Hebraicam ſupputationem Graecae eſſe praeferendam: quorum primum nequit ſalva fide negari, aliud ſola Sacrae Chronologiae praenotione comprehenditur, poſtremum plurimorum, praeſtantiſſimorumque Virorum conſenſione atque auctoritate firmatur.

I. *Huius Diſſertationis argumentum.*

II. Ac Mundi quidem productionem (quicquid commenti ſunt veteres quidam Philoſophi) nemo prorſus compos rationis in dubium revocat. Egregius Philoſophus Ariſtoteles in Lib. de Mundo cap. 6. *Vetus*, inquit, *ſermo eſt, & a Maioribus proditus inter omnes homines univerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, & coagmentata*, Ἀρχαῖος μὲν ὖν τις λόγος, καὶ πάτριος ἐσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς, ἐκ Θεῦ τὰ πάντα καὶ δι᾽ Θεῦ ἡμῖν συνέστηκεν. Similia Plato Lib. de Legg. 10. aliique Graecorum, ut apud Origenem lib. 1. fateri coactus eſt Celſus, hoſtis Chriſtiani nominis infenſiſſimus. Quamquam nobis miſſa auctoritate veterum Philoſophorum, quos produxere Clemens Alexandrinus in Stromatum libris, Euſebius de Praeparatione Evangelica, atque ex horum lectione in Coſmopoeia Eugubinus, & in Quaeſtionibus Aletanis Abrincenſium Epiſcopus Huetius, ſatis eſt Moſis omnium antiquiſſimi, & ſuperno Numine afflati, divinos, ſacrosque libros ſcrutari; quorum initio rerum omnium, aſpectabilium

II. *Productio Mundi auctoritate firmatur.*

maxime, & quae terrarum, coelorumque ambitu comprehenduntur, enuntiatur geneſis ac productio. Ad Moſis enim tabulas ſaepe ſaepius provocat praeſtantiſſimus Philoſophorum Plato: eumdem in Sympoſio commendat Plutarchus; laudat ipſummet Lib. III. de Bono Numerius: & quod ad rem propius attinet, ita de illo ſermonem inſtituit in Opere, quod inſcripſit, περὶ ὕψους, Dionyſius Longinus: *Qui Iudaeis leges condidit, vir minime vulgaris ingenii, ut qui Dei poteſtatem digne concepit, & elocutus fuit, ſtatim in principio legum ſcribit: dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux.*

III. *Idem ratione ſuadetur.*

III. Quod tradentibus ſapientiſſimis auctoribus didicimus, id quoque indicae nobis rationis lumine aſſequimur. Vnam quippe ac ſupremam Cauſam rerum univerſarum commonſtrant materiei, eiuſque particularum ad ſe movendum inertia, admirabilis ampliſſimae huius molis ſtructura, lex perpetua, regimen immutabile; generationum ſeries, aquarum, ceterorumque elementorum ſitus, eccentrici atque epicyclici motus ſiderum, brutorum, beſtiarumque, etiam minimarum, productio ac directio, excellentiſſimum opificium humani corporis, atque vel unius oculi, tot fibris, nervulis, humoribus, & velamentis compacti natura, immortalis denique animi in corpus illapſus atque ligamen, ſenſuum energia, incommutabilis vitae inextinguibile deſiderium, nec temporum aut locorum finibus circumſcripta mentis facultas. Quae cum in Lib. I. Theol. Diſciplinae fuſiori ſtylo produxerim, iuvat in praeſentia tantummodo commemoraſſe.

IV. *Quid ſentiendum de Atheis.*

IV. Mirum proinde eſt, viros quosdam extitiſſe non tantum ratione praeditos, verum etiam dialectica, & phyſiologia apprime imbutos, qui Mundum ſempiternum dixere, nulloque artifice conſtructum putarunt, eoque audaciae progreſſi ſunt, ut Deum rerum omnium conditorem e medio tollerent, *Athei* hac de re nuncupati. In quorum claſſe praeter Theodorum Cyrenenſem, Diagoram, Epicurum, Titum Lucretium, efferasque gentes Cariabarum, & Canadenſium, ex nimium levi coniectura quidam detruſerunt Andream Caeſalpinum, Galilaeum, Vecchiettum, Merſennium, Vaninum, Hobbeſium, ceteroſque, de quibus pertractant Buddaeus de Atheiſmo, Bignonius in Epiſtolis Franfurti editis, Samuel Parcher in Diſput. de Provid. & in Opere, quo de Comete egit, Petrus Bayle; ac ſane patenti iniuria, trucique calumnia homo quidam improbus & ad triremes damnatus noſtrates quosdam probatae religionis, fideique incorruptae. Ego ſane Auguſtino firmiſſime adhaereo, & quemquam eſſe nego, qui nihil colendum exiſtimet, *qui non aut carnalibus gaudiis ſubditus ſit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo ſpectaculo delectatus inſaniat*, ut in libro de Vera Rel. cap. 38. ait nobiliſſimus ille, ac praeſtantiſſimus Latinorum. At ſi unquam extirit, id, quod pugnaciter inficias non ibo, quum in aeque abſurda inſanientes heterodoxi fuerint prolapſi, puta eos, qui cum Manete Principia duo ſtatuerunt, aut cum Ioanne Calvino

vino Deum ad peccata impellentem, aut cum Socino locis coarctatam immenſitatem: ſi extitit, inquam, Atheus quiſpiam, praemiſſa auctoritate, ac ratione revincitur. Quamobrem aſpectabilem hunc Mundum productum e nihilo ab incommutabili ac ſapientiſſimo Artifice, iure meritoque ſtatuimus.

V. Aliquando autem molem hanc habuiſſe principium, praelaudatus Moſes affirmat ſcribens: *In principio creavit Deus coelum & terram*. Quod nos *in principio* dicimus, Hebraei בראשית pronuntiant; idque nonnulli *in Sapientia*, permulti *in principio temporis* reddiderunt. Quamobrem & Ethnici, quorum figmenta ſunt corruptiones quaedam veritatis, Minervam ſapientiae deam, atque e Iovis cerebro natam, Ἐργάνην, καὶ ἰργοπόνον, ſive, ut Ovidius ait in Triſt. lib. III. *Deam mille operum* nuncuparunt, minime denegantes ſapientia Numinis Mundum conditum, ἀπ' ἀρχῆς χρόνου. Legite ex PP. Baſilium in Hexameron, & ex Graecis Philoſophis Simplicium lib. I. de Aevo & Aeternitate. Auctoritati accedit ratio, quam ſuppeditat Macrobius his verbis in Somnium Scipionis lib. II. cap. 10. *Cur per innumerabilium ſeriem ſaeculorum non fuerat cultus, nec quo utimur inventus literarum uſus, quo ſolo memoriae fulcitur aeternitas? cur multarum rerum experientia ad aliquas gentes tam ſera aetate pervenit?* nimirum originis Mundi perſpicuum eſt argumentum, genus humanum, ut phraſi utar Tertullianea, paullatim exuberans, artium progreſſus, litterarum inventio, Hiſtoriarum exordia, & recens terrarum, quae incultae prius fuerant, inhabitatio. Latere non potuit haec veritas ipſum Providentiae oppugnatorem Lucretium, cuius in lib. V. de Nat. Rerum haec ſunt verba:

V. *Mundi in tempore procreatio.*

Praeterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & coeli, ſemperque aeterna fuere;
Cur ſupra bellum Troianum, & funera Troiae
Non altas alii quoque res cecinere poetae?
Qua tot facta virum toties cecidere; nec uſquam
Aeternis famae monumentis inſita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem ſumma, recenſque
Natura eſt Mundi, neque pridem exordia coepit:
Quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur
Nunc etiam augeſcunt; &c.

& quae eo loci ſequuntur plura. Legite in I. de Verit. Relig. Chriſtianae illuſtrem Grotium. Auctoritati itaque, & rationi ſubnixi Mundum in tempore procreatum aſſerimus.

VI. Num haec productio Vere, vel Autumno contigerit, parum noſtra refert. Attingamus nihilo tamen minus perpauca. Aeſtate Mundum coepiſſe tradiderunt Aegyptii, Autumno Cabaliſtae, in Aequinoctio verno Eccleſiae Patres, Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius,

VI. *De tempore, quo contigit Natale Mundi.*

Theodoretus, Ioan. Damaſcenus, Auguſtinus, aliique apud Salianum in 1. Annal. & Gerardum Ioannem Voſſium in Iſagoge Chronologica Diſſ. II. cap. 8. Alibi pro Patrum ſententia pugnavi, ſcilicet, lib. 1. Th. Diſc. cap. 3. & nonnulla praemiſi in ſuperiori Diſſert. num. L. Moverunt autem me primum veri temporis venuſtas, atque opportunitas: tum redemptio Mundi eo peracti tempore, quo Adam ceciderat: deinde ipſum adverſariorum praecipuum momentum, depromptum ex cap. 12. Exodi, ubi *Niſan* dicitur *Principium menſium*: ad haec inſulſa Cabaliſtarum commentatio, ſive Gematraiia illa per numericam ſupputationem, בראש השנה, *In principio anni*; ſive *Temurà* per litterarum tranſpoſitionem, ſeu metathefim, השרי בראש, *Ineunte Tiſri*: demum perſuaſio Hiſtoricorum, de quibus Diodorus Siculus lib. II. Aſtrologorum ab Ariete Signa Zodiaci enumerantium; Poetarum quoque, inter quos Latinorum princeps in II. Georg.

Non alios prima naſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illuderat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Si magis tamen arrideat opinio referens natale Mundi ad Autumnum, diemque 23. Octobris, minime repugnabo: haud enim ignoro quanta animi contentione poſt Talmudiſtas, Lyranum, & Picum, certaverint pro ea opinione Iunius Scaliger, Vſſerius, eique adhaerentes recentiores innumeri. Verum non obruitur veritas numero ac multitudine repugnantium. Igitur hoc unum definio, Mundum originem habuiſſe, & aetatem eius tempore circumſcribi; quod nobis ipſius Mundi annos Aerae Chriſtianae accommodaturis proluſio eſſe poteſt, & veluti Protheoria dicendorum.

VII. *Supputatio Hebraeorum, Graecorumque diverſa.*

VII. Nequit Mundi aetas cum vulgata Chriſtianorum Aera connecti, niſi definita aliqua ſupputatio aut ex Hebraicis, aut ex Graecis Sacrorum Bibliorum Codicibus praemittatur; quod temere ac pro libidine fieret, niſi nos momenta aliqua impellerent ad unam alteri praeferendam. Ac fruſtra ex numero & auctoritate Scriptorum conaremur inferre, quaenam Chronotaxis ſit verior, & accuratior. Nam pro ea, quam Graeci Codices exhibent, pugnant S. Romana Eccleſia in Martyrum Faſtis, ac Patres omnes, qui ſeptuaginta Interpretum Verſionem, amplexi ſunt, Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, Cyprianus, Lactantius, Philaſtrius, Eccleſia Alexandrina, & Conſtantinopolitana, atque ex temporum Veſtigatoribus, Panodorus, Nicephorus, Cedrenus, Oroſius, Baronius, Panvinius, Sigebertus, Ricciolius, ac data opera Ioannes Morinus, Paulus Pezron, Iſaacius Voſſius. Contra Hebraicam ſupputationem commendat Vulgata & Canonica Verſio, qua utitur Latinorum Eccleſia, illamque probarunt praeter Latinos omnes, Sancti Hieronymus & Iulianus, Lucidus, Marianus Scotus, Gerardus

dus Mercator, Genebrardus, Sixtus Senenſis, Toſtatus, Bellarminus, Torniellus Spondanus; ex illuſtrioribus autem Temporum Scrutatoribus Scaliger, Beroaldus, Calviſius, Keplerus, Vſſerius: quibus recentiores Hiſtorici pleniſſimis calculis ſubſcripſere.

VIII. Scriptorum itaque oppoſitis, & nunquam ad concordiam revocandis opinionibus praetermiſſis, Hebraicum computum rationibus, quas ſubiicio, arbitror Graecorum ſupputationibus praeferendum. Principio Auguſtinus hanc controverſiam pertractans lib. xv. de Civit. Dei cap. 13. docet, non potuiſſe Iudaeos permultos, & ubique terrarum diſperſos Sacrorum Bibliorum Codices depravare; ideoque occurrentia in Graecis Voluminibus a morum diſcrimina eſſe tribuenda Amanuenſi, qui Verſionem LXX. exſcripſit ex Alexandrina Ptolomaeorum Bibliotheca. *Sed abſit* (inquit) *ut prudens quiſpiam, vel Iudaeos cuiuſlibet perverſitatis atque malitiae tantum potuiſſe credat in coditibus tam multis, & tam longe lateque diſperſis: vel ſeptuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communitaſſe conſilium. Credibilius ergo quis dixerit, cum primum de Bibliotheca Ptolomaei deſcribi iſta coeperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in Codice uno, ſcilicet primitus inde deſcripto, unde iam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error*: paucisque interiectis, *Itaque illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in Coditibus Graecis & Latinis, aliter in Hebraeis .... nec malitiae Iudaeorum, nec diligentiae vel prudentiae ſeptuaginta Interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſupradicti Regis codicem deſcribendum primus accepit.*

VIII. *Praeferendam eſſe ſupputationem Hebraicam.*

IX. Traditae ab Auguſtino rationi aliae plures accedunt, atque ea primum, quod in Graecis idem ſunt notae numerorum ac litterae; & facillimum fuerit apicem, aut iota literarum minimam addere, vel praetermittere: Hebraei autem, tametſi pro numerorum notis literas ſaepenumero uſurpent, in Sacris tamen Bibliis propria ipſorum numerorum nomina integre conſcripta adhibent: fit in exemplo Geneſ. V. וַיְהִי כָל יְמֵי אָדָם אֲשֶׁר חַי תְּשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה וַיָּמֹת: *Et fuerunt omne tempus, quo vixit Adam, anni nongenti, & triginta, & mortuus eſt*: idemque eo loci de aliis Patribus uſque ad Noe incorrupte ſervatur. Quis autem non videt facilius potuiſſe mendum irrepere in contractis Graecorum notis, quam in hac Hebraeorum accurata extenſione? Accedit maxima Iudaeorum in Bibliis, cum exarandis, tum cuſtodiendis religio, curaque, vel ſuperſtitio, ut nulla unquam littera abradatur: quare linearum omnium dictiones, & voculas ſuperſtitioſe enumerati ne intemeratas ſervant. Praeterea aut mutilarunt annorum cumputum Iudaei, qui praeceſſerunt Domini adventum, aut qui ſubſecuti fuere: de prioribus nulla oriri poteſt ſuſpicio. Cui enim bono Dominatorem, Regemque ſuum praeſtolantes expetiti temporis decurſum reciſis aut confictis annorum millibus

IX. *Corroboratur praecedens aſſertio.*

decur-

decurtaſſent, aut ampliaſſent? At nec de poſterioribus Iudaeis id ſuſpicari fas eſt. Enimvero hodiernus Hebraeorum computus ad recutitos illos revincendos longe aptior eſt, quam ſit computatio Graecorum. Fuit quippe veterum Rabbinorum firmiſſima perſuaſio circa finem quarti millenarii adventurum Meſſiam: extatque etiamnum in Talmudicis libris traditio, quam adſcribunt Eliae, : שתא ארך שני עולמא וחד חרב : באלפים תהו : באלפים תורה באלפים ימות המשיח : Demonſtratur vero apertiſſime, quatuor annorum millia ab Orbe condito uſque ad Chriſtum fluxiſſe, ſi praeferatur Hebraicorum Codicum Chronologia. Huius ergo auctores, aut depravatores non fuerunt Iudaei, qui Chriſtum adveniſſe praefracte negant. Quis enim credat vaferrimos homines conſpiraſſe adverſus pervicaciam ſuam, & ad confirmandam ipſammet, quam oppugnabant, veritatem? Addo nec potuiſſe, iam ubique gentium diffuſis, & Graeca lingua translatis Bibliis, tam improbum conſilium executioni mandare.

X. *Aliae eiasdem aſſertionis confirmationes.*

X. His accedunt menda, quibus ſcatet LXX. Interpretum Chronotaxis. Primum eſt, quod in ea primae & ſecundae aetatis Patriarchae dicuntur vixiſſe 100. annis ultra aetatem, quam illis adſcribunt non tantum Hebraei, verum & vetuſtiſſimi Latini Codices, necnon rerum Iudaicarum Scriptores. Alterum, quod in eadem Chronologia Mathuſalam dicitur obiiſſe quartodecimo anno poſt Diluvium; quod repugnat Petro in I. Epiſt. cap. 3. aſſerenti octo duntaxat animas, ideſt, Noemum eiusque coniugem, atque tres filios cum tribus ipſorum uxoribus in Arca incluſos naufragium vitaſſe. Nam in Graecis Codicibus legitur Mathuſalam, poſtquam genuit Lamech, ſupervixiſſe annos octingentos duos: *Καὶ ἔζησε μαθουσαλὰ, μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν λαμὲχ ἔτη ὀκτακόσια δύο.* (Hebraei ac Latini habent, ſeptingentos octoginta duos, שבע מאות שנה ושמונים שנה a nativitate autem Lamech usque ad Diluvium: Graeci ſupputant tantummodo annos ſeptingentos octoginta octo: unde uſque ad annum 802. Mathuſalae emortualem anni quatuordecim deſiderantur. Atque hoc argumentum tanti eſt ponderis, ut neque Auguſtinus, neque Hieronymus, neque Eucherius illud alia ratione diluendum putaverint, niſi reponendo, aut Textum LXX. Interpretum fuiſſe vitiatum, aut Diluvii tempore Mathuſalam cum Patre ſuo Henoch fuiſſe translatum. Legite Turniellum ad An. M. 131. num. 7. Bellarminum in Controv. de Verbo Dei cap. 6. & Pagium in Appar. Chronol. num. 2. Sane commentum de Mathuſala translato, Scripturae ipſius mortem enarranti (Gen. 5.) adverſatur, nulloque, vel minimo munimento fulcitur. Vitiata eſt igitur in computo annorum Mathuſalae Graecorum Verſio. Cur idem (quaeſo) de aliis annorum ſupputationibus ab Hebraeorum fonte diſcrepantibus non eſt pronuntiandum? Non Graecorum itaque, ſed Hebraeorum Codicum ſectabimur Chronolo-

nologiam, iuxta quam inveſtigandum eſt modo, in quo anno Mundi Dionyſianam Aeram figere debeamus.

XI. Quamquam enim Hebraicam ſupputationem praeferendam eſſe Graecorum Chronologiae ob momenta ſuperius producta cum viris eruditiſſimis arbitramur; attamen probabili duntaxat coniectura, non autem ratione firma & ineluctabili definire poſſumus, quo anno a condito Orbe communis Chriſtianorum Aera ſit inchoanda. Nam egregii viri Hebraicis computis inſiſtentes ita inter ſe diſſident, ut nequeant ad concordiam ullatenus revocari. Ex Hebraeis namque R. Ben Levi Aeram noſtram connectit cum anno Mundi 3754. Auctores Chronologiae *Maioris*, quae inſcribitur *Seder Holam Rabba*, Latine reddita, ſuaeque Chronographiae adiecta a Gilberto Genebrardo, initium Chriſtianae Aerae componunt cum An. M. 3758. *Rabbi* Levi cum An. M 3780. Talmudiſtae complures cum anno 3784. Iudaei autem hac aetate per Italiam vagantes, Epocham illam ſequuntur, quae noſtram praecedit intervallo annorum 3761. Ceteri pariter inter ſe diſſentiunt plurimum; ſiquidem Lyranus, Georgius Venetus, & Galatinus parum ab hodierno Iudaeorum Computo diſcrepantes, Chriſtianam Aeram ſubducunt ab An. M. 3760., neglectis ſuperioris anni paucis menſibus; quorum vulgaria Hebraeorum Chronica, annum ab Autumnali Aequinoctio ſupputantia, rationem habent. Scaliger vero in *Animadverſionibus Euſebianis* a Mundi ortu ad Aeram Dionyſianam enumerat annos 3946. & ſupputationem hanc adeo exactam exiſtimat, ut alias omnes tanquam futiles, ineptaſque explodat ac parvipendat: cum Scaligero autem Chriſtianam Aeram ab anno proximo 3950. auſpicantur Calviſius, Vbbo, Emmius, Alſtedius, aliique permulti. Dionyſius tamen Petavius adverſus Scaligerum pugnans contendit a Mundi incunabulis ad Chriſtianam Aeram fluxiſſe annos 3983. Viſerius denique (non enim omnes, quod immenſi operis foret, Chronologos commemorabo,) a Mundi exordio ad Kalendas Ianuarias anni Iuliani 46. V. C. 754. ac primi Olympiadis 195. ſive ad Communis Aerae principium, effluxiſſe aſſerit annos 4003. menſes duos, dieſque nonnullos; ſiquidem retulit Natale Orbis ad diem tertiam ac viceſimam menſis Octobris anni Per. Iul. 710. Quod nonnulli minime advertentes affirmarunt ab Viſerio alligari principium Aerae Dionyſianae anni M. 4004. aſſerentibus aliis reieciſſe illud ad annum ſequentem 4005. quod & Turinus, & M. Antonius Cappellus, & alii plurimi praeſtitere.

XI. *Inter eos, qui Hebraicum ſequuntur Computum, diſcrimen eſt maximum.*

XII. In tanta opinionum varietate placet mihi admodum ſententia conſtituens Chriſti Natale in fine quarti millenarii, ideoque initium Aerae in anno M. 4005. Primum, quoniam haec eſt ſententia Viſerii, ut nuper vidimus, cui omnes fere recentiores ſubſcribunt. Deinde quia nil facilius memoriae mandatur, quam Chronologica haec nota quadrati completique numeri, MMMM. indigitans Repa-

XII. *Natale Chriſti anno Mundi 4000. conſignandum.*

Reparatoris noſtri Nativitatem. Tertio quoniam cohaeret haec maxime traditioni Hebraeorum, ad Meſſiam uſque, iuxta praemiſſam traditionem attributam Eliae, annos 4000. enumerantium Inſuper quia ad hanc ſummam, plus, minus, accedunt qui Chronotaxim ſectantur Hebraicam, ut ex praecedenti numero aperte conicitur. Praeterea quia in hac ipſa opinione facilius Chronologiae accommodatur Periodus Iuliana, quam immerito quidam deprimunt, ut poſtea demonſtrabo. Initium quippe Mundi optime figitur anno Per. Iul. 710. & initium Aerae Chriſtianae neceſsario alligandum eſt anno eiusdem Periodi 4714. ideoque ab initio Mundi, uſque ad Aeram communem anni 4004. fluxere. Demum non abhorret ab hac ſententia etiam Clariſſimus Iſaac Newton, tametſi natum Dominum putet anno P. Iul. 4712. ideſt V. C. 752. in Opuſculo 25. Tom. III. pag. Edit. Genevenſis 368. quam poſtremam aſſertionem ſuperius exagitavimus.

XIII. *Problema quoddam ex dictis infertur.*

XIII. Hinc deducimus ſubſequens Problema Chronologicum. Ad datum annum Vulgaris Aerae annos ab ortu & productione Mundi iuxta Hebraicum computum accommodare. Sit annus Chriſti 1750. addantur anni 4004. quibus Mundus eamdem Aeram praeceſſit, & annorum ſumma commonſtrabit annum labentem ab Orbe condito iuxta Computum Vſerianum. Pari ratione ſi addantur anni 3753. erit annus Mundi iuxta Hebraicam ſupputationem Rab. Ben Levi: ſi anno 3757. erit annus M. iuxta *Ieder Holam Rabba*, ſive librum maioris Hebraeorum Chronologiae: ſi anni 3779. reſultabit annus aetatis Mundi iuxta Chronotaxim R. Levi. Si anni 3783. erit annus Mundi Talmudiſtarum: Si anni 3761. annus vulgaris Hebraeorum, inchoandus tamen a *Tiſri*; Si adiiciantur anni 3949. habebitur annus Mundi iuxta Chronotaxim Scaligeri; ſi anni 3983. annus Mundi Petavianus. Ita de aliis inter ſe diſcrepantibus Computis Chronologorum ratiocinabitur. Quare datus annus Chriſtianae Aerae 1750. erit annus Mundi 5754. iuxta Chronologiam Vſerii, quam hac in parte probavimus. Erit item annus M. 5503. iuxta Computum Rab. Ben Levi: Annus 5507. iuxta *Ieder Holam Rabba*: Annus 5529. iuxta Chronotaxim Rab. Levi: Annus 5533. iuxta Talmudiſtas complures: Annus M. 5511. iuxta vulgatam Hebraeorum ſupputationem: Annus M. 5699. iuxta Scaligerum: Annus Mundi 5733. iuxta ſententiam Petavii. Nolo ulterius involucris hiſce, & ambagibus torquere legentium animos.

XIV. *Eorumdem Annorum a Creatione Mundi uſque ad Chriſtum partitio.*

XIV. Forte aliquis a me quaeret: Quomodo illa aetas Mundi usque ad Chriſtianam Aeram commode dividatur. Sunt qui cum Auguſtino in ſex Aetates tempora omnia diſtribuunt. I. Mundi aetas fluxit ab Adam uſque ad Noe, & complectitur annos 1056. II. A Noe uſque ad Abraham, an. 952. III. Ab Abraham uſque ad David, an. 911. IV. A Davide uſque ad Tranſmigrationem Babylonis, an. 479. V. A tranſmigratione Babylonis ad humilem Chriſti adventum, an. 606. VI. Aetas nunc decurrit, donec Excelſus veniat ad Iudicium.

cium. Omnes anni uſque ad Chriſtum ſunt anni 4004. Alii easdem Mundi aetates hac ratione diſpeſcunt I. A Creatione ad Diluvium, an. 1656. II. A Diluvio ad Vocationem Abrahae, an. 426. III. A Vocatione Abrahae usque ad Legem per Moſen latam, anni 430. IV. A Lege uaque ad Templi Aedificationem, an. 479. V. A Templo aedificato usque ad finem Captivitatis, an. 476. VI. A Captivitate ſoluta ad Initium Aerae Chriſtianae, an. 537. ſunt & hi anni ſimul copulati, an. 4004. Recte itaque a Creatione Mundi ad Natale Chriſti Dionyſianum computavimus eamdem annorum ſummam.

XV. Atque hinc ſtatuimus Chronologicum Problema alterum: nam dato anno Per. Iul. 4714. ſive Mundi 4005. quo anno incipit Chriſtiana Aera, & hinc ſubtractis annis 1656. ante Diluvium, habebis annum 2349. concurentem cum anno 1. eiusdem Aerae poſt Diluvium; ac dato eadem ratione quolibet anno Aerae Chriſtianae, ſi addas annos 2348. quibus Diluvium ipſammet Aeram antevertit; percipies quot anni nunc fluxerint a Diluvio. Ex. gr. adde dato anno Chriſti 1750. annos a Diluvio usque ad Chriſtum 2348. erit annus 5099. poſt Diluvium concurrens cum praedicto anno Chriſti 1750. Atque ita de aliis Epochis nuperrime commemoratis, Nativitatis Noe, Vocationis Abrahae, Latae Legis, Inunctionis Davidis, Aedificationis Templi, & Captivitatis Babylonicae dicendum eſt. Hactenus de Computo Hebraico cum Aera Chriſtiana componendo.

XV. Chronologicum Problema alterum.

XVI. Erunt proculdubio, qui non Hebraicum Computum, ſed Graecae Verſionis Chronotaxim praeferendam adhibendamque arbitrentur: quibuſcum nequaquam pugnaciter diſceptabo, eorumque ſupputationibus Aerae Chriſtianae accommodandis aequo lubentique animo inſerviam. Hos tamen principio monitos velim, momenta, quibus Graecorum Codicum nititur auctoritas, non adeo eſſe robuſta, adeo invicta, ut nos a priori ſententia valeant quodammodo removere. Me non latet niti Propugnatores Graecae ſupputationis auctoritati Romanae Eccleſiae, quae in Faſtis Martyrum VIII. Kal. Ianuarias natum Dominum ait, *Anno a creatione Mundi, quando Deus creavit coelum & terram, quinquies milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo*; ubi illuſtris Baronius, *Ita* (inquit) *antiquae tabulae Eccleſiarum, ſecundum ſupputationem ſeptuagintа duorum Interpretum; quam quidem tam Occidentalem, quam Orientalem Eccleſiam conſtat eſſe ſequutam*. Addunt, Verſionem illam LXX. ab univerſis fere Patribus ceteris omnibus anteferri, & ab Auguſtino praeſertim, qui de Civit. Dei lib. XVIII. cap. 43. inquit: *Hanc, quae ſeptuaginta eſt, tanquam ſola eſſet, ſic recipit Eccleſia, eaque utuntur Graeci populi Chriſtiani, quorum plerique utrum alia ſit aliqua ignorant*. Deinde S. Pater eodem in Opere lib. XV. cap. 11. ſolvens quae de Mathuſalem ſuperius diximus, ex verſione nimirum LXX. Interpretum fieri conſequens, ut quatuordecim annos vixerit poſt Diluvium, *Propter*

XVI. Graecae LXX. Interpretum Chronologiae fulcimenta praecipua.

quod, ait, *eum nonnulli, etsi non in terra, ubi omnem carnem, quam vivere in aquis natura non finit constat fuisse delectam, cum patre suo, qui translatus fuerat, aliquantum fuisse, atque ibi donec diluvium praeteriret, vixisse arbitrantur, nolentes derogare fidem codicibus, quos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia; & credentes Iudaeorum potius quam istos non habere quod verum est. Non enim admittunt, quod magis hic esse potuerit error interpretum, quam in ea lingua esse falsum, unde in nostram per Graecam scripturam ipsa translata est. Sed inquiunt non esse credibile septuaginta Interpretes, qui uno simul tempore, eodemque sensu interpretati sunt, errare potuisse, aut ubi nihil eorum intererat voluisse mentiri: Iudaeos vero, dum nobis invident quod Lex & Prophetae ad nos interpretando transierunt, mutasse quaedam in Codicibus suis ut nostris minueretur auctoritas.* Haec Augustinus auctoritatem Versionis LXX. in Ecclesia celebriorem appellans, obiectionem petitam ex annis Mathusalem diluens, & quaedam in Hebraicis Bibliis affirmans interpolata ac vitiata Iudaeorum industria, atque perversitate. Et revera corruptos Hebraicos Codices, ubi a Versione LXX. dissentiunt, docuerunt praeter antiquos Iulianus Episcopus Toletanus, Leo a Castro, Melchior Canus, Salmeron, Morinus, & alii. Postremo, ut recentiores commentationes omittam, quae legi possunt apud Alexandrum Natalem in Hist. Vet. Test. Diss. 8. Iosephus quoque Iudaeorum Historicorum doctissimus supputationi Graecorum insistit, dum Praefatione Librorum de Antiquitatibus, & lib. 1. adversus Apionem scribit, ab origine Mundi ad sua usque tempora praeteriisse *annos quinque mille*.

XVII. *Quae ad obiecta praecedentis numeri possunt reponi.*

XVII. Iure haec non admodum valida pronuntiavi. Nam Romana Ecclesia, ut alibi dictum est, in Versione vulgata, quam authenticam Tridentini Patres declararunt, Hebraicum Computum praefert, atque eo temperamento utitur in Martyrologio Chronologia LXX. Interpretum, ne videatur illorum versionem, quae diu in Ecclesia obtinuit, contemnere: quod non Vsserius tantum reposuit in Parte I. Sacrae Chronologiae, verum etiam Malvenda lib. 1. de Antich. cap. 16. Pererius in Gen. VII. num. 130. Despieres Disp. 1. Dub. 5. ac Pagius in App. num. 7. Quibus addo, priscis saeculis Ecclesiam annos a Mundi origine nequaquam supputasse, eaque nota chronologica destitui vetus Occidentalis Ecclesiae Martyrologium, ut praemonui in Dissert. de Anno Christi natali N. XXII. Ad Augustinum quod attinet; in lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 43. loquitur de septuaginta Interpretum auctoritate, quam *salvo honore Hebraicorum Bibliorum* egregie vindicat, demonstrando unum eumdemque spiritum in utrisque apparere, qui agere potuit *ut idem sensus bene intelligentibus diluceseeret, & aliquid praetermittere, & aliquid addere*. Verum id affirmari nequit de opposita annorum supputatione, quae divinorum Librorum auctoritati non obstat. In lib. autem XV. cap. 11. non propriam, ut constat, sed

quo-

quorumdam opinionem recenſet, ſe alibi de hac re pertractaturum promittens: quod praeſtans proximo cap. 13. ait revera Mathuſalam *ſex annis ante Diluvium* fuiſſe defunctum, idque etiam tribus Codicibus Graecis, Latino uno, & uno Syro, inter ſe conſentientibus demonſtrari: in annis idcirco Mathuſalae inveniri mendoſitatem; tribuendum errorem ei, qui Sacros Codices e Bibliotheca Ptolomaei primus omnium deſcripſit; numeros ſaepenumero negligenter deſcribi, & negligentius emendari: non potuiſſe Iudaeos cuiuslibet perverſitatis, atque malitiae, audaces manus inferre Codicibus tam multis, & tam longe lateque diſperſis: atque poſt haec, quae ſupra Num. VIII. eiusdem Auguſtini verbis produxi, auream hanc regulam proponit: *Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diverſum aliquid in utriſque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguae potius credatur, unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio*. Atque haec Auguſtini regula quaeſtionem omnem penitus dirimit. Hac ergo regula Patres, Hiſtoricosque addictos Graecorum Computis, debito cum honore dimittimus, & cum iis Flavium etiam Ioſephum, qui Graece ſcribens haud inveriſimiliter Alexandrinis, aliisve Graecis Bibliis uſus fuit; quamvis ſcite prudenterque aetatem Patriarcharum, in qua Graeci ab Hebraeis potiſſimum diſſident, nullo annorum numero circumſcripſit. Falſum quoque nonnullis videtur Ioſephum ab Hebraica Chronologia deſciviſſe; ſiquidem lib. 1. Antiq. cap. 4. Diluvium Noeticum contigiſſe ſcribit *poſt annum ab Adamo primo homine bis milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum*, ubi legendum eſſe, *milleſimum* &c. commonſtrant Spanhemius, P. Le Quien, aliique Viri doctiſſimi; nam iuxta Calculum Graecorum Diluvium accidit anno M. 2262. & iuxta Hebraicam ſupputationem, an. 1656. Ab exordio item Mundi usque ad obitum Moſis enumarat Ioſephus lib. 1. contra Apionem *tria prope annorum millia*, utique cohaerentius ad Hebraicam, quam ad Graecam Chronologiam: iuxta hanc enim deceſſit Moyſes anno 3983. ideoque non prope tria millia, ſed prope quatuor millia annorum a Mundi ortu. His vero praecedentes obiectiones ſolutae ſunt. Ceterum liceat per me quidem cuique Graecorum Chronotaxi adhaerere: qua etiam recepta, nonniſi coniectura aliqua poterit annus Mundi, quo ſtatuenda eſt Aera Chriſtiana, inveniri, propterea quod non minus ſectantes Chronicon Graecum, quam adhaerentes Hebraico, diſſentiant, ac pugnent invicem. Nam Romanum Martyrologium, ut diximus, ſtatuit Chriſti Natale in anno a Mundi origine 5957. Iuxta Computum Euſebii, & Venerabilis Bedae ſigitur in anno 5199. Alexandrina Eccleſia illud alligavit anno M. 5504. Conſtantinopolitana in anno M. 5510. Antiochena in anno M. 5494 qui tamen omnes ſunt anni Periodi Incarnationis Dominicae ab VIII. Kalend. Aprilium inchoandae. Ad hunc modum diſcrepant inter ſe ex Graecis Clemens Alexandrinus, Panodorus, Theophanes,

Epiphanius, Nicephorus: atque ex Latinis Oroſius, Iſidorus, Rabanus, Panvinius, Nauclerus, & Voſſius, ita ut poſſimus de his repetere, quae aiebat Commentr. in Epiſt. ad Titum B. Hieronymus: *Eiusmodi annorum certum numerum aut difficile eſt invenire propter librorum varietatem, &, dum paullatim de inemendatis inemendata ſcribuntur, errores inſolitos; aut etſi invenimus magno ſtudio, & labore, nihil profutura cognoſcas.*

XVIII. *Quot anni ab Orbe Condito modo ſupputentur iuxta varias Graecorum Epochas.*

XVIII. Hoc tantum, quod inſtar Problematis eſſe poteſt, ex dictis percipies commodi: ſi dato cuilibet anno Aerae Vulgaris, ex. gr. anno 1750. addideris annos, quibus Graecorum computus initia eiusdem Aerae praecedit, iuxta quamlibet Dominicae Incarnationis Epocham; perſpicuum erit quinam ſit annus ipſiusmet Epochae cum dato anno concurrens. Quamobrem annus 1750. eſt annus a prima Orbis origine 7707. iuxta compurum Romani Martyrologii; annus 6949. iuxta Chronicon Euſebii, & Venerabilis Bedae Chronologiam: annus 7254. Periodi Alexandrinae; annus 7260. Periodi Conſtantinopolitanae; annus 7244. Periodi Antiochenae; idque de alia quacumque ſupputatione ſimiliter eſt aſſerendum. Atque haec de Graeca Chronologia in gratiam illorum, quibus haec magis arridet, quam Hebraica, dicta ſint modo.

XIX. *Aegyptiorum aliorumque portentoſa mendacia.*

XIX. Neminem credo inveniri, qui ſive Hebraica, ſive Graeca annorum ſupputatione, de qua hactenus orationem inſtitui, e Sacris Bibliis definita, ad quatuor annorum millia, vel ad quinque, plus, minusve, uſque ad temporum plenitudinem, Partumque Virgineum produxerit Mundi aetatem, non irrideat, non ſpernat, atque ad nugaciſſimas nugas non amandet prodigioſam illam longaevi ac vetuſti temporis durationem, quam & Aegyptii, & Chaldaei, & Perſae, & Aſſyrii, & Sinenſes iactitarunt, gentique ſuae adtribuerunt. De horum omnium mendaciſſima vanitate deliberavi in praeſentiarum verba facere. Ac primum Aegyptii, ut libro II. ſcribit Herodotus, inter Imperium Menetis & Sethonis, qui Senacheribum fugavit, interceſſiſſe aiebant *trecentas quadraginta & unam hominum generationes, annosque undecimmille trecentos & quadraginta.* Chaldaei, Auctore Marco Tullio in 1. de Divinit. monumentis comprehenſa *quadringenta ſeptuaginta annorum millia* continebant. Aſſyrii, ut Sacerdos quidam Aegyptius narravit Alexandro Macedoni, is vero litteris Olympiadi matri ſignificavit, gloriabantur regnum ſuum uſque ad Macedonem ipſum ſteriſſe *annorum quinque millibus.* Perſarum autem Imperium uſque ad ipſum Alexandrum excepiſſe *octomillium annorum* aetatem, in eadem Epiſtola Regis Macedonum affirmatur. Quae fidem promererentur aliquam, ſi ille, qui haec Alexandro nuntiavit, fuiſſet Iaddus, ſummus Iudaeorum Sacerdos, ut viſum eſt Genebrardo. Poſtremo Sinenſes, quemadmodum Volum. L. cap. 7. narrat Salmon, enumerant *quadraginta annorum millia* a primaeva Imperii ſui inſtitutione.

XX. Haec,

XX. Haec, quaeſo, paullulum diſcutiamus. Aegyptianae vanitatis argumentum eſt maximum Scriptorum veterum diſſonantia. Nam Zoroaſtrem Aegyptiorum vetuſtiſſimum vixiſſe *ſex millibus ante Platonem annis* teſtatur Plinius lib. XI. Hermippus vero floruiſſe ait *quinque annorum millibus ante bellum Troianum*; Diogenes Laertius ſcripſit a Nili filio Vulcano usque ad Alexandrum Macedonem fluxiſſe *annorum quadraginta octo millia, atque octingentos ſeptuaginta tres*; Herodotus, ut diximus, inter Menetem, Sethonemque, annos *undecimmille trecentos quadraginta* enumerat; Diodorus ait inter Oſirim, & Alexandrum ab aliis annorum *decemmillia*, ab aliis autem *tria & viginti millia* ſupputari; Mela denique ait certis annalibus litteris Aegyptios mandaſſe, a ſuamet origine ſidera quater curſus vertiſſe ſuos, ac Solem bis, unde nunc oritur, occidiſſe; curſum autem ſiderum abſolvi *triginta ſex millibus annorum*, quae ſimul addita ſummam centum & quadraginta quatuor millia annorum conficiunt. Accedit argumentum alterum: Aegyptii namque ſe ab Iſide litteras didiciſſe autumant; Iſis vero perhibetur, filiam fuiſſe Inachim Regis Argivorum, cuius regnum poſt obitum Abrahae ſumpſit exordium: quare Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 40. ita Aegyptiorum vanitatem perſtringit: *Fruſtra itaque vaniſſima praeſumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem ſiderum comprehendit Aegyptus, amplius quam centum annorum millia memorari: in quibus enim libris iſtum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras magiſtra Iſide didicerunt?* Tertium argumentum erit huiusmodi: Haud obſcure ex Sacris Litteris Aegyptiorum originem deprehendimus. Geneſeos enim X. 6. legimus Aegyptum Hebraica lingua appellari, מצרים, *Miſraim*, a Mizraimo filio Cham filii Noe; ideoque poſt Diluvium Noeticum, poſterumque Noemi tranſmigrationem, Aegyptiorum gentem coepiſſe. Poſtrema ratio petitur ex Xenophonte, qui litteris prodidit, Semiramidem, quae Babylonem condidiſſe fertur, Nino Regi columnam dicaſſe ita inſcriptam,

Mihi Pater Iuppiter Belus,
Avus Saturnus Babylonicus:
Proavus Chus Saturnus Aethiops,
Abavus Saturnus Aegyptius,
Atavus Coelus, Phoenix, Ogyges.

Videſis Inſcriptionem hanc in *Italia illuſtrata* Editionis Francfurti an. 1600. Hinc Ogyges, ac Saturnus antiquior eſt, pater Saturni Aegyptii; ab eoque genitus fuit Chus Saturnus Aethiops, ſive, ut aiunt quidam apud Xenophontem, & Beroſum legi, *Chus Pater Aethiopum*, quos Hebraica lingua *Chuſim* appellari nemo unus ignorat. Saturnus igitur, quem & Zoroaſtrem vocant rerum Aegyptiarum ſcriptores, eſt Cham filius Noe, ideoque Aegyptii protoparentem, inſti-

XX. *Exploditur Aegyptiorum Chronologia*,

inſtitutoremque ſuum CHEM dicunt; Saturnus vero Aethiopum eſt Chus filius Chami; antiquus autem Saturnus, aut Ogyges, eſt Noe. Quamobrem Ethnici, cum accepiſſent hunc a Diluvio ſuperſtitem, etiam Phoenicem appellaverunt: atque ita ex Mythologia lumine Sacrarum Hiſtoriarum illuſtrata conſtat, Aegyptios eſſe Noemi filiis poſteriores.

XXII. *Origo Aegyptiacae ſupputationis.*

XXI. At undenam prodigioſiſſima illa apud Aegyptios ſaeculorum vetuſtas, atque Dynaſtiarum longaevitas? Ex duplici, ut puto, errore manavit. Primum, cum *anni* nomine Veteres intelligerent cuiuſque aſtri cyclum, aut converſionem; Aegyptii annum noſtro longe breviorem habuerunt. Scribit enim Plinius lib. VII. *Annum alii unum aeſtate determinabant, & alterum bieme, alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere; quidam Lunae ſenio, ut Aegyptii:* & Cenſorinus de Die Natali; *In Aegypto quidam antiquiſſimum ferunt annum bimeſtrem fuiſſe, poſt deinde a Piſone rege quadrimeſtrem factum.* Haec profecto legerat ſapientiſſimus Auguſtinus, ſcribens in lib. XII. de Civit. Dei cap. 10 *Perhibentur Aegyptii quondam tam breves annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur.* Deinde illae Aegyptiorum Dynaſtiae, quas Manethos in tres claſſes diſtribuit, & in an. 5365. digeſtae, atque ex Manethone a Iulio Africano, ex Iulio Africano ab Euſebio, hinc vero a ceteris Chronologis exſcriptae, & ſacris etiam Hiſtoriis inſertae, nequaquam ſucceſſivae fuerunt, ſed implicitae; cum eodem tempore Saites regnaverit in Bucolicis, ac Menis in Thebaide, pariterque ſynchroni fuerint Suſakis, & Semendes, quemadmodum in Lib. I. *de Gentium idololatria* demonſtrat vir eruditiſſimus Gerardus Ioannes Voſſius. Atque haec de Chronologia Aegyptiorum.

XXII. *Aſſyriorum nativitas, & tempora.*

XVII. Quid vero de Aſſyriis? Quod de his Alexander Macedo ſcripſit ad matrem, tum ſacris Litteris, cum Hiſtoricis omnibus adverſatur. Enimvero Geneſeos X. 22. *Aſſur*, qui & Niniven condidit, & Aſſyrios de ſe nominavit, dicitur filius Sem filii Noe; quamquam videatur eo loci commemorari Aſſur alter filius Chus filii Chami, filii Noe: ſed vel ab uno, vel ab altero Aſſur prodierint Aſſyrii, apertum eſt, fuiſſe illos Diluvio Noetico poſteriores. Vide Auguſtinum lib. XVI. de Civit. Dei cap. 3. Ad haec Auguſtinus ipſe lib. XVI. cap. 17. invicte demonſtrat, Ninum filium Beli, & primum Regem Aſſyriorum vixiſſe tempore Abrahami, atque anno circiter *milleſimo ducenteſimo ante conditam Romam*. Paullo ergo Abrahamo vetuſtior fuit Aſſyriorum origo. Praeterea Aſſyriorum regno Herodotus lib. I. tribuit annos *quingentos & viginti*: Diodorus *mille trecentos ac ſexaginta*: Velleius Paterculus *mille ſeptuaginta*; Iuſtinus *mille trecentos*: Euſebius, Cyrillus, Iſidorus, Beda, alique, *mille ducentos & quadraginta*. Hos ſequutus Auguſtinus quarto praelaudati Operis lib. cap. 6. ait: *Nam ſicut ſcribunt qui Chronicam Hiſtoriam perſecuti ſunt,*

ſunt, mille ducentos & quadraginta annos, ab anno primo, quo Ninus regnare coepit, permanſit hoc regnum, donec transferretur ad Medos. Hinc liquet Ninum, & Aſſur eumdem fuiſſe hominem, & commentitiam omnino eſſe Aſſyriorum antiquitatem, Sacris Litteris, & Hiſtoricorum conſenſione reiectam; cum qua refellitur & vanitas Chaldaeorum a Tullio commemorata, ſiquidem Chaldaei ad Aſſyriae regnum pertinuerunt.

XXIII. Sequitur, ut de Perſis dicamus. Horum Imperium *non ultra ducentos annos* ſtetiſſe affirmat lib. 1. Dionyſius Halicarnaſſenſis. Clemens Alexandrinus in I. Strom. enumerat annos Regni Perſarum 235. Hunc ſequitur in caput 9. Danielis Magnus Hieronymus; parumque ab his diſcrepant alii Chronologi. His conſentit emendatiſſimus Ptolomaei Abacus, quem ex Anglia acceptum vulgavit Calviſius, ubi annis 207. Perſarum definitur Imperium. Quid plura? Ipſemet Darius Regum Perſarum ultimus, apud Curtium lib. IV. milites ad certamen pro militari conſuetudine exhortaturus aiebat, Imperium illud ſecundo curſu *per ducentos triginta annos* ad ſummum faſtigium a Diis immortalibus fuiſſe evectum. Nemo ergo non videt, quam fictitia ſit huius Imperii aetas ad octo millia annorum producta: nemo non videt quam recte Alexandri Macedonis Epiſtolam reprobaverint cum praecitato Auguſtino Cyprianus de Idolorum vanitate, Minutius Felix in Octavio, & Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis: quam denique imperite falſoque ſomnia & nugas Sacerdotis cuiusdam Aegyptii Iaddo Hebraeorum Pontifici doctus Genebrardus adſcripſerit. XXIII. *De Perſis.*

XXIV. Reliquum eſt, ut brevi dicamus de Sinenſium Chronologia. Clariſſimus Huetius de Demonſtr. Evangelica Prop. IV. cap. 6. demonſtrat, priſcam Sinenſium & Iaponenſium religionem ex Moſaicis libris fuiſſe depromptam, & illinc, permixtis tamen Etnichorum figmentis, derivaſſe Confucii phyſiologiam. Vallemontius animadvertit, Sumaquam Annalium Sinenſium ſcriptorem accuratiſſimum ſtatuiſſe originem eorumdem Sinenſium ſerius annis ſaltem 250. quam alii fecerint. Ieſuita Cupletus cap. 5. Proemii in libros Confucii demonſtrat, Sinenſes non eſſe antiquiores anno ducenteſimo poſt Diluvium. Salmon praelaudato cap. 7. idem evincit ex quo nil geſtum narrent, nullamque artem exerceant, cuius ante quatuor annorum millia reperiatur veſtigium: id, quod ſerae nativitatis argumentum eſſe fatetur quoque Titus Lucretius, de quo ſupra N. V. At ſatis adverſus mendaciſſimam quorumdam Chronologiam ſtylum acuimus. XXIV. *Chronologia Sinenſium.*

XXV. Refutata vanitate Aegyptiorum, aliorumque nimiam vetuſtatem iactantium, atque a componenda ipſorum Chronologia cum Vulgari Chriſtianorum Aera ſuperſedentes, demonſtrandum aggredimur, qua ratione valeat cum eadem Aera connecti Epocha Nabonaſſari in libris Chronologorum omnium celeberrima. Nabonaſſarum hunc fuiſſe Nabuchodonoſorem regem Babyloniorum, qui deceſſit anno Mundi 3442. XXV. *Nabonaſſarem, ſeu Nabonaſſarum non fuiſſe Nabuchodonoſorem.*

3442. iuxta Chronologiam Vſſerii, ideſt, anno 558. ante Dominicam Nativitatem, ſive anno 562. ante Aeram Vulgarem, nituntur demonſtrare apud Sethum Calviſium in Iſagoge Chronologica cap. 28. Ioannes Funcius, & Andreas Oſiander, qui & Nabonaſſarem cum Salmanaſſare Aſſyriorum rege patre Senacheribi confundunt, innixi futilibus ineptisque argutiolis. Aiunt enim corroborari ſententiam ſuam chronologica ſupputatione, ac nominum ſimilitudine. Verum nil proferri potuit ineptius. Siquidem aiunt tam a Salmanaſſare, quam a Nabonaſſare uſque ad Chriſtum fluxiſſe annos 747. quod falſum eſt, quum a Salmanaſſare ad Chriſtum natum ſupputentur anni 710. (obiit enim Salmanaſſar anno M. 3290.) a Nabuchodonoſore autem, ut diximus, ad Chriſtum uſque anni 558. fluxere. Addunt iisdem fere litteris utrumque nomen conſcribi; quod itidem diſtat a vero: quandoquidem Hebraice Salmanaſſar ſcribitur, שַׁלְמַנְאֶסֶר: Nabonaſſar vero, נְבוֹנָצַּר quibus vocabulis poſtrema tantum littera communis eſt.

XXVI. *Nabonaſſar idem ac Baladan.*

XXVI. Itaque Nabonoſſar idem fuit ac Baladan, de quo Iſaiae xxxix. 1. *Miſit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam: & lib. IV. Regum cap. 20. v. 22. In tempore illo miſit Berodach-Baladan, filius Baladan, &c.* Quam ſententiam a plerisque tradi teſtatur Saſianus ad an. M. 3324. num. 25. eamque propugnant Scaliger in V. de Emendat. Temp. libro, Torniellus ad annum M. 3306. Vſſerius ad annum Per. Iul. 3966. Calmet in Dictionario, aliique bene multi, quorum opinio cum iis, quae de Aera Nabonaſſaris ſubiiciuntur, adamuſſim cohaeret.

XXVII. *Initium Aerae Nabonaſſaris.*

XXVII. Aera itaque Nabonaſſaris incoepit anno M. 3257. Per. Iul. 3967. ante Nativitatem Domini 743. atque ante Aeram Vulgarem 747. Id hac ratiocinatione demonſtro. Cenſorinus de Die Natali cap. 21. ſcribit annos Nabonaſſari coepiſſe a primo eius Imperii anno, *ſeptingentis tribus annis ante Iulianos.* Ante Aeram Dionyſianam praeceſſere anni Iuliani 45. atque ante primum annum Iulianum fluxerant anni Nabonaſſari 702. & labebatur ſeptingenteſimus tertius. Adde modo annis 702. annos 45. & exurget ſumma annorum 747. Anno itaque ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo ante Aeram Dionyſianam initium habuit Aera Nabonaſſari. II. Iuxta Vſſerii Chronologiam, quam ſequuti ſumus in ſupputatione annorum ab origine Mundi, obiit Cyrus Rex Perſarum anno aetatis ſuae ſeptuageſimo, Mundi autem 3475. Ex Dynaſtiis vero Babyloniorum apud Scaligerum lib. II. Iſagogicorum Canonum, colliguntur ab initio Nabonaſſari ad exitum Cyri Perſarum Regis anni CCXVII. qui inter annum Cyri emortualem 3475. & annum primum Nabonaſſaris 3257. interceſſerunt. III. Ptolomaeus in Laterculo Regum Perſarum ſcribit, Cyrum regnaſſe uſque ad annum Nabonaſſari 218. Ab anno, quo Cyrus deceſſit, ideſt, ab anno M. 3475. ſubtrahantur anni 218. reſidui erunt anni 3257.

Anno

Anno itaque Mundi 3257. Nabonaſſaris Aera fuit inſtituta. Idem Ptolomaeus apud Genebrardum lib. 1. Chronographiae pag. 130. ad Auguſtum usque enumerat annos Nabonaſſaris 718. Auguſti Imperium in Aegypto inchoatur a devictis Cleopatra & Antonio, ſive poſt Pugnam Actiacam peractam, ut alibi vidimus, anno V. C. 723. ante Aeram Vulgarem 31. etenim anno proximo, ante Æ. V. 30. Auguſtus in Aſia rerum potitus fuit. Adde ergo annos iſtos Auguſti anno Nabonaſſaris ſeptingenteſimo decimo octavo, eritque annus primus Aerae Nabonaſſaris 747. exactus, & 748. inchoatus ante Aeram ipſam Vulgarem. Recte Newton in Opuſculo XXIII. ſive in Chronologia Vet. Regn. emendata, pag. 61. *Anni Nabonaſſari, & Aegypti incipiebant uno eodemque die, quem Thoth dicebant, atque aequales erant, & omnino iidem: primus autem Nabonaſſaris annus initium duxit a die viceſimo ſexto menſis Februarii veteris Romanorum anni, ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo ante Vulgarem Chriſti Aeram, & triceſimo tertio die cum horis quinque ante vernum Aequinoctium, iuxta medium Solis motum, &c.*

XXVIII. Ex dictis infertur, primum annum Aerae Dionyſianae eſſe annum Nabonaſſaris ſeptingenteſimum quadrageſimum octavum. Quare ſi anno eiusdem Aerae qualiſcumque annus ille ſit, addantur anni 747. quibus Epocha Nabonaſſaris praecedit Aeram Chriſtianam, annus e tota ſumma compactus erit annus ipſius Epochae Nabonaſſaris. Ita datus annus Chriſti 1750. eſt annus Nabonaſſaris bis milleſimus quadringenteſimus nonageſimus ſeptimus.

XXVIII. *Praecedentium Corollarium.*

XXIX. Dixi de Epocha Nabonaſſaris; nunc de Aera Seleucidarum, quae etiam potiori iure videtur cultoribus ſacrae eruditionis inveſtiganda; ea namque utitur ſcriptor Hiſtoriae Machabaeorum, ab ea ſupputant annos Graeci Patres, eaque eſt, quam ſacri ac profani Scriptores appellant Aeram Graecorum, Arabes ab Alexandro, qui ſe Iovis Ammonis (cuius Symbolum Aries) filium iactabat, *Dul-Karnaim*, ideſt, bicornem, atque Iudaei eamdem in publicis privatisque tabulis adhibentes, *Aeram Contractuum*. Epocha itaque Seleucidarum a Seleuco, qui poſt obitum Alexandri iniit Syriae principatum, & Seleucidarum eſt pater, denominationem habet ſuam. Seleucus etiam Nicanor, aut Nicator, ſcilicet, victor cognominatur. Obiit Alexander anno Mundi 3681. ante Natale Domini 319. atque ante Aeram Chr. 323. apud Babylonem immaturo fato ſublatus. Alexandro demortuo, Ducibus, qui ſub eo militaverant, a Perdica regnum diviſum eſt, ut legimus apud Hiſtoricos, univerſos, necnon in I. Mechab. cap. 1. hiſce verbis: *Et obtinuerunt pueri eius regnum unusquisque in loco ſuo*. In ea, aut potius in altera provinciarum diviſione, obtigit Seleuco regnum Babylonis: quod ſibi ab Antigono ereptum, a Ptolomaeo Aegypti rege Syriam invadente, Demetrii filii Antigoni copiis apud Gazam devictis, felici belli exitu recuperavit. Porro Seleucus fertur,

XXIX. *De Seleuco, a quo Epocha Seleucidarum,*

regnum iniisse anno M. 3682. altero ab Alexandri interitu, ante Dominicam Nativitatem 318. ante Aeram vero Dionysianam 322. tametsi post tres annos id contigisse ex Arriano, ac Trogo animadvertit doctissimus Cardinalis Norisius initio Dissertationis *de Epocha Seleucidarum*, quae est secunda elaboratissimi Operis *Epocharum Syromacedonum*. Babylonem vero, eiusque Satrapiam, Seleucum recuperasse anno 12. post obitum Alexandri, idest, anno M. 3692. sive anno 308. ante Natale Dominicum, atque 312. ante Aeram vulgarem, consentiunt qui doctrinam Temporum accurate assequuntur, ac tradunt.

XXX. *Aera Seleucidarum explicatur.*

XXX. Igitur Selucidarum Aera subducitur a postremo hoc anno 312. ante Aer. V. sive a devicto apud Gazam Demetrio, & a recuperata per Seleucum Babylonis ditione. Ita docet praelaudatus Norisius pag. 73. Editionis Veronensis, ubi ait: *Epocha Seleucidarum ab inito principatu Seleuci Nicatoris apud Babylonem eruditis Chronologis colligitur ab Autumno anni Per. Iulianae 4402. ac primo Olympiadis 117. ab V. C. 442. ante Aeram Christi 312. Cyclo Lunae XIII. Solis VI.* Figendae huius Epochae munimenta ista sunt. Primo, Eusebius in Chronico ad annum 1. Olymp. 117. inquit: *Regnum Syriae, & Babylonis, & superiorum locorum nascitur*; & lib. VIII. de Demonstratione Evangelica: *Cum Seleucus Babylonem coepisset, Asiae sibi diadema circumdedit, anno post Alexandri mortem duodecimo*. Deinde Vsserius, Calmet, aliique recentiores ad praedictum annum M. 3692. & ante Domini Adventum 308. referunt Ptolomaei Lagi adversus Iudaeos expeditionem, proeliumque ad Gazam, quo ille superavit Demetrium: tumvero Seleucus ipsius Ptolomaei auxiliariis copiis ad recuperandum Babyloniae regnum, ut supra diximus, properavit. Quae a vero aliena non sunt; nam Iosephus in I. contra Apionem de Hecateo Abderita, qui cum Alexandro fuit enutritus, inquit: *Meminit proelii, quo circa Gazam Ptolomaeus conflixit cum Demetrio, quod utique contigit undecimo anno post mortem Alexandri, Olimpiade vero septima & decima atque centesima, sicut refert Castor*. Postremo Synodus Chalcedonensis Act. 2. ait symbolum Nicaenum fuisse editum XVIII. Kalendarum Iuliarum anno *post Alexandrum*, iuxta Epocham Seleucidarum, *sexcentesimo tricesimo sexto*. Nicaenam Synodum celebratam fuisse anno Aerae Christianae 325. Cos. Paulino & Iuliano, compertum est omnibus. Ab anno itaque Seleucidarum 636. excidantur anni Christianae Aerae 325. ac residui erunt anni 311. sive anni 312. quibus Epocha Seleucidarum Christianam praecessit. Dixi autem 311. sive 312. quemadmodum paullo supra nunc annum 11. nunc annum 12. Alexandri, quoniam Patres Chalcedonenses annos Graecorum inchoarunt ab Autumno, sicuti fecerunt Arabes, Chaldaei, Syri, & Auctor secundi libri Machabaeorum; quamvis auctor libri primi, necnon Ptolomaeus, eosdem annos a tempore verno auspicentur. Quare si ad unum principium,

cipium, puta ad Kalendas Ianuarias, Epochae revocentur, initium Aerae Seleucidarum incidit in annum Mundi 3692. poſt mortem Alexandri II. ante Aeram Chriſtianam 312. Eſt modo qui ſcire cupiat, quomodo Graecorum Epocha cum Vulgari noſtra nectatur? Addat dato anno Chriſti, ex. gr. 1750. annos illos 312. quibus una alteri Epochae antevertit. Erit itaque datus annus 1750. annus Graecorum, ſive Aerae Seleucidarum, 2062.

XXXI. Meminimus ſaepenumero in praecedentibus Olympiadum, & Periodi Iulianae. Illarum apud veteres Hiſtoricos & Chronologos, huius vero apud recentiores uſus frequentiſſimus poſtulat, ut de utraque Epocha diſſeramus. Dicamus itaque de Olympiadum nomine, inſtitutione, & decurſu. Ab Olympia, urbe Elidis in Peloponneſo ad Alphaeum fluvium, & prope Montem Olympum ſita, Olympiades denominari commonſtrat ſatis etymon & vocabulum. Olympus ab altitudine dictus, quaſi coeleſtis, purus, ac fulgens, ſeu quaſi Ὁλολαμπής, unde Homerus Iliad. de Iunone, XXXI. *Olympias quid?*

Εἵσατο δ' ἐπὶ θρόνῳ, ἐλέλιξε δὲ μακρὸν Ὄλυμπον,

quod latine dixeris,

Movit ſe in Solio, & longum concuſſit Olympum.

Olympiam vero & Piſam, a fonte quaſi *Piſtram*, aut *Potiſtram*, ideſt, potum ſuggerentem, ut lib. VIII. inquit Strabo, appellaverunt, Πίσαν, οἵτινες Πίστραν, ἔνιοι δὲ Ποτίστραν, tametſi Strabo ſubiicit Piſam ſolius fontis nomen eſſe, urbemque Piſam fortaſſis nullam fuiſſe; τινὲς δὲ, inquit, πόλιν μὲν οὐδεμίαν γεγονέναι Πίσαν φασὶν: *Quidam nullam fuiſſe urbem Piſam affirmant*, quod intelligas de urbe diverſa ab Olympia, quam ab eodem fonte Piſam dixere. Hinc Peloponneſii vetuſtam hanc Etruriae civitatem aedificantes Piſas vocarunt, nomen tum ob conditores, qui Piſaei item appellabantur, tum ob gemmos fluminum alveos perantiquo nomine dignam: unde de hac urbe Rutilius Numatianus,

Alphaeae veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus, & Auſer aquis.

Cur & Alphaeam dicant, ex dictis perſpicuum eſt: nimirum, quia Olympia, ac Piſa Elaeorum, ſive Peloponnenſium, ad Alphaeum fluvium inter Spartam & Elidem ſita erat. Ibi celeberrimum Templum Iovi ſacrum, ac ſimulacrum elegantiſſimum, opus Phidiae, ut lib. XXXVI. inquit Plinius. Atque hinc Iuppiter aut a monte Olympo, aut ab urbe Olympia, dictus Olympius, quemadmodum & Piſaeus a Piſa apud Theocritum in quarto Eidyllio. Legite Hiſtoriam Deorum, Syntagmate II. In honorem Iovis huius Olympii inſtitutum fuit certamen Olympicum, quod in Olympia celebrabatur, quinto quoque anno

ineunte : unde Olympias eſt ſpatium annorum quatuor, ab uno ad alterum gymnicum, ſeu Olympicum ludum decurrens. Quid ſit Olympias, & unde nomen traxerit, dictum ſatis.

XXXII. *Quis Olympiadum ſit auctor?*

XXXII. Quaeritur modo de Olympiadum inſtitutione. Permultae de hac enarrantur fabellae. Quidam apud Pauſaniam, & Plutarchum aiunt, Iovem in athletae formam mutatum, ut cum Hercule pugnam iniret, deſcendiſſe ex Olympo in Palaeſtram, quumque diu ambo certaſſent, & anceps ac dubia videretur victoria, ſeſe Iovem Herculi manifeſtaſſe; atque ludos Olympicos idcirco inſtituios. Alii aiunt Herculem cum inter fratres luderet, ipſis propoſuiſſe certamen curſus, ea lege, ut victor oleaſtro, ideſt, olea ſylveſtri, quae ab Ariſtotele *phiioſtephanos* dicitur, coronaretur. Sed quid hominum figmenta recenſeo? Omnes fere inſtitutionem Olympiadum tribuunt Iphito, qui ex Pauſania lib. v. cap. 4. deſcendebat ab Oxilo filio Haemonis, filii Thoantis, qui adfuit Troiano Bello: unde Euſebius in Chronico ait: *Iphitus Olympiadem primus conſtruxit*. Quidam Iphitum Olympiadum reſtauratorem fuiſſe contendunt, inter quos Cl. Newton Opuſc. XXII. *Iphitus*, inquit, *inſtaurat Olympiades: ex hac Aera tempora Olympiadibus diſtingui coeperunt*. Putat enim Newton Oxilum, cui Heraclidae templi Olympici curam commiſerant, ludos Olympicos reſtituiſſe, quos poſtea inſtauraverit Iphitus. Et quidem Pauſanias in Arcadicis, interprete Romulo Amaſaeo inquit: *Cum Olympicos ludos olim intermiſſos Iphitus reſtituiſſet, & curſus duntaxat certamina propoſuiſſet, primis ludis Coroebus vicit. Hoc inſcriptio tumuli teſtatur, primum ſcilicet viciſſe, & ſepulcrum ei in ipſis Elei agri finibus erectum*. At ſive inſtitutorem, ſive reſtauratorem Olympiadum Iphitum nuncupaveris, parum intereſt.

XXXIII. *Vnde Aera Olympiadum ſit inchoanda.*

XXXIII. Vnde Olympiades ducant initium, maiori utilitate diſquiritur. Euſebium, ac Sanctum Hieronymum anno uno Olympiadem vulgarem, quam Iphiteam appellant, anticipare, Iulium autem Africanum, & Georgium Syncellum anticipare illam biennio, ſcribit Pagius in Diſſertat. *de Periodo Graeco-Romana*. At Euſebius, qui in Chronico a captivitate Troiae ad primam Olympiadem enumerat annos 406. in X. de Praeparat. Evangelica ſupputat annos 408. Parum itaque, niſi mendum irrepſit oſcitantia & incuria librariorum, ſibi conſtat. Nunc inter omnes convenit, Olympiaca certamina celebrari coepiſſe anno ante Chriſtum natum 880. ante Aeram Vulgarem 884. ideſt anno M. 3120. ſed Graecos per Olympiades tempora ſupputare ab Olympiade 27. qua Choroebus triumphavit, coeperuntque victorum nomina in Faſtis Olympicis deſcribi. Praeterierunt ergo ab Olympiadum exordio uſque ad Chorcebi certamen anni 108. quibus ſubtractis ab anno 884. ante communem Aeram, reliqui ſunt anni 776. Duplex eſt igitur Olympiadum exordium, unum inſtitutionis, ac penitus neglectum, alterum reſtaurationis, & a Scriptoribus uſur-

uſurpatum: illud incidit in annum Mundi 3120. ante Aer. Ch. 884. iſtud in annum Mundi 3228. ante Aeram 776. Hinc habes inſtitutas primitus Olympiades aetate Ochoziae Regis Iuda, a Iehu trucidati A. M. 3121. Iphitum vero vixiſſe temporibus Oziae, & Propheiarum Ionae, Oſeae, & Amos, qui circa ea tempora reſtituti Olympiaci certaminis floruerunt.

XXXIV. Colligimus ex dictis, uſum Olympiadum non eſſe admodum vetuſtum. Et revera Strabo praecit. lib. VIII. inquit: *Tempore belli Troiani hoc certamen* (Olympicum) *aut non fuit tale unde coronae reportarentur, aut non nobile, ut neque alia fuerunt, quae magni ſunt hodie nominis: neque horum Homerus, ſed aliorum quorumdam funebrium, mentionem fecit.* Nec Homerus tantum, ſed neque ii, qui ſubſecuti ſunt, Olympiades in uſum recepere: non Pheracydes Athenienſis, *Genealogus* nuncupatus, non Epimenides, qui ſcripſit de veterum Genealogiis, non Ephorus auditor Iſocratis, non alius quispiam ante Philippum Macedonem Patrem Alexandri, huius Epochae meminere, ſed per Archontes, aut per generationes tempora diſtribuerunt. Immo Marmora Arundelliana inſculpta anno IV. Olymp. 128. Aeram hanc negligunt; quam paullo poſt Timaeus Siculus, tum Polybius, Apollodorus, & quotquot poſtea floruerunt, uſurpavere. Priusquam enim Victorum nomina publicis Faſtis inſcriberentur, Olympiades obliteratae ſunt, aut ſaltem non conſtituerunt peculiarem Epocham, qua uterentur Hiſtorici. XXXIV. *Vſus Olympiadum ſerius obtinuit.*

XXXV. Illud quoque notandum eſt, ante Olympiadum inſtitutionem, & uſum, Graecam Hiſtoriam incertam eſſe, fabellis conſarcinatam, atque ad inveſtiganda tempora parum idonea. Teſtatur id Euſebius in Chronico, ubi ad primam Olympiadem ait: *Ab hoc tempore Graeca de temporibus Hiſtoria vera creditur.* Teſtatur Iulius Africanus apud eumdem Euſebium lib. X. Praep. Evang. cap. 3. ſcribens: *Vsque ad Olympiades nihil exploratum in hiſtoria Graecorum invenitur. Poſt Olympiades vero, quoniam quadriennio diligentiſſime omnia renovabantur, nulla penitus eſt temporum confuſio.* Teſtatur & Cenſorinus, cuius haec ſunt verba in libro de die natali cap. 21. *Varro tria diſcrimina temporum eſſe tradit; primum ab hominum principio, usque ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum a Cataclysmo priore ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium a prima Olympiade ad nos, quod dicitur hiſtoricum, quia res in eo geſtae veris hiſtoriis continentur.* XXXV. *Hiſtoria ante Olympiades incerta & fallax.*

XXXVI. Conſequitur ex dictis primo, Scriptores, qui per Olympiades tempora digeſſerunt, eſſe ceteris antiquioribus, in uſu ſaltem Chronologiae, praeferendos: ſecundo, Aeram Chriſtianam alligatam ſupra anno Mundi 4005. eſſe annum primum Olympiadis 195. ſtatuto Olympiadum initio in illarum reſtauratione, ideſt, in anno Mundi 3228. ſiqui- XXXVI. *Eorum, quae dicta ſunt, conſectaria.*

ſiquidem Olympiades 194. quae Aeram Vulgarem praeceſſere, conficiunt ſummam annorum 776. hi vero anni 776. additi anno 3228. conſtituunt annos 4004. quibus origo Mundi Aeram Dionyſianam praecedit: tertio ſequitur, annum primum Aerae Vulgaris eſſe annum Olympicum, ſive Iphiteum, 777. Tandem infertur, ad dignoſcendum, quinam annus Olympiadum concurrat cum dato anno, ex. gr. 1750. huic addendos eſſe annos 776. Olympiacos Aeram communem praecedentes. Annus itaque 1750. erit annus Olympiacus 2526. ſive haec ſumma in Olympiades, quas diximus quatuor annis conſtare, diviſa, erit An. II. Olympiadis 631. Haec de Aera Olympiadum.

XXXVII. *Pertractatur de Periodo Iuliana.*

XXXVII. Nunc ad explicandam Periodum Iulianam Diſſertatio noſtra progreditur. Ac primo exponam quid ſit haec Periodus a Scaligero in Opere *de Emendatione Temporum* ſummo ſtudio diſpoſita, atque anno Iuliano (a quo Periodum Iulianam appellavit) aptata, circa annum Chriſti milleſimum quingenteſimum octuageſimum. Eſt autem Periodus Iuliana annorum 7980. ſumma, reſultans ex tribus Cyclis, Indictionum, Lunae, ac Solis, multiplicatis cum Periodo Dionyſiana, ſive Victoriana. Vt ergo haec Periodus intelligatur, operae pretium eſt praemittere quid ſint hi Cycli, quorum unitione & multiplicatione Iuliana Periodus coaleſcit.

XXXVIII. *Agitur de Indictione.*

XXXVIII. Indictionem igitur, quam Graeci ἐπινέμησιν vocant, quo vocabulo ſignificatur *largitio*, Scaliger lib. v. *de Emendatione Temporum* ita appellatam exiſtimat ab editione ſpectaculorum quinquennalium, decennalium, & vicennalium; quoniam Imperatores quinquennalia celebraturi tributa, debitorumque reſidua tollebant, ac relaxabant, unde & luſtra dicta ſunt, in nummis per literam A. expreſſa. Refert autem S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus Sermone II. commenticiam, atque ab omnibus reiectam opinionem, nihil aliud fuiſſe Indictionem, ſeu πεντεκαιδεκαετηρίδα, vel annorum quindecim circulum, quam tributum quoddam, quod priori luſtro indiceretur ſolvendum ex auro, ſecundo luſtro ex argento, tertio autem ex aere. Onuphrius noſter *in Faſtis* animadvertens, Conſtantinianae tantum Indictioni datum eſſe, ut per illam tempora ſignarentur, atque ipſamet Indictio in perpetuum deveniret uſum, eiusdem vero initia referri ad annum 312. quo cum Mexentio invictiſſimus piiſſimusque Imperator Conſtantinus bellum commiſit, eique ante proelium ſalutiferae Crucis ſignum affulſit; putavit Indictionem, quaſi *indicationem* dici & nominari a praelaudato Crucis indicio: quam etymologiam refellunt plurimi; quamquam ab anno 312. Indictiones ſupputandas eſſe pleniſſimo fateantur aſſenſu. Petavius denique lib. xi. de Doctrina Temp. cap. 41. ait Indictionis nomine ſignificari quidem annonas & tributa, quorum Canon quotannis indicebatur, id, quod aperte commonſtrat Latinum ipſum Indictionis vocabulum; ſed incertum omnino eſſe, & inex-

inexploratum, cur ille quindecim annorum Cyclus denominetur *Indictio*. At de vocabulo Indictionis dictum satis, superque.

XXXIX. Perplexa admodum est, & obscura Indictionum origo. Auctor enim Chronici Alexandrini ait Indictiones inchoandas esse ab anno primo Monarchiae Iulii Caesaris, quam ille constituit in Consulatu Lepidi & Planci; ibique hanc notam adposuit, Ἀρχὴ ἰνδικτιῶνος, *Principium Indictionis*. At Maximus, & Georgius Monachi statuerunt Indictionum initia in anno 2. Augusti, & Mundi iuxta eorum computum 5460. Enumerant vero annos Augusti a Pugna Actiaca; unde forte derivata est insulsa illa, ac frivola nominis interpretatio apud nonnullos Graeculos, quod Indictio appellata sit quasi Ἰναυτῶν, ab Actio promontorio, & Caesaris Augusti victoria: quae cum anno XV. eiusdem Augusti contigerit, scilicet anno V. C. 723. ac 31. ante Aeram Christianam; sequitur ex Graecorum illorum sententia, initium Indictionis statuendum esse in anno V. C. 724. C. Augusti 16. ante Aeram communem 30. Scaliger autem in praecitato lib. v. de Emend. Temp. & in Animadversionibus Eusebianis, duplicem distinguit Indictionem, Caesarianam unam, quam lib. iii. Canonum Isagogic. appellat etiam Antiochenam, & alteram Constantinianam: ac primam inchoatam tradit anno Per. Iulianae 4666. ideſt, anno 48. ante Aeram Dionysianam; in quem revera annum incidit primus annus Aerae Antiochenae, supputandus ab Octobri transacto. Indictionem vero Constantinianam Scaliger inchoandam docet ab anno 312. sive ab anno 360. post primam Indictionem Caesarianam, atque, ut ipse Scaliger autumat, in Quinquennalibus Constantini. Calvisius, Baronius, Petavius, & quotquot subsecuti sunt Viri clarissimi in eo conveniunt, quod Indictionem Constantinianam incipiendam docent anno Christi 312. sed in Computo Scaligeriano id merito refutatur, quod ait celebrata fuisse eodem anno Quinquennalia Constantini; quum certissimum sit incidisse illa in annum 310. quemmadmodum Vicennalia in annum 325. Verum Scaliger in eo lapsus est, quod initia Imperii Constantini statuenda in anno 305. affixit anno 307. ex quo errore factum est, ut quinquennalia in annum 312. & vicennalia in annum 327. referret. In Chronico etiam Alexandrino foedi occurrunt anachronismi. Ibi namque prior annus Monarchiae Iulii Caesaris figitur, ut diximus, in Consulatu Lepidi, & Planci, qui Consules prodierunt anno V. C. 712. quum tamen Caesar occisus sit anno 710. Idibus Martiis: atque eodem in Chronico ante annum primum Monarchiae, & Dictaturae eiusdem Caesaris, collocatur Consulatus Hirtii & Pansae, qui anno V. C 711. Consulatum gessere, trucidato iam Caesare. Anno tamen Vrb. 705. ante Christum 49. quo Iulius Caesar *Coss. Claudio Marcello, & Cornelio Lentulo*, iniit Dictaturam, optime a Septembri mense nota prioris Indictionis apponeretur; sed eo in anno Indictione prima locata, anno V. C. 724. & 16.

XXXIX. *Variae de Origine Indictionum sententiae.*

& 16. Auguſti, competeret Indictio quarta, non prima; quod rurſus Maximi, ceterorumque Graecorum refellit commentationem.

XL. *Demonſtratur initium Indictionum conſtituendum eſſe in anno Ae. Vulg.* 312.

XL. Erroribus nunc diſpunctis, extra omnem controverſiam poſitum eſt, Indictionum initia locanda eſſe in anno Aerae Vulgaris 312. Kalendis Septembris, ita ut annus proximus 313. a Kalendis Ianuariis more Romano inchoandus, ſignandus ſit *Indictione Prima*. Quod demonſtratur ex Faſtis Siculis, ubi ad ſecundum Conſtantini & Licinii Conſulatum legitur, Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή, *Indictionum Conſtantinianarum hinc ſumitur initium*. Etenim conſtat praedictum Conſulatum anno 312. Vulg. Aer. fuiſſe alligatum. Idem eruitur ex Encoeniis, ſeu dedicatione Vrbis Conſtantinopolitanae, quam diſſertatione noſtra 12. in Vitam Conſtantini, dedicatam oſtendimus anno eiusdem Imperatoris 25. Aer. Vulg. 330. *Coſs. Gallicano, & Symmacho*, die v. Idus Maias, feria 2. Indict. 3. Cyclo Solis 3. Lunae 8. Porro ſi annus Chriſti 330. v. Idus Maias ſignabatur *Indictione* 3. Kalendis Septembris 312. & rurſus 327. conſignandus erat *Indict.* 1. Praeter haec S. Epiphanius in *Ancborato* annum 91. Aerae Dioclctianeae, & Conſulatum Auguſti III. & Equitii, ideſt annum Chriſti 374. adnotavit *Indictione* II. Annus 368. quo Valentinianus & Valens alterum Conſulatum geſſerunt, in Codice Theodoſiano lib. II. tit. 28. de Indulgentiis ſignatur *Indict. XI.* & annus Chriſti 407. quo Conſules prodierunt Honorius VII. & Theodoſius II. notatur *Indictione* V. Synodus item Tyria celebrata anno 518. die 16. Sept. praefefert *Indictionem* XII. Hieroſolymitana coacta poſt Conſulatum Belliſatii, nimirum anno 536. XIII Kal. Octobris, exhibet *Indictionem* XV. Quae omnia, ut percipiet quisquis paullulum ſederit ad abacum rationalem, optime cum ea ſententia cohaerent, quae Indictionum initia ſtatuit in anno Domini 312. Conſtantini Magni 7. Kalendis Septembris.

XLI. *De menſe, ac die, unde inchoandae ſunt Indictiones.*

XLI. Dixi autem, Kalendis Septempris. Enimvero illinc revera Indictiones Conſtantinianas ſupputandas tradit S. Ambroſius in Epiſtola ad Epiſcopos Aemiliae his verbis, *Indictio Septembri menſe incipit*: & Chronicum Alexandrinum, *Indictiones numerari coeptae a prima die menſis Gorpiei, ideſt, Septembris*. Quam rationem in omnibus ſuis Epiſtolis S. Gregorius Magnus, & complures alii Romani Pontifices diu ſervaverunt. Aetate tamen Venerabilis Bedae obtinuit conſuetudo Indictiones ſupputandi ab VIII. Kal. Octobris, ut idem Beda teſtatur de Rat. Temp. cap. 46. Sequutos hunc morem Gallos demonſtrarunt viri docti ex Synodo IV. Pariſienſi, & ex Capitularibus Caroli Magni. Nunc ad omnem confuſionem vitandam triplex diſtingui ſolet Indictio, Conſtantinopolitana, quae progreditur a Kalendis Septembris; Caeſariana, quae incipit ab VIII. Kal. Octobris, ideſt, a die Septembris vigeſimaquarta; & Pontificia, ſeu Romana, quae inchoatur a Kalendis Ianuariis, tametſi, ut nuper diximus, aetate

tate Magni Gregorii Pontificia a Conſtantinopolitana non eſſet diverſa. Doctiſſimus quoque Iureconſultus Iacobus Gothefredus fallitur, dum in Chronologia Codicis Theodoſiani multas Indictiones ſecernens, non ſatis accurate diſtinguit Italicam ab Orientali, atque illam ab anno D. 312. hanc vero ab anno proximo 313. auſpicatur: ſiquidem etiam vetus Italica ſupputabatur a Kalendis Septembris anni 312. licet hodierna inchoetur a proximis Kalendis Ianuariis.

XLII. Exurgit ex dictis certiſſimus canon pro inveſtiganda cuiuslibet anni Indictione. Quum enim Indictio ſit cyclus & revolutio annorum quindecim, quibus exactis reditur ad unitatem; conſtituto Indictionum exordio in anno Chriſti 313. Kalendis Ianuariis iuxta morem Romanum, rediit Indictio prima anno 328. 343. 358. 373 & ſic deinceps, adeo, ut annus Correctionis Gregorianae 1582. concurrat cum Indictione 10. & annus 1750. cum Indictione 13. Arithmetica autem partitione ita Indictio cuiusque anni invenitur. Dato anno Aer. Vulg. addatur numerus ternarius, & ſumma dividatur per 15. neglectoque quotiente, qui reliquus eſt numerus annum indicat Indictionis, & ſi nihil ſuperſit, Indictio erit decimaquinta: atque ad hoc memoriae mandandum qui de Caleudario pertractant, pervulgatum diſtichon tradidere,

XLII. *Quomodo cuiusque anni inveniatur Indictio,*

Si tribus adiunctis Domini diviſeris annos
Ter tibi per quinos, Indictio certa patebit.

XLIII. Ad componendam vero Periodum Iulianam praeter Indictionem Cyclus quoque Solaris, & Lunaris concurrunt. Norunt autem omnes Cyclum Solarem eſſe annorum 28. & Lunarem, quem & Aureum Numerum vocant, annorum 19. Adinvenitur Aureus numerus, ſi dato anno A. V. 1750. addatur numerus 1. & ſumma dividatur per num. 19. nam partitione hac peracta, qui reliquus eſt numerus, annum Cycli Lunaris indigitat, ac ſi nihil ſit reliquum, Aureus numerus erit 19. Annus item Cycli Solaris facillime invenitur, ſi dato anno 1750. aut cuilibet alii addatur numerus 9. & ſumma dividatur per num. 28. Tunc enim numerus, qui reiecto quotiente reſiduus eſt, commonſtrat annum Cycli Solaris; ac ſi nullus remaneat numerus, annus eiusdem Cycli erit 28. Ita dato anno Aerae Chriſtianae 1750. concurrit annus 23. Cycli Solaris; Lunaris autem, ſive Aureus numerus 3. Atque ad haec pariter memoriae mandanda notiſſimi quidam verſus circumferuntur:

XLIII. *De Duobus Cyclis Solari, & Lunari.*

Vnum addes annis Domini, ſummamque novenis,
Et denis tribues, Numerus tibi ut Aureus adſit.
Iunge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo ſeca ſummam: Cyclus Solaris habetur.

XLIV. *De Periodo Victoriana.*

XLIV. Ex praedictorum Cyclorum combinatione variae exoriuntur Periodi. Si enim Cyclus Solaris cum Lunari coniungatur, sive, quod idem est, multiplicetur numerus 28. per 19. resultat Periodus annorum 532. quae est Periodus Victoriana, ita a Victore, seu Victorio Aquitano appellata; & in qua notandum est, peracto duntaxat circulo illo annorum 532. recurrere eosdem numeros Cycli Solaris, atque Lunaris. Neque enim eveniet, ut habeamus simul aureum numerum 3. & annum Cycli Solaris 23. quos paullo supra adinvenimus in anno 1750. nisi transacta Victoriana illa Periodo, nempe anno 2282. Si pariter Cyclus Solaris multiplicetur per Indictiones, scilicet 28. per 15. resultabit Periodus annorum 420. quemadmodum si Cyclus Lunaris ducatur per Cyclum Indictionum, consurget Periodus annorum 285.

XLV. *Qua ratione ex memoratis Cyclis coaluerit Periodus Iuliana.*

XLV. Periodus ergo Iuliana, ut dixi N. XXXVIII. nihil est aliud, quam summa annorum 7980. constans ex tribus Cyclis, Solari, Lunari, & Indictionum in se ductis, sive Periodus illa Victoriana annorum 532. (quam Periodum diximus paullo supra coalescere ex Cyclo Solari multiplicato per aureum numerum, Cyclumque Lunarem) multiplicata per circulum Indictionum, scilicet per 15. Transacta autem duntaxat Periodo illa annorum 7980. similes omnino numeri trium illorum Cyclorum, Solis, Lunae, & Indictionum, simul rursus convenient. Iure autem meritoque illustris Pagius in Dissertatione de Periodo Graeco-Romana Periodum Iulianam utilissimam esse dixit, quoniam eius beneficio certam habemus temporum etiam incertorum mensuram, ac praeterea quia est Aerarum omnium, maxime quae praecedunt Dionysianam, fulcrum & munimentum, plurimumque confert ad memoriae praesidium, necnon ad praecipuos Historiae cardines sublevandos. Atque rectissimi huius, acquissimique iudicii ea est ratio, quod dato anno Periodi Iulianae, si illum dividamus per Cyclum Indictionis iuxta regulam praemissam N. XLIII. adinveniemus quota fuerit Indictio eiusdem anni: si dividamus illum per Cyclum Solarem, annus Cycli Solaris; atque si per Cyclum Lunarem, annus Lunaris aperte constabit. Quare habet haec Periodus certissimas notas & characteres, quibus unus annus secernitur ab altero; iisque characteribus cognitis possumus etiam investigare quo anno huius Periodi ea contigerint, quorum aetatem penitus ignorabamus. Quae cum ita sint, nequaquam assentiri possumus Viro doctissimo, qui in Praefatione ad Tabulas Chronologicas Sacrorum Bibliorum Venetae Editionis Hertzianae anni 1740. reiicit Periodum Iulianam tanquam ingeniosum quidem commentum Scaligeri, sed nimis intricatum, & minus utile.

XLVI. *Aptatur Periodus Iuliana Aerae Dionysianae.*

XLVI. Ex notis illis singularibus, & characteribus temporum, de quibus nuper dicebam, consequens est annum 45. Iulianum, quo contigit Natale Christi Dionysianum, fuisse annum Per. Iulianae 4713. quoniam eodem anno erat Cyclus Solis 9. Lunae 1. Indictio 3. qui

tres

tres characteres ſimul conveniunt praedicto anno 4713. Primus itaque annus Aerae Dionyſianae inchoandus a proximis Kalendis Ianuariis, eſt annus Iulianae huius Periodi 4714. Quod ſi hanc ſummam 4714. dividamus per 15. reſidua nobis erit Indictio 4. ſi per Cyclum Solis, ſive per 28. erit anuus Solaris 10. ſi per 19. reſiduus erit annus Lunaris 2. Atque revera hae notae ſimul quadrant anno primo Aerae Chriſtianae, ſive Dionyſianae. Hinc vero infertur, cur recentiores Chronologi, qui putant Mundum perduraſſe annis 4004. usque ad Aeram Chriſtianam, conſignent ipſius Mundi primordia in anno Periodi Iulianae 710. tametſi nulla pars temporis ante productionem rerum corporearum effluxerit.

XLVII. Praecedentium quoque conſectarium apertiſſimum eſt, dato quolibet anno Vulgaris Aerae haberi annum Periodi Iulianae, ſi illi addantur anni 4713. quibus Periodus Iuliana Aeram hanc antecedit. Sit in exemplo Annus 1750. qui eo appoſito additamento eſt annus Per. Iul. 6463. qua ſumma diviſa per 15. iuxta canones praecedentes, habemus Indictionem 13. diviſa per 19. annum 3. Cycli Lunaris, & diviſa per 28. annum 23. Cycli Solaris: atque haec item ad inſtar Canonis Chronologici eſſe poſſunt. XLVII. *Canon Chronologicus alter.*

XLVIII. Explicata nunc Periodo Iuliana, quoniam de annis Vrbis Conditae prolixe egimus Diſſertatione III. Epochas autem alias in ea Exercitatione, quam modo exornamus, quantum neceſſum erat attigimus; ex Aeris, quae Dionyſianam praeceſſere, explananda remanet Hiſpanica. Hanc vero figendam eſſe in anno 38. ante Aeram Vulgarem conſentiunt accuratiores Chronologi; quamvis Sethus Calviſius pag. 447. conſignandam exiſtimet anno ante Chriſtum 36. Et revera, Epocham Hispanorum praedicto annorum 38. intervallo Aerae Dionyſianae antevertere, viri in Chronologia peritiſſimi ſequentibus munimentis evicerunt. Principio animadverterunt Toletanum IV. Concilium celebratum anno Domini 643. dici coactum *ex omnibus Epiſcopis Hiſpaniae & Galiciae Aera* 681. atque id aperte cohaeret, ſi praedicto anno 643. communis Aerae addamus annos illos 38. quibus Hiſpana Dionyſianam Epocham ſuperat. Quod & in aliis, tum Hispanarum, cum Carthaginenſium Synodorum temporariis notis Baſnagius ad annum V. C. 716. ceterique adnotarunt. Accedit evidens argumentum, quod depromitur ex Faſtis Idatii; in quibus Honorio VIII. & Theodoſio Arcadii F. Coſs. nimirum anno Aer. V. 409. legitur, *Olympiade* 217. *Alani, & Vandali, & Suevi Hiſpanias ingreſſi Aera* 447. Nam ut ex hoc numero deſcendamus ad praecedentem 409. annos 38. detrahamus oportet. Demum inſigne de hac Aera teſtimonium exſtat Iuliani Epiſcopi Toletani Tom. IV. Bibl. PP. pag. 144. *Aera inventa eſt* 38. *antequam Chriſtus naſceretur. Nunc autem acclamatur Aera eſſe* 724. *Detractis igitur* 38. *annis, ex quo Aera inventa eſt, usque ad Nativitatem Chriſti reſidui ſunt anni* 686. XLVIII. *Pertractatur de Aera Hiſpanica.*

Anno itaque V. C. 716. Per. Iul 4676. ante Chriſtum 38. Hiſpani, qui a Domitio Calvino ſubiugati, in ditionem veneranr Caeſaris Octaviani Auguſti, amoto Kalendario Iuliano, alterum admiſere, ab eodemmer anno, quo Auguſtus Patrum accedente decreto coepit Hiſpaniarum poriri, progrediens, ac ſupputandum. Atque haec eſt Aera ipſa Hiſpanica, de qua agimus. Nec deſunt, qui Aeram dictam velint *Ab Exordio Regni Auguſti*, atque ex primis ſingularum iſtarum dictionum elementis AERA; aliis tamen ab aere, calculisque aereis ad aliquid numerandum, ſignandumque adhibitis, aliis item aliunde Aerae derivantibus appellationem. De qua re ſi differere vellem, nimis profecto eſſem orioſus, verborumque profuſor. Quamobrem hoc tantum addo, quod corollarium eſt praecedentium, primum Aerae Chriſtianae & Vulgaris annum fuiſſe Hiſpanicae 39. atque hunc eſſe ad quemlibet Hiſpanae Epochae annum inveſtigandum, certiſſimum Canonem, dato anno Chriſti addere annos illos 38. quibus diximus Hiſpanam Aeram Dionyſianae praeire. Ira annus ex. gr. 1750. erit Epochae Hispanicae 1788. Arque haec dicta ſint de Aeris illuſtrioribus, quae Nativitatem Domini praeceſſere.

XLIX. *De Epocha Paſſionis Dominicae.*

XLIX. Eas modo, quae conſecutae ſunt, paucis expediam, ſiquidem vel ſunt a nobis alibi diligenter diſcuſſae, vel nulla implicantur difficultate. Prima iraque eſt Aera Paſſionis Dominicae, quam nos cum Eccleſiae Patribus vetuſtiſſimis figendam ſtatuimus in Conſulatu duorum Geminorum, ideſt, in anno Per. Iulianae 4742. ab V. C. 782. Aerae Dionyſianae 29. Permulta autem de anno, quo Chriſtus affixus eſt Cruci, & redemit Sanguinis ſui pretio univerſum humanum genus, ſcripſimus lib. XXIX. Theologicarum Lucubrationum, cap. 7. eaque valent, ut arbitramur, chronologicam illam difficillimamque quaeſtionem agitantibus ſatisfacere. Brevem eiusdem quaeſtionis ſynopſim exhibere curabimus in proxima Diſſertarione Iſagogica ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Diffiteri tamen non debemus probari recentiorum compluribus Vſſerianam Chronologiam, quae alligat Paſſionem Dominicam anno Per. Iul. 4746. V. C. 786. & Aerae Vulgaris 33. Licet vero in ea ſententia Baptiſmus Chriſti ad annum aetatis ſuae 34. mors autem ad annum 37. protrahatur, quod Evangelicae Hiſtoriae, & veterum traditioni repugnare videtur; ſunt tamen veriſimilia complura, maxime quae ex Kalendario, & ex Luna Paſchali inferuntur, quae eamdem ſententiam videntur corroborare, & quae in praelaudato capite ſeprimo nequaquam diſſimulavimus, ac pro noſtra viriſi excuſſimus, & diluimus. At ii, qui priorem ſententiam repudiandam exiſtimant, poſtremam ut lubet defenſitent, annosque Aerae Crucifixionis Dominicae ſubducant ab anno 33. Dionyſiano. Nobis itaque annus Aer. Vulg. 1750. eſt annus a Paſſione Redemptoris noſtri 1731.

L. Se-

L. Sequitur Aera Diocletiani, ſeu Martyrum, quam Differt. praecedenti N. XXIX. ſubducendam demouſtravimus ab anno Chriſti 284. Hanc ſubrogatam Actiacae, & progredi a die 29. Auguſti docet Pagius de Periodo Graeco-Romana; compertumque eſt obtinuiſſe Aeram illam uſque ad Dionyſium Exiguum, qui eius loco ſubſtituit Aeram Dominicae Incarnationis, ut diximus praecitata Differt. num. XXVI. De Actiaca item egimus Differt. III. N. LVIII. ubi eamdem Aeram conſtituimus in anno Iuliano 15. Periodi Iulianae 4683. V. C. 723. ante Aeram Chriſtianam 31. Quemadmodum ergo habemus annum Aerae Actiacae, ſi dato anno Vulgaris Aerae, ex. gr. 1750. addamus annos 31. quibus Epocha Auguſti deducta ab Actiaca Victoria praecedit Aeram Dionyſianam; ita ſi ab eodem anno ſubtrahantur anni 284. occurret ante diem IV. Kalendarum Septembris, ſive annos Romano more ſupputando a Kalendis Ianuariis, annus Aerae Diocletiani, ſeu Martyrum; adeo ut praedictus ac decurrens annus 1750. qui eſt Epochae Actiacae 1781. ſit annus Aerae Diocletiani 1466.

L. *De Aera Diocletiani ſubrogata Actiacae.*

LI. Praetermittere nolumus Aeram Turcarum, quam vocant Hegiram, ſive ab Hagar, & a gente Hagarena, ſive potius a *fuga*, quam Arabes *hegiram* dicunt. Deducitur enim Epocha Turcica a fuga Mahumedis Pſeudoprophetae, qui lata Alcorani lege, ut evaderet invaleſcentium hoſtium inſidias, ſeſe ab urbe Mecha ſubripuit nocte, quae ſubſecuta eſt diem decimamquintam Iulii, anno Chriſti 622. Ab illa ergo nocte anni Chriſtianae Aerae 622. Cyclo Solis 15. Lunae item 15 ineunte feria ſexta, quam proinde Saraceni colunt, & ſacram habent, quemadmodum nos diem Solis, progreditur Hegira, aut Epocha illa percelebris, qua Mahumetani, ceterique incolae Orientis paſſim utuntur. Forma tamen annorum Hegirae ab aliis diſcrepat; conſtat enim menſibus Lunaribus, ac diebus 354. horis 8. minutis 48. quum anni Iuliani & Solaris quantitas ſit dierum 365. & horarum 6. Quare annus Hegirae minor eſt anno Iuliano diebus 10. hor. 21. min. 12. Hinc uniuſcuiuſque anni huius Epochae diverſum extat initium, ac modo ab uno, modo ab altero menſe inchoatur, ea ſumma, qua ab anno Solari ſuperatur, ſingulis annis detracta, ita ut decurſu triginta duorum annorum novus annus Hegirae coaleſcat, ideſt triceſimus tertius. Adhibitis enim calculis arithmeticis, ſi annus iſte Hegirae inciperet a Kalendis Ianuariis, poſt annos ſedecim exordium duceret circa Kalendas Iulias; exactisque aliis annis ſedecim, rurſus initium anni occurret circa Kalendas Ianuarias. Calviſius in Iſagoge Chronologica tabulas expoſuit ad annos Hegirae cum Iulianis facile componendos. Iuxta easdem tabulas annus Vulg. Aer. 1750. eſt annus Hegirae 1163.

LI. *Explanatur Hegira, ſive Epocha Turcarum.*

LII. Reliquum eſt, ut de Epocha Novi Imperii, ſeu Caroli Magni, pertractemus, repetenda ab exitu anni Chriſtianae Aerae 800. Ca-

LII. *Novi Imperii, ſive Caroli Magni Epocha exponitur.*

Carolus Magnus, cui avus fuit Carolus Martellus, Pater Pipinus Francorum Rex, & frater Carolomannus, hoc demortuo die 4. Decembris anni 771. ſolus totius Galliae, & Germaniae regno potitur. Adminiſtrato autem fauſtiſſimo eventu bello Saxonico, ſubverſo Mersburgi idolo Irmenſuel, fuſo ad Ticinum exercitu Deſiderii regis Langobardorum, ſuſcepta expeditione in Hiſpaniam adverſus Saracenos, diruto in Vrbe Magdeburgenſi Veneris ſimulacro, Hunnis in Bavaria, & Foroiulio devictis, in ordinem redactis Carolo duce Beneventano, Carolo Taſſidone Bavariae principe, altisque hoſtibus potentiſſimis, indicta adverſus errorem Elipandi Synodo Francofurdienſi, pluribusque aliis operibus pietatis, fortitudinis, & munificentiae peractis, quorum cauſa Magni ſibimet cognomentum comparavit, recepitque a Romano Pontifice una cum Vrbis vexillo claves Confeſſionis Principis Apoſtolorum: Carolus, inquam, Magnus die 25. Decembris, hora matutina ſecunda, in Vaticana Baſilica a Leone Papa III. conſecratus eſt, fauſtisque populi acclamationibus ſalutatus Romanus Imperator Auguſtus. De hac Caroli Magni inauguratione ita Anaſtaſius Bibliothecarius: *Adveniente die natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Baſilica beati Petri Apoſtoli omnes iterum congregati ſunt; & tunc venerandiſſimus almificus Pontifex manibus ſuis propriis pretioſiſſima corona coronavit eum: tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem, & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Eccleſiam, & eius Vicarium habuit, unanimiter altiſſima voce, Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri regni Coelorum, exclamaverunt,* CAROLO PIISSIMO, AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO IMPERATORI VITA, ET VICTORIA. Similia Theophanes, Eginhardus, omnesque Hiſtorici litteris conſignarunt.

LIII. *De gravi hinc exorta quaeſtione.*

LIII. Non eſt hic animus quaeſtionem illam attingere, magna animorum contentione agitatam, fuerit ne auctoritate Leonis III. Pontificis Maximi a poteſtate Graecorum ad Francorum ditionem translatum Imperium. Scimus id aſſerere ad annum 800. num. 9. & ſequentibus Cardinalem Barontum, & in libro de Tranſlatione Imperii Eminentiſſimum Bellarminum, qui id cum ex Hiſtoria Inaugurationis nuper relata, tum ſcripturarum teſtimoniis nituntur evincere. At ſunt, qui cum Sigonio lib. IV. de Regno Italiae ad annum 801. & cum Pagio in Notis ad Annales Baronii num. 10. negant in Caroli Magni coronatione factam fuiſſe aliquam translationem Imperii. Inquiunt enim Imperatoriae dignitatis titulum, cum ante annos ferme trecentos in Italia defeciſſet obitu Momylli Auguſtuli, ultimi Imperatorum Occidentis, a Leone III. rurſus in Occidente renovatum fuiſſe, ut Eccleſia Romana haberet adverſus infideles, haereticosque tutorem, atque propugnatorem, cuius officium Imperatores Orientis videbantur iampridem repudiaſſe. Neque enim, aiunt, quod olim

fue-

fuerat extinctum, dici poteſt de uno translatum in alterum, ſed renovatum duntaxat. Hinc in Caroli Magni Numiſmatibus epigraphem illam legi, *Renovatio Imperii*. Addunt per illam Caroli ſolemnem inaugurationem, Irenem Imperatricem Orientis nihil de iure ſuo amiſiſſe, vel remiſiſſe. Verum ſive dicas Imperium Occidentis translatum, ſive dicas renovatum auctoritate Pontificis Maximi, parum refert, & de ſola nominis proprietate diſceptatur. In eo gravior ſita eſt controverſia, num Petro, huiusque ſucceſſori Romano Epiſcopo a Deo ſit collata poteſtas regna Mundi occupandi, aliisque tradendi. Quod cum aliqui negant, & illis Caroli Magni opponitur Inauguratio, reſpondere ſolent, Carolum Imperatorem fuiſſe acclamatum iure belli, ac tranſactione. Quum enim Rex Langobardorum Deſiderius iniuſto bello occupaſſet in Italia urbes illas, quae vel ad Occidentale pertinebant Imperium, vel ad Romanam Eccleſiam; Carolus ſibi iure belli easdem Vrbes Imperiales vindicavit: cumque vel hereditario iure, vel belli, poſſideret reliquas omnes Galliae, & Germaniae provincias, & civitates, quae ſitae ſunt intra veteres Imperii Occidentalis terminos; non poterat Imperatoris exſpoliari axiomate ac dignitate, & Leonis III. renunciatio (inquiunt Baronii, & Bellarmini oppugnatores) non tribuit Carolo imperium, ſed fuit publica quaedam teſtificatio, quae declaravit ipſum Carolum iure fuiſſe Imperio potitum, quemadmodum Eccleſiae Paſtor, vel Parochus, non dat Sponſam Sponſo, ſed eſt legitimi coniugii teſtis, & conſecrator. Ceterum nec derogant haec omnia auctoritati Pontificum Romanorum; ſed commonſtrant ſolummodo, Leonem III. in renunciando Carolo Imperatore Occidentis, id fuiſſe executum, quod etiam aequitas, & iura hereditatis, & belli poſtulabant; Romanosque Pontifices ita exercere commiſſam ſibi a Domino poteſtatem, ut illud, quod aequum eſt, exequantur. Praetermiſſa igitur graviſſima illa, difficillimaque quaeſtione, hoc unum aſſerimus in praeſentiarum, Epocham novi Imperii Occidentalis ſubduci a die 25. Decembris anni Aerae Vulgaris 800. vel potius a proximis Kalendis Ianuarii, atque praeſentem annum 1750. eſſe illius Epochae 950.

LIV. *Abſolvitur Diſſertatio quibusdam aliis Epochis praenotatis.*

LIV. His vero Diſſertationi de Connexione aliarum Epocharum cum Dionyſiana & Communi finem impoſiturus, nolo praetermittere Aeram omnem a ſingulari aliquo eventu ſubduci, ideoque tot Aeras poſſe excogitari, quot ſunt initia regnorum, electiones Principum, aedificationes Vrbium, & praeclara quaeque facinora. Ita ſi Epocham Auſtriacam, Caeſarum nempe Auguſtorum Auſtriacae Domus aetatem, ſupputare velimus a primo Imperii Auſtriaci glorioſiſſimo Conditore Rodulpho Magno, confugiendum nobis eſt ad annum Chriſti 1273. quo piiſſimus ille Princeps, dum Baſileam cingeret obſidione, communi Electorum ſuffragio Francofurti ſalutatus eſt Imperator, & pridie Kalendas Octobris eodem anno coronatus eſt Aquisgrani, pro

ſce-

ſceptro, quod forte ad manus non erat, arrepta Cruce. Eadem ratione ſi FRANCISCI, Romani Imperii Rectoris Pii, Felicis, Invicti in votis ſit Epocham adhibere; illam conſignabimus die Septembris decimaterția anni 1745. qua die inauguratus fuit Imperator Auguſtus: aut, ſi de Tuſciae Dynaſtia, & principatu loquamur, die Quinctilis menſis duodecima anni 1737. qua Magnus Dux Etruriae fuit acclamatus. Regni item Hungarici MARIAE TERESIAE uxoris eiusdem FRANCISCI Auguſtiſſimae, & Clementiſſimae, a die 25. Iunii anni 1741. Regnique eiusdem Bohemici a die 12. Maii anni 1743. tempora computabimus: annos demum Pontificatus Sanctiſſimi, & Sapientiſſimi Papae BENEDICTI XIV. a die electionis Ipſius decima ſeptima Auguſti an. 1740. Chronologicam hanc Diſſertationem abſolvebam Piſis vin. Idus Maias,

Anno 1750. Chriſtianae Aerae Vulgaris.
Anno 5754. Mundi iuxta Computum recentiorum Chronologorum.
Anno 5511. Ad Vulgarem Hebraeorum ſupputationem.
Anno 5507. Ex Seder Holam.
Anno 5529. Secundum Chronotaxim R. Levi.
Anno 5503. Iuxta Computum R. Ben-Levi.
Anno 5533. In Talmudiſtarum ſententia.
Anno 7707. Ex ſupputatione LXX. Interpretum, quam ſequitur Romanum Martyrologium.
Anno 6949. Iuxta Chronicum Euſebianum.
Anno 5699. Ex Scaligero.
Anno 5733. Iuxta Petavii computum.
Anno 7254. Periodi Alexandrinae a Mundi origine.
Anno 7260. Periodi Conſtantinopolitanae.
Anno 7244. Antiochenae Periodi.
Anno 4098. Poſt Diluvium iuxta Vſſerianam, vulgatamque Chronologiam.
Anno 3671. A Foedere inito cum Abrahamo.
Anno 3241. A Lege lata per Moyſen.
Anno 2755. Ab aedificato, perfectoque Hieroſolymitano Templo.
Anno 2286. A Cyro Perſarum Rege, ſive a Iudaeorum captivitate ſoluta.
Anno 2526. Ab inſtitutione Olympiadum.
Anno 2497. Aerae Nabonaſſari.
Anno 2403. Ab Vrbe condita.
Anno 2062. Epochae Seleucidarum.
Anno 1798. Aerae Antiochenorum.
Anno 1795. Iuliano, ideſt poſt Iulii Caeſaris correctionem.
Anno 1794. Primae Aerae Caeſaris Auguſti deductae ab avunculi caede.

An-

Anno 1793. Secundae Epochae Auguſtalis, quae ſupputatur a Triumviratu.
Anno 1781. Tertiae Epochae Auguſti, a Pugna Actiaca ſubductae.
Anno 1780. Quartae Epochae Auguſtalis, ſeu Alexandrinae.
Anno 1788. Aerae Hiſpanicae.
Anno 1755. A Domini Incarnatione.
Anno 1731. Poſt Chriſti Paſſionem.
Anno 1466. Aerae Diocletiani, vel Martyrum.
Anno 1163. Hegirae, ſcilicet, Epochae Saracenorum.
Anno 950. Aerae Caroli Magni, vel reſtituti Imperii Occidentalis.
Anno 6463. Periodi Iulianae.
Anno 23. Cycli Solaris
Anno 3. Cycli Lunaris.
Anno 13. Indictionis.
Anno 477. Epochae Imperii Auſtriaci.
Anno 5. Imperii FRANCISCI Primi.
Anno 9. Regni Hungarici MARIAE TERESIAE Imperatricis.
Anno 7. Regni eiusdem Imperatricis Bohemici.
Anno 10. Pontificatus BENEDICTI XIV.

DISSERTATIO VI.
ISAGOGICA.

DE IESV CHRISTO
VNIVERSI HVMANI GENERIS
REDEMPTORE.

I. *Quo tempore Dominus conceptus fuerit.*

I. FVIT in Catholica Eccleſia vetus ac perpetua Traditio, Salvatorem noſtrum CHRISTVM IESVM in utero intemeratae Virginis Mariae abſque virili ſemine, & Spiritus Sancti operante virtute fuiſſe conceptum die 25. Martii, qua idcirco Deiparae colimus Annuntiationem. De ea traditione inquit Auguſtinus lib. IV. de Trinit. cap. 5. *Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur.* Eamdem vero traditionem apud Graecos, Latinos, Syros, Aegyptios, Chaldaeosque vigere, commonſtrant quae ad diem viceſimamquintam Martii profert Bollandus, atque ad eamdem diem in notis ad Martyrologium Romanum Caeſar S. R. E. Card. Baronius. Cohaeret praedicto tempori Conceptionis Dominicae, quae ſubiicientur de menſe ac die Nativitatis, hypotheſi facta, Dei Filium materno in utero ſpatio novem menſium, ceterorum puerorum more, clauſum ſtetiſſe. Hanc ſane traditionem non evertit perantiqua Hiſpanicae & Mediolanenſis Eccleſiae inſtitutio, iuxta quam Chriſti Conceptio aut die 18. Decembris, aut Dominica, quae proxime eius Nativitatem praecedit, ſolemni celebritate recolitur: id enim fit, ne quadrageſimale ieiunium praedicta feſtivitate quodammodo impediatur, nobis tamen feſtum diem ſimul agentibus, ac ieiunantibus. De anno peractae Incarnationis non loquimur, propterea quod ex iis, quae modo ſubiiciam, dignoſci poterit.

II. *Annus Dominicae Nativitatis.*

II. Cum variae, ac propemodum innumerae ſint de anno Chriſti natali ſententiae, nos illam amplectimur, quae tradit, prodiiſſe in lucem anno V. C. 749. Iuliano 41. Caeſaris Auguſti 40. *Conſulibus Auguſto XII. & L. Cornelio Sulla*, ideſt, anno quinto ante Aeram Dionyſianam. Enimvero aetas Chriſti triginta annorum quando ad baptiſ-

mum

mum acceſſit, ac triginta trium, quando ſuffixus eſt cruci, cum praedicto Nativitatis anno optime congruit; eratque tunc temporis totus Orbis in pace compoſitus, fluebatque annus triceſimus ſextus Herodis Aſcalonitae, quo regnante natum Dominum teſtatur Evangeliſta. Vnum tamen adverſus hanc ſententiam urgeri ſolet graviſſimum ac difficillimum, quod nempe anno V. C. 749. praeerat Syriae Quintilius Varus, cum anno ſuperiori illius provinciae praefecturam abſolviſſet Sentius Saturninus, quo praeſide cenſum iuſſu Auguſti per univerſum orbem fuiſſe peractum ſcribit lib. iv. adverſus Marcionem cap. 7. & 19. Tertullianus. Verum Tertullianus praecitato cap. 7. ubi ſermonem inſtituit de cenſu acto per totum orbem Auguſto imperante, nequaquam meminit Saturnini: a quo poſtmodum cap. 19. peractos cenſus commemorans, non de illo univerſali, ſed de aliis per Syriam Chriſto iam adulto perfectis, intelligendus eſſe videtur. Enimvero peragendo cenſui, quo naſcente Domino orbis deſcriptus eſt univerſus, praefuiſſe Cyrinum hac de cauſa extraordinaria legatione miſſum in Syriam, non autem aut Quintilium Varum, aut Saturninum, Evangelica Hiſtoria commonſtrat. Etſi autem Nativitas Chriſti praedicto anno V. C. 749. figenda ſit; Aera tamen Chriſtiana, qua utimur, & quae Dionyſiana appellatur, poſt quinquennium eſt figenda, eiusque initium anno V. C. 754. eſt adligandum. Quamobrem ſi velimus modo dignoſcere, cui anno V. C. coniungendus ſit annus praeſens, erunt ipſi percurrenti anno adiiciendi 753. quibus Epocha Vrbis Romae praecedit Dionyſianam. Pari ratione de Epochis aliis ratiocinemur oportet. Sit in exemplo: aiunt fere omnes aevi huius Chronologi, in fine quarti milleſimi a creatione Mundi natum fuiſſe in carne Dei Verbum, ideoque iuxta hanc opinionem quatuor annorum millia, quae fluxerunt ante Domini adventum, & alios quinque annos ad initium uſque Aerae communis exactos addere neceſſum eſt, ut ſciamus in quem annum ab origine Mundi annus, qui modo labitur, ſit referendus. Iuxta vulgarem autem computum Hebraeorum Aera Dionyſiana concurret cum anno Mundi 3762. qua ſumma huic anno adiecta, reſultat annus Mundi iuxta communiorem ſupputationem Hebraicam. Poſtremo ſi dato anno ex. gr. 1749. addantur anni 4713. habebitur annus Periodi Iulianae: ſi addantur anni 776. annus Iphiti, ſive Olympiacus: ſi addantur anni 38. annus Aerae Hiſpanicae. Verum, quia de iis alibi diſſeruimus, ad Chriſti Nativitatem revocanda eſt Diſſertatio.

III. *Cur Chriſtus natus in Bethlehem.*

III. Cum itaque plenitudo temporis adveniſſet, fluente iuxta computum noſtrum hebdomada Danielis ſexageſima ſeptima, tenente Iudaicum ſceptrum Herode alienigena atque proſelyto, atque ab eodem rege viris de Tribu Iuda in Synhedrium cooptatis paullo ante interemptis, Vnigenitus Dei Filius natus eſt in Beihlehem civitate David. Praenuntiatum id fuerat a Michaea Cap. v. eiusque ſingulare

oraculum ad Chriſtum pertinere demonſtrat cum peculiaris ille character, *Et egreſſio eius ab initio a diebus aeternitatis*, tum omnes Sacerdotes, ac Scribae, qui Matth. 2. ſciſcitanti Herodi, ubi Chriſtus naſceretur, reſponderunt: *In Bethlelem Iudae, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam*. Exciſa nunc eſt ea civitas Salvatoris noſtri nativitate percelebris, Epiſcopatu, quem ibi erexerat Paſchalis XI. Calmetium Antiſiodorenſis Dioeceſis oppidum translato: ut hinc quoque percipiamus fruſtra pervicaces recutitos naſcituri in Bethlehem Dominatoris adventum praeſtolari.

IV. *De Chriſti Circumciſione.*

IV. In Bethlemitico ſpecu fuiſſe puerulum Ieſum circumciſum a Virgine tradiderunt S. Epiphanius Hom. 20. idemque colligitur ex Iuſtini Martyris Dialogo cum Tryphone. Circumciſum a S. Ioſeph inquit in Oratione de Transfiguratione Domini S. Ephrem Syrus: In templo a Principe Sacerdotum complures. Velle quaeſtionem hanc definire, divinare eſt. Vt enim Circumciſionis exſtabat praeceptum, ita nil de miniſtris definitum erat. Legimus Abrahamum ſeipſum, filiosque hoc ritu in ſignum foederis inſtituto initiaſſe, Sephoram Moſis uxorem filium a ſe procreatum: obiiſſe id muneris Patresfamilias, opinio eſt communior. Nihilo tamen minus fuiſſe deputatos quosdam, ac probabiliter ex Tribu Levitica, qui ad circumcidendos puerulos octava die in parentum domum ſe conferebant, plurimorum ſententia eſt, cui non repugnant, ſed congruere videntur verba Evangelii Lucae 1. *Et factum eſt, in die octavo venerunt circumcidere puerum*.

V. *Nomen Ieſu.*

V. Circumciſo Infanti impoſitum nomen *Ieſu*. Derivatum idem nomen a *Iaſcian*, ſalvum facere. Errant idcirco, qui repetunt illud a יהוה ut Chriſto ea coniectura, cum tamen ad id demonſtrandum robuſtiora momenta ſuppetant, iure adtribui evincant Tetragrammaton illud *Dei Nomen*. Verum ineffabile erat יהוה ac etiam pronuntiationis ambiguae. Profecto neque a *Iehova*, neque a *Iaho* Salvatoris noſtri repetenda eſt appellatio; quam eſſe a ישוע praemonſtravit Angelus hanc eiusdem appellationis rationem proferens, *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Idem eruitur ex titulo Crucis in Romana S. Crucis in Ieruſalem Baſilica etiamnum aſſervato.

VI. *Quid de Praeputio Domini ſentiendum?*

VI. Quaerunt nonnulli quid de Salvatoris praeputio evenerit? Ac ſunt qui putant a Chriſto in reſurrectione reaſſumptum, quod ſpectare videatur ad humani corporis integritatem. At iuxta S. Thomam in III. contra Gentes cap. 81. ad corporis unitatem neceſſarium non eſt, ut omnes partes eisdem omnino materiei particulis conſtent, & ſat eſt ſi eaedem perſiſtant partes, illae praecipuae, quas philoſophi appellant organicas. Videſis Sylvium in P. III. q. 54. art. 3. Sunt qui aiunt ad corporis integritatem poſterorum Abrahae, cuius ſemini repromiſſus fuit humani generis Reparator, ἀκροβυστίαν non pertinuiſſe, quemadmodum detracta Adae

coſta

coſta non ſpectat poſt mulieris productionem ad maris integritatem. Vt ut ſit, relictam parvam illam particulam in terris ad veneratio-nem fidelium, pie creditur: atque per Angelum delatam Carolo Ma-gno, & Aquisgrani aliquandiu aſſervatam, deinde vero opera Caroli cognomento *Calvi* translatam fuiſſe Romam, repoſitamque in Latera-nenſi Baſilica ſcribit lib. IV. de Miſt. Miſſae cap. 4. Innoc. III. Alii tamen Ariciae in Arvernia, alii Antuerpiae abſciſſam illam e ſacroſan-cto Ieſu corpore pelliculam cuſtodiri exiſtimant. Quomodo ad pagum Agri Romani *Calcatam* nomine praeputium illud fuerit adſportatum, atque anno Chriſti 1557. adinventum, narrat ad Annum Mundi 4053. Salianus.

VII. Venerunt ad Bethlehemiticum antrum, vel ad proximam domum, ut natum Chriſtum adorarent Magi nova ſplendidiſſimaque Stella perducti. Subiraſcitur Baronio Samuel Baſnagius ad Ann. v. ante Aer. Chr. quod ille ſcripſerit an. 1. num. 34. Magos Bethlehem adveniен-tes, in loco, ubi natus fuerat, ideſt in praeſepe Dominum reperiſſe. Negat enim Baſnage antrum, ſtabulamque pecudum in Scripturis *do-mum* vocari, quo nomine tamen deſignat Evangeliſta locum ubi Magi puerulum invenere, ſcribens: *Et intrantes domum invenerunt puе-rum, &c.* At praemonſtraverat Baronius commemorari etiam in Sa-cris Litteris *domum herodii*, ideoque attributum hoc nomen nido etiam ardeolae, milvi, & accipitris, quas aves Hebraico vocabulo *herodios* dicunt. Multo magis praeſepi congruit a Matthaeo uſurpa-ta vox *Beth*, aeque amplas, & exiguas aedes ſignificans: imo & La-tini ampliori ſignificatione *domum* accipiunt, *domumque avium* ap-pellat alveare 1. Georg. Virgilius, *domum pecorum* ſtabulum in 1. Thebaidos Statius. Etymon quoque domus, cum ſit a δέμω, *exſtruo*, Baſnagium revincit. Profecto traditionem quorumdam Patrum Baronius ſecutus eſt, ac perlegerat Iuſtinum in Dialogo cum Trypho-ne, Gregorium Nyſſenum in Orat. de Epiphania, Chryſoſtomum Hom. 6. in Matthaeum, Hieronymum in Epiſtola ad Marcellam, at-que ut alios praetermittam, Petrum Gryſologum Serm. 157. Oppo-nit Baſnagius Euſebium, qui in Chronico refert Magorum adventum & Bethlehemiticum infanticidium in annum Domini tertium, necnon Auguſtinum Serm. 7. de Epiphania, ubi ait, Stellam ante biennium Magis apparuiſſe. Verum ineptiae, gerraeque ſiculae hae ſunt: de loco enim agimus modo, non de tempore. Adde praecitatum Ser-monem 7. eſſe Auguſtino ſuppoſitum, ac praeterea accipiendum eſſe de biennio ante Domini Nativitatem elapſo. Sane Auguſtini in Pſalmum 44. num. 3. haec ſunt verba: *Magos Stella direxit: adoratus eſt in Praeſepe.*

VII. *Magi ad Praeſepe ve-nerunt.*

VIII. At enim quando Stella Magis apparuit? dixi iuxta auto-rem Sermonis Auguſtino ſuppoſiti, aliorumque complurium, eam-dem Stellam ante biennium apparuiſſe. Videtur ad eamdem ſen-ten-

VIII. *Quando Ma-gis ſtella ap-paruerit.*

tentiam accedere S. Ioannes Chryſoſtomus Hom. 7. in Matthaeum, nec refragantur ex recentioribus Kepplerus, ac Petavius. Nititur haec opinio rationi illinc depromptae, quod Herodes iuſſerit infantes occidi *a bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis*, ut cap. 2. inquit Evangeliſta. Sed veriſimilius eſt tum primum emiſiſſe radios, quando natus eſt Chriſtus. Enimvero Magi eamdem ſtellam nati Regis ſignum appellarunt, dicentes, *Vidimus Stellam eius;* ac ſi biennio antea praefulſiſſet, naſcituri, non autem nati Regis fuiſſet indicium. Hinc S. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, *Stella*, inquit, *ſimul atque natus eſt Chriſtus exorta eſt;* ac S. Hieronymus in cap. 2. Mat. *Ad confuſionem Iudaeorum, ut Nativitatem Chriſti a gentibus diſcerent, oritur in Oriente ſtella, quam futuram Balaam, cuius ſucceſſores erant, vaticinio noverant.* His non repugnant, ut dicam infra, quae praemiſſa ſunt de Herode in omnes bimulos deſaeviente.

IX. *Quaenam fuerit ea Stella?*

IX. Eamdem ſtellam, de qua agimus, non fuiſſe unam ex numero coeleſtium ſiderum, ſed tunc a Deo productam cenſent cum S. Thoma 3. p. q. 37. art. 7. S. Thiae praeceptores, divinarumque Scripturarum interpretes. Id & nos ſentimus ea permoti ratione, quam tradit Hom. de Ch. Nativ. S. Gregorius Nyſſenus, quia nempe *haec Stella praeter aliarum ſtellarum naturam motus & quietis erat particeps, & ad utilitatem hac utebatur vitiſſitudine.* Addo non potuiſſe ducem fieri ambulantibus ex Oriente Ieruſalem, atque hinc Bethlehem verſus, ſi in firmamento Coeli manſiſſet, ut inquit Auctor de Mirabil. Sacr. Script. inter Opera Auguſtini. Quod veterum quidam dixere fuiſſe Angelum circumdatum fulgidiſſimo corpore, id, quod minime improbatur Chryſoſtomo, Euthymio, Theophylacto, ac Caeſario, etſi paſſim reiiciatur, duplici de cauſa veriſſimum puto, & quia Dei nuncia erat, & quia dirigente coeleſti ſpiritu movebatur. Solet autem riſu excipi quod legitur apud Auct. Operis imperfecti in Matth. inter Opera Chryſoſtomi, exhibitam fuiſſe eadem ſtella ſpeciem quamdam fulgentis pueri crucem geſtantis. At ſi verum foret, ut opinantur nonnulli apud eruditum Calmet in Diſſert. de Magis, *ſtellam illam fuiſſe lucidiſſimum Sidus ſub humana ſpecie Dei effigiem in ſe oſtendens*, ut inquit Plinius lib. II. Hiſt. Nat. cap. 25. quod Romani putarunt eſſe Iulii Caeſaris animam aſſumptam in Deorum conſortium, non videretur recenſita opinio prorſus abſurda. Duo tamen me ab hac opinione divellunt, unum, quod a nece Iulii Caeſaris usque ad Chriſti Nativitatem quadraginta anni fluxerunt; alterum, quod nedum Romanis, ſed nec Iudaeis inſolitum illud Sidus praefulſerat. Mirum propterea nonnullis videbitur, quod Epiſt. ad Epheſios ſcribit Ignatius Martyr, eiusdem aſtri lumen fuiſſe ineffabile, ac ſuperaſſe ceterorum omnium aſtrorum ſplendorem.

Idem

Idem tamen affirmat Eccleſia ex Aurelii Prudentii hymno ultimo Cathemerinon :

Haec Stella , quae Solis rotam
Vincit decore , ac lumine &c.

Haec credibilia non eſſe , ſed magno Ignatio prorſus indigna effutiit Tom. I. pag. 131. Baſnagius. Temere , audacter ! Niſi corporeae lucis effuſione , ſaltim ſpiritali , utpote quae rem omnium praeſtantiſſimam deſignabat , huic ſtellae congruunt quae de illa teſtantur Ignatius , Prudentius , Eccleſia . Quod tamen ait praecitatus Baſnagius , Magorum ſtellam fuiſſe flammulam divinitus accenſam in ultima , aut media aeris noſtri regione , aſſertores quoque habet Spanhemium , Clericum , atque ex Orthodoxis Auguſtinum Brugenſem , & Calmet . Neſcio quibus munimentis opinationem hanc aut comprobare , aut refellere valeamus .

X. Agendum modo de Magis . Sunt qui horum nomen deteriori accipiunt ſenſu , adeo ut fuerint praeſtigiatores , genethliaci , ſortilegi . Fallitur Exercit. xxxiv. illuſtris Serrius affirmans conſentire univerſos non huius generis fuiſſe Chriſti adoratores . Videntur enim oppoſitum ſentire Iuſtinus Martyr adveſus Tryphonem , Tertullianus de Idololatria cap. 9. & lib. 1. contra Celſum Origenes . Nec abſurda eſt haec opinio , maxime ſi dicamus viros illos percipientes quomodo diabolus illudat maleficis , eiusque vires debiles , & fractas expertos , ad Deum , cuius Nativitatem ſtella monſtrabat , quaerendum , coleudumque animum convertiſſe . Id enim erat , priusquam vocaret puer matrem ac patrem adverſario ſpolia ſubripere ; quod cap. 7. de Emmanuele praenuntiaverat Iſaias . Cenſent tamen alii bene multi , Magorum nomen in Evangelio honeſtius eſſe , ſiderumque inſpectores ſignificare . Ita Hieronymus in Danielis 2. *Videntur mihi* (inquit) *incantatores , qui verbis rem peragunt ; Magi , qui de ſignis philoſophantur* . Noto *Magum* dici apud Perſas divinorum interpretem , & recondita ſpeculantem : Graeci derivatum putant a *μαγεύειν* , *magicam artem exercere ;* at Hebraeis *Maghim* eſt ab מגה , *meditari* . Ita in Actibus Apoſtolicis Graece conſcriptis hoc vocabulum Elymae , ac Simoni Samaritae adtributum , rem turpem ſonat : apud Matthaeum vero Hebraico idiomate loquentem , idem valet ac meditabundus & ſpeculator .

X. *Magi quinam fuerint ?*

XI. Paullo difficilior eſt quaeſtio , num iidem Magi reges fuerint . Negant non tantum Traditionum noſtrarum irriſores Heterodoxi , Caſaubonus , Stolbergius , Schmidius , verum etiam Hiacynthus Serrius , & Baptiſta Mantuanus , idque incertum ſaltem , atque inexploratum cenſent Calmet , Tillemontius , & alii . Huiusce ſententiae momenta ita Mantuanus expreſſit :

XI. *Fuerint ne Reges ?*

Nec

Nec reges, ut opinor, erant, nec enim tacuissent
Historiae Sacrae auctores genus istud honoris,
Inter mortales, quo non sublimius ullum.
Adde, quod Herodes ut magnificentia regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium, secumque lares duxisset in amplos.

Attamen vulgaris opinio e gurgustio non prodiit, sed fulcitur veterum auctoritate. Ac I. Magis Ecclesia accommodat verba Psalmi 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent.* II. In reges illud apte quadrat, *Aperiis thesauris suis.* III. Innocentius Tertius Serm 1. de Epiphania, *Secundum historiam*, inquit, *isti Magi tres Reges fuere.* Neque nimium urgent quae opponuntur. Etenim Evangelista tacuit regium titulum, quod ad veritatem occultam demonstrandam regia appellatio otiosa erat, Magorum vox opportuna & praeclara, inquit Canus lib. XI. de Locis Th. cap. 5. Recepti autem non fuerunt Magi regia domo, quod humilis fuerit Christi adoratorum incessus; atque secum tanquam cum privatis Herodes se gessit, suadente ipsius timore, & ambitione impellente. Mantuano itaque opponendus est Claudianus, aut quisquis est auctor percelebris distichi:

Dant tibi Caldaei praenuntia munera Reges:
Mirrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.

Ceterum fuerint Magi reges, vel non, parum interest.

XII. *Magorum nomina quae?*

XII. Levioris momenti est quaestio de Magorum nominibus. Inaudita haec fuere usque ad finem seculi duodecimi, inquit SS. Mait Tom. I. pag. 7. Bollandus. *In Collectaneis*, Opusculo Ven. Bedae supposito, appellatur unus *Melchior*, alter *Gaspar*, tertius *Balthasar*. Exstant eadem nomina, paullulum immutata in Excerptis Scaligerianis, necnon in decantato versiculo:

Gaspar fert myrrham, thus Melchor, Balthasar aurum.

eademque nomina profert popularis traditio Colonienſium, apud quos sanctorum Magorum corpora dicuntur quiescere. Aliis appellatos legimus *Apellium*, *Amerium*, *Damascum*; aliis *Atorem*, *Satorem*, *Paratoram*; aliis demum *Magalath*, *Galgalath*, *Saracin*: quae Exercitat. II. in Baronium §. 10. Casaubonus excogitata opinatur ad praestigia exercenda. Id sentire de postremis nominibus non vetat sonus asperrimus, atque etymon ignotissimum, praesertim si verum sit, quod Exercit. XXXIV. ait Serrius, a recentioribus Graeculis ea nomina inscribi situlae novae, ut inde a venenatorum morsibus habeant antidotum. Apage aniles nugas.

XIII. *Magorum regio.*

XIII. Quaeret modo aliquis, undenam Magi venerint? A Magodia regione, ait Epiphanius apud Baronium Anno 1. num. 30. sed haec

haec regio ignota eſt vetuſtis, recentibusque Geographis. Puto Epiphanium ab incolis ita regionem denominaſſe. E Perſide illos veniſſe putat 3. p. q. 36. art. 7. S. Thomas, quod & tradiderant in I. Strommateon S. Clem. Alexandrinus, atque in Homilia de Chriſti Nativitate Baſilius Magnus: ex Arabia demum permulti eos exceſſere, quibus ſubſcribimus. Neque enim contemnenda eſt Iuſtini, Tertulliani, aliorumque veterum id aſſerentium opinio, firmata quoque obvia & percommoda interpretatione verborum Pſalmi 71. quae produximus Num. II. Deinde in Arabia Ptolemaeus ponit *Magorum ſinum* lib. VI. cap. 7. tabula 6. Aſiae. Eamdem Arabiam reſpectu Iudaeae Orientalem eſſe ſcribit Tacitus lib. V. Hiſtoriarum: *Terra, finesque, quae ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.* Ibi demum munera, quae Magi detulerunt, reperiuntur eximia, atque in more poſitum eſt dona ferenti quae in ſuis regionibus habentur praeſtantiora, Magnatibus & Principibus exhibere. Legendus Grotius in cap. 2. Matthaei.

XIV. Magorum adorationem Sociniani, qui Chriſti negant divinitatem, civilem, non Latriae cultum fuiſſe praefracte contendunt. Refutavi hunc errorem lib. XXIX. Theol. Diſcipl. cap. 4. num. 3. momentis compluribus. Praecipuum autem petitur ex communi Sanctorum Patrum Traditione. Enimvero Magos nato Domino Latriae cultum exhibuiſſe affirmat S. Irenaeus lib. III. cap. 10. Origenes lib. I. contra Celſum, Nazianzenus Orat. 38. Ambroſius lib. II. in Lucam num. 48. Hieronymus in cap. 2. Matthaei. Auguſtinus Serm. 30. de Tempore. Adde ceteros omnes. Accedunt ad PP. univerſi Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 37. art. 8. Huc ſpectant & Sedulii verſus lib. II. Operis Paſchalis num. 97.

XIV. *Qualis Magorum adoratio?*

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulto.

De Purificatione Virginis, de Simeone iuſto, de Anna prophetiſſa; necnon de reliquis, quae in Diſſertatione hac Iſagogica videntur deſiderari, fuſiori ſtylo pertractavimus noſtris in Hiſtoriam Evangelicam Praelectionibus.

XV. Illuſus Herodes a Magis, qui monente Angelo per aliam viam redierunt ad patriam, iuſſit omnes pueros occidi *a bimatu & infra* tam in Bethlehem, quam in finibus eiusdem urbis. Quandonam contigit caedes iſta teterrima? Propter Evangelii verba, *ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis*, huiusque internecionis ad omnes bimulos extenſionem, quidam putant ſtellam ante biennium apparuiſſe, quidam alii cenſent poſt biennium occiſos infantes, quum interim Herodes coactus eſset Romam adire. At prior ſententia refutata eſt ſupra: altera etiam falsa eſt; ac revincitur primum, quia Herodes nec biennio poſt Chriſtum natum vitam protraxit, cum obierit circa ſolemnitatem Azymorum anno V. C. 751. deinde quia poſt annum

XV. *De puerorum nece iubente Herode patrata.*

V. C. 746. Herodes Romam non venit, ut Differt. II. de Cenotaphiis Pisanis demonstrat Cardin. Norisius; praeterea, quoniam verba Evangelii, *tunc Herodes &c.* innuunt tempus, quod proxime subsecutum est Magorum adventum. Quare ea verba, *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, ita sunt accipienda, ut Herodes saevierit in omnes pueros eodem, qui labebatur, ac praeterito anno natos usque ad tempus, quo cum Magis colloquium habuit. Comprehendit vero etiam grandiusculos pueros *pro abundantia cautionis*, ne quis mortem evaderet, ut Hom. VII. in Matthaeum inquit eloquentissimus Ioannes Chrysostomus.

XVI. *De puerorum istorum numero.*

XVI. Quot vero putas fuisse mactatos ab Herode pueruloS? Tillemontius Not. 13. in Iesu Ch. ait Graecos in Menologio, Aegyptiosque in Liturgia asserere trucidatos fuisse numero 14000. At negant permulti tantam puerorum multitudinem in urbe, ac finibus Bethlehemi extitisse, accensetque Ioannes Bollandus tom. 1. Maii pag. 57. prodigiosum illum numerum fabulis, mendaciisque Graecorum. Bollando subscribunt Serrius Exercit. 39. & Sandinus de Sacra Familia cap. 5. Inter hos pueros Macrobius lib. II. cap. 4. enumerat Herodis filium: sed fallitur. Nam Herodes tres filios occidi iussit, Alexandrum, & Aristobulum, quos ei pepererat Marianne Asmonaea, & Antipatrum genitum e Dorite plebeia, quos omnes adultos necavit: priores quidem duos Sebaste anno 40. Iuliano, 6. ante Aeram Christianam, postremum quinto die, antequam idem Herodes occumberet. Illorum necem narrat Iosephus lib. XVI. cap. 17. posterioris autem lib. XVII. cap. 10. Sane Macrobius in errorem inductus est, quod cum infanticidium Bethlehemiticum, & Antipatri occisionem intellexisset, putavit hos omnes fuisse morti traditos. Verum quis credat inter pueros necatos ne sibi regiam dignitatem eorum quispiam subriperet, aliquem natorum suorum ab Herode fuisse inclusum, praesertim cum vir fere septuagenarius nullum haberet tenellum, qui enutriretur in Bethlehem? Si tamen ita Macrobium accipiamus, ut eo tempore, quo necati sunt bimuli, aut paullo post horum necem, Herodes filium quoque Antipatrum, non quidem infantem, sed adultum occidi iusserit, idque ob aliam omnino causam; poterit fides eidem Macrobio adhiberi. Hoc sensu Macrobii locum interpretatus est P. II. Demonstr. Evang. prop. 9. cap. 15. Daniel Huetius.

XVII. *Num inter hos pueruloS. Ioannes Baptista ab Herode ad necem quaesitus?*

XVII. Inverisimile non est, Ioannem quoque Baptistam natum sex ante Christum mensibus ab Herode fuisse quaesitum ad necem, & Zachariae patris sui diligentia ferro subductum. Basnagius ad Annum V. ante Christum num. 64. scribit, traditionem hanc falsam esse, cum Ioannes non in Bethlehem, sed in Hebron paterna in domo fuerit educatus. Verum praemissa opinio, quamvis non prorsus certa, nequit aperte refelli. Illam quippe tradidit S. Petrus Alexandrinus in Canonibus num. 13. eamque acceperat a maioribus. Hos canones recepit

pit, probavitque Synodus ſexta Oecumenica. Nicephorus quoque Callixtus lib. 1. H. E. cap. 8. idem tanquam rem certiſsimam litteris prodidit. Obiicientibus vero in urbe Hebron Ioannem fuiſſe enutritum, facile reponi poteſt, ob celebrem huius pueri Nativitatem, non uno mirabili eventu finitimis populis notiſsimam, in ipſum crudeliſsimi regis immanitatem peculiariter fuiſſe commotam. Verum quod eo loci narrat Alexandrinus Antiſtes, Herodem, quum non inveniſſet Ioannem, mandaſſe ut pater eius Zacharias inter templum & altare interficeretur, a pſeudoevangeliis, apocryphisque ſcriptis duxiſſe originem ſcribit in cap. 23. Matthaei egregius Eccleſiae Doctor S. Hieronymus.

XVIII. Quaeret fortaſſe aliquis, quia fuit igitur Zacharias ille, quem occiſum inter templum & altare ſcribit eo loci S. Mathaeus Evangeliſta? Caeſar Cardinalis Baronius ad Annum 1. contendit revera Zachariam illum fuiſſe praedictum Praecurſoris parentem, ac nititur primum citatis Canonibus, ſive Eccleſiaſticis Regulis S. Petri Alexandrini, deinde teſtimonio Cyrilli item Alexandrini adverſus Anthropomorphitas, Origenis, Baſilii, aliorumque; rurſus Hiſtoria Nicephori, qui lib. II. cap. 3. ait ex Hippolyto Martyre auctore graviſsimo, Zachariae Ioannis Baptiſtae parenti genitorem fuiſſe Barachiam, quem & Evangeliſta commemorat. At Hieronymus, ut dixi, exiſtimans opinionem illam ex pſeudohiſtoriis derivatam, cenſet Evangeliſtam loqui de Zacharia filio Ioiadae, quem Ioas occidit, ut legitur II. Paralip. cap. 24. Quod Hieronymus probat I. quia Zacharias iſte occiſus eſt in atrio domus Domini, & lapidibus obrutus, ideoque locus occiſionis conſentit. II. Quia in Evangelio, quo utuntur Nazarei, pro Barachia *Ioiada* legitur. III. Quia Barachiae & Ioiadae nomina quoad ſignificationem etymologicam parum differunt. Si ea eſſet noſtram opinionem his duabus praeferre, dicendum eſſe putarem, Zachariam, de quo Mathaeus, non fuiſſe patrem Ioannis, quia, ut inquit Hieronymus, id ex pſeudoſcriptis exordium habuit; nec fuiſſe Zachariam filium Ioiadae, quoniam Barachias & Ioiada diverſa ſunt nomina, neque idem omnino ſignificant, ſed primum *Benedictum Domini*, alterum *Iuſtitiam*, interprete eodem Hieronymo; & inſuper quia Dominus apud Matthaeum obiiciens Iudaeis ſanguinem effuſum ab Abele uſque ad Zachariam, videtur commemorare iuſtum occiſum paullo antea, non filium Ioiadae ante nongentos annos plus, minus, trucidatum. Quisnam fuit igitur Zacharias ille? Haud inveriſimile arbitror fuiſſe Zachariam filium Baruch, quem Ioſephus lib. v. de Bello cap. 1. appellat hominem iniquiſſimis infenſiſſimum, traditque inſontem ab audaciſſimis fuiſſe interfectum in medio templo, ac ſtatim in ſubiectam vallem proiectum. Congruit huic ſententiae nomen Zachariae, congruit nomen patris, congruit locus occiſionis, congruit etiam obiurgatio Chriſti commemorantis effuſum iuſtorum ſanguinem ab Abele uſque ad Hieroſolymitanum excidium. Verum quia Zacharias iſte, dum Chriſtus

XVIII. *Quisnam fuerit Zacharias, de quo Matthaeus cap. 23.*

Iudaeos increpabat, nondum erat occisus, asserendum est ita Zachariam olim occisum commemorasse, ut cum veteri historia praenuntiationem futuri connecteret. Sed revertamur ad pueros iubente Herode interfectos.

XIX. *Sint ne Innocentes colenai Martyres?*

XIX. Hos in Sanctorum Martyrum numero veneratur Ecclesia. At Basnagius ad An. v. ante Dominum ait, se illis Coeli gloriam non abnuere, sed negat Martyres esse appellandos, quum ad martyrium requiratur voluntatis assensus, cuius infantes bimuli sunt expertes. Ludicra est haec opinio Basnagii. Etenim eo ipso non diffitente *ut Martyres* hos pueros celebrant Ecclesiae Patres, Irenaeus lib. III. cap. 18. Cyprianus epist. 56. Petrus Grysologus Serm. 152. & 153. Adde Hilarium in cap. 2. Matthaei, Ambrosium lib. 1. de officiis cap. 42. & in epistola 44. ad Horantianum, Augustinum lib. III. de libero arbitrio cap. 23. in Ps. 147. serm. 199. aliisque in locis. Adde etiam, ex antiqua consuetudine Ecclesiam eosdem puerulos tanquam Martyres colere, ut demonstrat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum v. Kal. Ianuarias. Itaque argumento, quod Basnagius opponit, respondemus actum voluntatis requiri in adultis, non in parvulis, qui ut lavacro baptismatis, ita proprio sanguine ante rationis usum ablui possunt, atque regenerari. At Basnagius regerit, Vincentium Bellovacensem in Speculo lib. VI. cap. 83. asserere Innocentes dici Martyres *laxato vocabulo*. Ita quidem; nam Innocentes, ut ait Ecclesia, Christum *non loquendo, sed moriendo* confessi sunt. Reponit pervicax heterodoxus, falli Baronium dum ad An. 1. num 151. ait, Ecclesiam hos pueros semper ut Martyres coluisse, quoniam Ecclesia Sacris quidem Fastis horum puerorum memoriam inseruit, sed hanc priscis saeculis anniversario cultu non celebrabat: verum refutatur Basnagius testimonio hoc apertissimo S. P. Aug. cit. lib. III. de lib. arbitrio cap. 23. *Infantes illos, qui cum Dominus Iesus Christus necandus ab Herode quaereretur occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*. Refutatur ex quo SS. Innocentium Reliquiae diligentissime asservatae fuerint usque ad tempora Iustini II. qui in religiosum illarum cultum Constantinopoli splendidissimum Templum erexit, ut Adnot. 13. in Ies. Ch. ait Tillemontius. Refutatur denique suamet confessione, quum tom. 1. pag. 138. scribit in vetustissimo Kalendario Ecclesiae Carthaginiensis legi, *V. Kal. Ianuarii Sanctorum Infantum, quos Herodes occidit*.

XX. *De Christi fuga in Aegyptum.*

XX. In tanta puerorum caede Christus Herodis persecutionem evasit, in Aegyptum a S. Ioseph, cui futuram necem Angelus praenuntiaverat, una cum intemerata Virgine asportatus ex urbe Nazareth; huc enim praesentato puerulo in templo iuxta Mosaicae legis praescripta, se cum beatissima Coniuge, divinaque Prole receperat. Nam Lucas cap. 2. ceremonia illa enarrata, inquit: *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth*. Fugam in Aegyptum praenuntiaverat Oseas

cap.

cap. 11. his verbis: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, ut 2. cap. teſtatur Evangeliſta Matthaeus. In quem Aegypti locum Ioſephus diſceſſerit, prorſus incertum. Profectum Hermopolim ſcribit Sozomenus lib. v. Hiſt. Eccl. cap. 21. Conſentit in Hiſtoria Lauſiaca Palladius cap. 52. Habitaſſe inter Heliopolim & Babyloniam, in oppido, quod incolae appellant *Mataream*, ubi exſtare dicitur hortus balſami, ibique fons irriguus, cui & Saraceni venerationem exhibent, ſcribit Io. Bruno in notis ad Geographiam Cluverii lib. vi. cap. 2. Maginus in Commentariis ad Ptolomaeum praeferendum cenſet locum, qui appellatur *Rameſſes*. Sandinus cap. 4. probabilius cenſet cum Maria, huiusque beatiſſima ſobole migraſſe Alexandriam, quoniam ibi facilius latere poterat propter magnitudinem urbis, & propter florentiſſimam Synagogam exercere officia pietatis, ibi quoque liberalitate divitum auxilium familiae ſuae comparare. Ex Baſnagio An. v. ante Dominum num. 71. Sandinus has coniecturas exſcripſit, frivolas, ut opinor, aut certe non admodum ponderoſas. Si coniecturis enim ſit indulgendum, in Rameſſe profugos egiſſe moras aſſererem: *Arſenoitem* quidam vocant. Hanc enim urbem extruxerant filii Iſrael in terra Geſsen, ibique habitavit familia Iacob, ut apparet ex cap. 27. Geneſeos; inde etiam Hebraei duce Moſe fugerunt, ut liquet ex cap. 12. Exodi. Porro verba Oſeae, *Ex Aegypto vocavi filium meum*, dicuntur a Propheta de populo Iſrael, & ab Evangeliſta referuntur ad Chriſtum. Videſis in caput 11. Oſeae beatum Hieronymum.

XXI. Fertur in Aegypto Chriſtum miracula quaedam patraſſe: quorum unum eſt, eo adveniente idolorum ſimulacra corruiſſe; alterum, arborem quamdam, *Perſeam* nomine, ingredienti Domino Hermopolim ſe ad ſolum uſque inflexiſſe, quaſi Deum verum adoraturam. His fidem omnem non tantum moroſi critici derogant, ſed irridentquoque Baronium haec ad An. 1. num. 44. enarrantem. Ducuntur Critici hiſce momentis. Primo ex Ioannis cap. 2. conſtat primum ſignum patratum a Domino fuiſſe in Cana Galilaeae, ubi aquam vertit in vinum; quo miraculo deſcripto inquit Ioannes: *hoc initium ſignorum fecit Ieſus*. Deinde S. Epiphanius Hom. li. num. 20. ait: *Nullum ante illud tempus* (nuptiarum ſcilicet) *prodigium Dominus edidit*: ac ſimilia Chryſoſtomus Hom. xvi. & xxii. in Ioannem. Praeterea huiusmodi prodigia in vulgus ſparſa fuerunt ab Auctore apocryphi Opuſculi *de Infantia Salvatoris*, a Gelaſio in cap. *Sancta Romana* inter apocrypha ſcripta reiecti. Verum his non obſtantibus, primum ſaltem miraculum fulcimenta habet ſua. Initio praenuntiatum videtur hoc vaticinio Iſaiae cap. 19. *Ecce Dominus adſcendet ſuper nubem levem & ingredietur Aegyptum, & commovebuntur ſimulacra Aegypti a facie eius*: quamquam enim in Aegypto idolorum cultus uſque ad annum Chriſti 389. viguerit; non tamen repugnat, idola aliqua praeſente Domino corruiſſe, eo ſaltem in loco, ubi ille commorabatur.

XXI. *An Chriſtus in Aegypto miracula perpetraverit?*

Scio

Scio a Hieronymo hunc locum *tropologice* exponi de Idololatria per Chriſti religionem everſa: at id literalem ſenſum nimine evertit. Praeterea quaedam idolorum ſimulacra in Aegypto, dum ibi Ieſus aderat, corruiſſe affirmat Euſebius lib. VI. de Demonſtr. Evang. cap. 20. S. Athanaſius in lib. de Incarnat. Domini, S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 10. Palladius in Hiſt. Lauſiaca cap. 52. Nicephorus lib. X. Hiſtor. cap. 31. Sozomenus lib. V. cap. 21. & Antoninus Martyr in Itinerario, de quo conſulatur Valeſius in notis ad praelaudatum Sozomenum. Quare nec nova eſt haec ſententia, nec deſtituta vetuſtae auctoritatis praeſidio. Quae tamen addit Sozomenus de inclinatis *Perſeae* ramis, nec Euſebius, nec Athanaſius, nec Cyrillus commemorant, quamobrem id nec debet nimia credulitate affirmari. Fabuloſum autem omnino, quod Vincentius Bellovocenſis narrat in *Spec.* lib. VI. cap. 94. de Palma, cui erga ſe inclinatae dixerit divinus Infans: *Dignitatem confero tibi, ut unus ex ramis tuis transferatur ab Angelis in Paradiſum Patris mei.* Sane quod priori miraculo opponitur ex cap. 2. Ioannis, atque ex Epiphanio, & Chryſoſtomo, nullius eſt roboris. Nam Evangeliſta & Patres de miraculis a Chriſto patratis vocis imperio, palam, & poſt ſuſceptum praedicationis miniſterium, ſunt exponendi; ſecretiori namque virtute plura ab exordio Nativitatis Dominum perfeciſſe nemo unus inficias ibit. Liber denique *de Infantia Salvatoris*, non ob miraculum iſtud, ſed ob aliorum inſulsam ineptamque farraginem in Cap. *Sancta Romana* apocryphis accenſetur.

XXII. *Chriſti in Aegypto mora.*

XXII. At quot annis Aegyptum puer Ieſus incoluit? S. Epiphanius hom. 78. ait ibidem commoratum annis duobus: triennio cenſet auctor Harmoniae Evangeliorum, quae adſcribitur Tatiano, nec non lib. I. cap. 14. Nicephorus: quinque annis ibidem perſtitiſſe ait in Concordia Ianſenius: ſeptem Ammonius Alexandrinus: reduſſe in patriam octavo poſtquam diſceſſerat anno, ſentit Cardinalis Baronius, eique adhaeret Suareſius in 3. p. t. 2. diſput. 27. ſect. 2. Verum uno, vel duobus tantum annis definienda eſt haec in Aegypto commoratio: enimvero Chriſtum natum labente anno V. C. 749. diximus num. II. Herodem Aſcalonitam obiiſſe anno Vrb. 751. alibi demonſtravimus: defuncto Herode Angelum indixiſſe Ioſepho, ut rediret in terram Iſrael, affirmat cap. 2. Evangeliſta. Ad tam exiguum tempus coarctare debent hanc moram qui ſtatuunt natalem Domini diem in anno Vrb. 748. & Herodis obitum in an. 750. ut Pagius, Scheleſtratius, Graveſon, alii. Tenuit item hanc ſententiam Panvinius noſter in Faſtis: eamlem amplexatus eſt Serrius Exercit. 38. num. 4. Non eget aſſertio noſtra alia confirmatione, poſteaquam de anno Herodis emortuali data opera diſputavimus.

XXIII. *Ieſus ex Aegypto reverſus habitavit in Nazareth.*

XXIII. Vbi reverſus eſt ex Aegypto, Ioſeph cum illibatiſſima Coniuge, & puero Iesu habitavit in Nazareth, ut legitur in Evangelio Matthaei, & Lucae, 2. cap. Hinc Ieſus appellatus eſt *Nazarenus*, ut

ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, *Quoniam Nazareus vocabitur*, inquit eo loci Matthaeus. Haec verba apud nullum prophetarum inveniuntur; sed Evangelista sensum de Scripturis sumpsit, non verba: quippe Nazareus *sanctus* interpretatur. Tantummodo Is. 10. ubi legimus, *Flos de radice eius adscendet*, habet Hebraicus codex, Hieronymo interprete, *Nazareus de radice eius conscendet*. Hoc nomine Christifideles insigniri colligimus ex Act. Apost. cap. 24. atque ex Tertulliano adversus Marcionem lib. IV.

XXIV. Quid vero asserendum de domo, in qua lares fixit Salvatoris nutritius? Nostratium firmissima sententia est, primo Tersactum Dalmatiae oppidum, deinde Lauretum in Piceno fuisse transvectam. Aegre id ferunt Novantes, stilumque acuit adversus hanc traditionem apostata Vergerus in libro, quem inscripsit *Idolum Marianum*, cui & alii subcinuere. Haec potissimum isti urgent. Primo, a Romanorum legionibus Syriam vastantibus aediculam illam fuisse dirutam. Secundo, S. Hieronymum epist. 44. & 86. Nazaretham describendo nullatenus meminisse huius domus. Tertio, nunquam sacratam illam aediculam constitisse Tersacti. Quarto, de transmigratione ad Picenos altum silentium haberi apud Historicos etiam synchronos, nec de ea ullum verbum apud Sanctum Florentinorum Antistitem Antoninum. Postremo Lauretanam domum lateritiam esse, ac structurae a vetustis aedificiis diversae. Nos haec omnia levia & insulsa arbitramur. Nam a Romanis militibus Nazarethanam domum in Syriae invasione non fuisse eversam demonstramus, quoniam ex Nicephoro lib. VIII. cap. 30. exstabat eadem domus tempore Helenae Imperatricis, quae ibi magnificum templum erexit. Huius templi meminit Ven. Beda de Locis Sanctis cap. 16. ibique sacra Communione refectum S. Ludovicum Francorum regem narrant omnes gestorum eius scriptores. De translatione autem ad Dalmatas, quae contigit anno 1291. sedente Nicolao IV. Pontifice Maximo, testimonium exhibent Illyrici omnes, ac Liburnenses, experimenta Nicolai Fregipanii Dalmatiae Praetoris, vetus inscriptio in Templo Tersactensium, autographumque temporibus Leonis X. inventum Flumine, oppido ad oram Sinus Adriatici adiacente. Transvectam vero sacram aediculam Lauretum an. 1291. evincunt munimenta Archivi Recinetensium, asserta civium ea aetate sacramento firmata, missi in Liburniam, atque illinc Nazaretham probatissimi viri, Romanorum Pontificum constitutiones, Turcarum quoque testimonia mirabili eventu confirmata, miracula innumera, regum donaria, vota peregrinantium, Italorum exterorumque pietas ac fides. Breviter itaque obiecta Novaturientium dispungam. Primum ex Historiis refutatum est; nec enim Romani vicos omnes Nazarethae solo aequarunt, cum & *viculum* eo loci aetate sua perstitisse scripserit citatis Epistolis Hieronymus, templum vero ibi exstructum ab Helena complures commemorent. Alterum, praeterquamquod negans est, diluitur dicendo,

XXIV. *De domo Virginis Nazarethana.*

ideo

ideo Hieronymum cit. Epist. Eustochium ad invisendam Nazareth, quam vocat *nutriculam Domini*, invitasse, quod ibi esset aedicula, in qua Christus fuerat enutritus. Tertium non est melioris notae; siquidem sacram domum transvectam Terfactum nos nube testium asserimus, Novatores pro lubitu inficiantur. Proximum inde retunditur, quod S. Antoninus migravit ad superos die 2. Maii anno 1459. quo tempore Lauretanam aedem fuisse totius Italiae celeberrimam nullus ignorat. Ad postremam obiectionem reponimus, falsum esse lateritias domus recentioris esse structurae, ac praeterea nobis non semel Lauretanam spectantibus lapideam, non lateritiam visam esse, saxis ad ianuam ad instar laterum dissectis. De sacra Virginis domo haec tantum. Plura Hieronymus Augelita, Raynaudus, Turfellinus, Canisius, Turrianus, Honoratus, omniumque collector Martorellius.

XXV. *Quaestiones variae solvuntur.*

XXV. Quae gesit ea in domo Salvator usque ad annum tricesimum nulla difficultate implicantur. Ad nostram quippe pervenit notitiam hoc tantum, quod anno aetatis suae duodecimo ductus ad Templum, ibi remanserit, ac post triduum inventus fuerit a parentibus sedens in medio Doctorum. Rem narrat cap. 2. Lucas. Si quaeras quo tempore id evenerit, respondeo, fuisse anno Aerae Vulgaris octavo, quo Christus annum exegerat duodecimum, atque occurrente solemnitate Azymorum, qua singuli Ierusalem adscendebant. Ita eo in loco praecitatus Evangelista: *Ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae*: Et carmine Iuvencus presbyter,

Ad templum laetis puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

Petenti autem quid puer in templo ageret, non disputasse respondeo, sed interrogasse legis peritos, qui eius quaesita, responsaque audientes stupore percellebantur. Idcirco sedisse dicitur; nam in more positum erat, discipulos ad pedes praeceptorum assidere: ita Maria ad pedes Iesu verba eius excipiebat, Luc. 10. & Paulus ad pedes Gamalielis se doctrina imbutum testatur Act. 22. Aliud curiosus quispiam fortasse petit: Eccur Ioseph aeque ac Virgo dicantur *parentes Iesu*, atque is praeterea appelletur in Evangelio *filius fabri*, quum illum Virgo absque virili complexu genuerit? Sed & hanc quaestionem brevissime expediam: ita enim scriptum est, quoniam S. Ioseph erat illius pater hominum existimatione: item quia erga eum patris implevit officia: rursus quia ex eius coniuge natus. De hoc postremo titulo legendus Augustinus lib. II. de Consensu Evangelistarum cap. 1. Tandem pulsare alicuius animum potest ea quaestio, quomodo vitam Christus egerit, & qua ratione fuerit enutritus. Id erui potest ex dictis, industria nempe Iosephi fabrilem artem exercentis. Virum hunc sanctissimum fuisse fabrum lignarium scribit in Dialogo cum Triphone

phone Iuſtinus: cui fidem habendam docent Baronius ad An. 12. & Caeſar Calinus lib. III. Exercit. Hiſtoric. cap. 8. Hilarius tamen, & Petrus Cryſologus fabrum ferrarium exiſtimarunt, Euſtathius aedificatorem domorum. Iuſtino & nos adhaeremus 1. quia aetate caeteros antecellit. 2. qui τέκτων, *faber*, cum abſolute ponitur, fabrum lignarium ſignificat. 3. quia haec ſententia communior eſt, & vetuſtior. Et Chriſtus fabrili exercitio ſe applicuit; quippe & ipſum *fabrum* appellarunt, Marci 6. 3. atque confeciſſe *iuga & aratra* tradit laudato in loco Iuſtinus. Etiam Deipara ad comparanda ſibi, filioque neceſſaria honeſtis artibus ſeſe exercuit: idcirco *teſtricem* vocat Hieronymus, *induſiariam* Epiphanius, *lanariam* Anſelmus. Legito Serrium Exercit. 44. num 7. Haec omnia nobis induſtriam, ſolicitudinem, humilitaremque commendant.

XXVI. Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caeſaris coepit S. Ioannes Baptiſta praedicare *Baptiſmum poenitentiae*, ut habetur Lucae cap. 3. De quo anno loquatur Evangeliſta non levis eſt difficultas: cum aliud fuerit Imperium Tiberii Proconſulare, aliud Imperium Tiberii Auguſteum: primum incepit ab anno Aerae Vulg. XII. alterum ab anno XIV. quo deceſsit Auguſtus die 19. menſis ſextilis. Quare annus 15. Imperii Proconſularis concurrit cum anno Aer. Vulg. 26. & annus 15. Imperii Auguſtalis concurrit cum anno 29. ante diem 19. menſis Auguſti. Sententia noſtra Lucas de Imperio Proconſulari accipiendus eſt 1. quia anno Aerae Vulg. 26. ſive 15. huius Imperii, Chriſtus agebat annum aetatis ſuae trigeſimum, ſtatuto natali eius die in exitu anni quinti ante Aeram Dionyſianam. 2. quia Clemens Alexandrinus, Tertullianus, aliique veteres tradiderunt Chriſtum anno 15. Tiberii paſsum, crucique fuſſixum, ideoque Imperii Proconſularis, non Auguſtei habuerunt rationem. 3. quia hoc pacto facile defenditur Patrum traditio, iuxta quam Dominus crucis patibulum ſubiit anno 29. Aerae Vulg. *Coſſ. duobus Geminis*, dum aetatis ſuae annum tertium ac trigeſimum ageret. Sed haec fuſius in Chronologicis diſquiſitionibus.

XXVI. *Quando S. Ioan. Baptiſta baptizare, & praedicare inceperit.*

XXVII. De Baptiſmo Ioannis plura comminiſcuntur Heterodoxi, ut illum baptismo Chriſti aequiparent, & utrique eamdem efficacitatem attribuant. Aiunt primo utrumque Baptiſmum divinam habuiſſe inſtitutionem, cum & Ioannes dixerit (Ioan. 1.) *Qui miſit me baptizare in aqua*; verum haec verba inſpirationem Numinis, qua utique Praecurſor ad praedicandum & baptizandum acceſsit, non propriam inſtitutionem, aut certi cuiusdam determinati ritus praeſcriptionem commonſtrant: tametſi Ioannis quoque lavacrum e coelo fuit, ut legitur Matth. 21. ac praeſtantior etiam purificationibus legalibus, quod iſtae Meſſiam futuro tempore adventurum promitterent, illud vero ad hunc praeſentem viam praepararet. Deinde inquiunt Novatores, quod etiam SS. Trinitas ipſum Ioannis Baptiſma comprobavit; Pater

XXVII. *Baptiſmi Ioannis a baptiſmo Chriſti diſcrimina.*

voce edita, Filius tinctione sua, ac Spiritus Sanctus Columbae symbolo. At haec non cuique Ioannis baptismari adfuere, sed illi unico & singulari, quo tinctus est Iesus, ac tum Trinitas ineffabilis non elementum aquae consecravit prolata a baptizante verborum formula, sed qualis esset baptizatus ostendit delapsa e coelo voce, & Spiritus Sancti visibili adparitione. Addunt heretici Baptismo quoque Ioannis collatam fuisse aeque ac Baptismo Christi remissionem peccatorum. At non efficacitate Sacramenti, sed poenitentiae virtute, baptizante Ioanne, peccata dimissa fuerunt, aut potius remissio & sanctificatio per Christum quamprimum obtinenda eo ritu fuit praenuntiata. Differunt itaque Ioannis & Christi baptisma multiplici nomine: ac primum quod Ioannis baptisma verborum, scilicet sacramentalis formulae fuerit expers. Tum se circa regionem Iordanis Praecursor continuit, purificans, non initians, nec a falsa religione deducens ad veram. Ad haec adultos tantum poenitetentia expiabat, non autem parvulos spiritali regeneratione ab originaria labe reddebat immunes. Praeterea Ioannes, ut habetur Mat. 3. non *in Spiritu Sancto* baptizavit, sed *in aqua*, scilicet eius lavacrum abluebat corpus, ad animum non pertingebat. Demum cum baptismus Ioannis nullum imprimeret characterem, poterat iterari. Contra, baptismus Christi praescripta formula, & invocatione S. Trinitatis confertur, ad omnes prorsus Mundi plagas extenditur, initiativum est, & Christo inserit baptizatos, parvulos mortuos in Adam in Christo vivificat, atque efficacitate & energia sua confert gratiam, extergit culpas, Spiritum promissionis, & attham hereditatis impertitur. Iure meritoque Sess. 7. Can. 1. Synodus Tridentina: *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* At plura de hac re in Theologicis Dissertationibus, Lib. XXXI. cap. 2.

XXVIII. *De anno, de die, & de loco Baptismi Christi.*

XXVIII. A Ioanne etiam Christus dignatus est baptizari: quod congrue factum demonstrat. 3. p. q. 39. art. 1. S. Thomas, ut aquas carnis suae contactu mundaret, illatumque elementum redderetur, ut Ecclesia inquit, in Baptismalis Fontis benedictione, *unda purificans, aqua regenerans*. Addit Aug. Tract. 5. in Ioan. rationem aliam, videlicet, ut servi magna alacritate currerent ad Baptismum Domini, animadvertentes quanta humilitate Dominus susceperit baptismum servi. Quaeri autem potest circa Christi baptisinum quo anno aetatis suae baptizatus fuerit, qua die, quo loco, & quaenam ibi signa contigerint. De anno affirmamus, fuisse praedictum annum XV. Imperii Proconsularis Tiberii Caes. & V. C. 779. sive 26. Aerae Dionysianae. Rationes productae sunt paullo supra, N. XXVI. ubi ostendimus hoc anno Ioannem praedicasse poenitentiae baptismum. Scimus Serrium Exercit. XLV. num. 3. asserere incertum esse, num Christus accesserit ad Ioannis baptismum anno praedicto XV. an sequenti; ac Pagium etiam, Scheleſtratium, Gravesonium, & recentiores alios asserere baptizatum Dominum

minum anno Tiberii xvi. ſecundo praedicationis Ioannis. Verum ne his adhaereamus multiplex ſuadet ratio. I. Probabilius eſt a Luca Evangeliſta ad innuendum tempus Dominici Baptismi potius, quam ſoliua praedicationis Ioannis, notam temporis fuiſſe appoſitam. II. Non poſt impletum Ioannis miniſterium ad eius baptismum venit Salvator, ſed *cum baptizaretur omnis populus*, ut inquit S. Lucas cap. 3. 21. ſive, ut legimus Act. 13. 25. *cum impleret Ioannes curſum ſuum*. III. Ioannes, non peragravit baptizans totam regionem Iordanis, ſed campeſtria tantummodo circa Ierichuntem, conſtititque ex cap. 3. Ioan. iuxta Selim, ideſt in media Tribu Manaſſe; ideoque potuit trium, vel quatuor menſium intervallo, puta a Septembri exeunte usque ad proximum Ianuarium, praenuntii miniſterium complere. IV. Confluente ad Ioannis baptisma Iudaici populi multitudine, Praecurſor ab Herode coniectus fuit in carcerem, ideoque eius praedicatio non fuit admodum diuturna. V. Chriſtus ad baptismum accedens non abſolverat, ſed inchoaverat duntaxat trigeſimum annum, ex Evangelio Lucae cap. 3. v. 23. ac in ſententia Pagii, & Graveſonii, anno V. C. 779. Chriſtus agebat annum 31. quum ipſi Dominum natum exiſtiment anno Vrb. 748. Poſtremo nullus unquam veterum affirmavit, Chriſtum baptizatum fuiſſe anno xvi. Imperii Tiberii Caeſaris. Itaque anno Vrb. 779. aetatis ſuae an. 30. Chriſtus baptizatus fuit a Ioanne. Haec de anno. Quid vero de die? Fuit eadem dies viii. Id. Ianuarias. Nam id commonſtrat perpetua univerſarum Eccleſiarum perſuaſio; Romanae, de cuius Traditione legendus Baroniua in notis ad Martyrologium die ſuper commemorata; Orientalis, de cuius traditione agunt Caſſianus Collat. 10. Thomaſſinua lib. II. de Feſtis cap. 7. Tillemontius nota 16. in Ieſum Chriſtum. Idem affirmant Eccleſiae Patres conſenſu unanimi, uno excepto Epiphanio, qui hom. 51. ait baptizatum Dominum die 12. menſis *Athir*, ideſt, octava Novembris. Idem denique afferunt etiam Critici moroſi, nodumque in ſcirpo quaerentes, ut Scaliger lib. vii. de Emendat. temp. Serrius praecit. Diſſert. 45. Caſaubonus Exercit. 13. §. 10. Poſtremo quantum ad locum attinet, Chriſtus baptizatus eſt in Iordane prope Bethaniam, ibi enim Ioannem baptizaſſe legimus Ioan. 1. 28. ſed cum fuerit duplex Bethania, una in tribu Beniamin diſtana ſtadiis quindecim a Ieroſolymis, oppidum, ſeu caſtellum Mariae & Marthae ſororum Lazari, altera in tribu Manaſſe, unde nomen Bataneae regionis; haec Bethania, non illa eſt locus Ioannis baptiſmate decoratus, ut recte obſervarunt Adrichomius & Lubinus. In Codicibus tamen Graecis pro Bethania legimus Βηθαβαρᾶ. Vnam eamdemque regionem, vel locum eſſe Bethaniam, & Βηθάβαρα, cenſent recentiores, ut facilius Graecum codicem Vulgatae concilient. At Bethabara fuit civitas in tribu Iuda, ac tribui Beniamin contermina, de qua Ioſue cap. 15. & 18. Sanſon Bethabaram aliam fuiſſe autumat in tribu Ruben ad

Orientalem Iordanis ripam: ubi dicendus esset baptizasse Ioannes, si Graecus codex esset Vulgatae Latinae praeferendus. Loco Iordanis, in quem Christus baptizandus descendit, indiram virtutem sanandi lepram scribit Gregorius Turonensis de Gloria Martyr. cap. 17. quod pie credi potest; uberioribus, ac vetustioribus munimentis confirmari non potest.

Miraculo a Domino baptizato patrata.

XXIX. Baptizato iam Domino, cum ascendisset de aqua, apertum est coelum, descendit Spiritus Sanctus sicut columba, & intonuit vox illa Patris, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Conferas Matth. 3. 17. Lucae 3. 2. Marci 1. 11. & Ioannis 1. 34. Aperte enim Evangelistae affirmant haec eveniisse *Domino iam baptizato*, ut percipiamus a SS. Trinitate baptismum Ioannis minime consecratum fuisse, neque elevatum ad gratiam adoptionis producendam. Quod ad coelos attinet, non ita aperti dicuntur, quasi discisi fuerint; sed quod in aeris superiori parte apparuerit hiatus, ex quo visibilis columbae species descenderit: ita S. Thomas 3. p. q. 39. art. 5. ac Sylvius ibidem. Significatum ea adparitione a Christo nobis coeli ianuas referandas, eiusque potentia ac maiestas caelos transcendens fuit eventu hoc demonstrata, inquiunt Chrysostomus hom. 12. in Matth. & Cyrillus Ierosolym. cat. 3. Quod Suaresius disp. 27. sect. 1. ait difficultarem ingerere num spatium inter partes divisas coelorum intercectum fuerit vacuum, nullatenus mentem nostram percellit; siquidem potuit hiatus ille apparere sola purioris & lucidioris aeris diffusione, in eaque facto columbae descensu, uti coelum aperiri dicitur, ac discindi ingenti pluvia, ignito fulgure, vehementi tonitruo. Quid vero de Columba? Veram propriamque columbam fuisse sensit cit. 9. 39. Doctor Angelicus, etsi contrarium docuerat in 1. dist. 16. Ego Columbae tantum speciem fuisse puto. Primo, quia Ioan. 1. non columbam appellat, sed *quasi columbam*, *ὡσεὶ περιστερὰν*, & Lucas 3. ait, Spiritum Sanctum descendisse corporali specie *sicut columbae*. Secundo, Quia S. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. inquit: *descendit Spiritus S. in specie, non in veritate columbae*, ac similia tradunt Opt. Milevitanus lib. IV. contra Parmenian. Augustinus lib. II. de Trinit. cap. 5. Hilarius can. 2. in Matth. aliique Patres. Tertio, quia ad mysterii significationem sufficiebat columbae similitudo. Quarto, quia descendente Spiritu, columbae corpus evanuit, haud secus ac illa corpora, in quibus Angeli apparuerunt, ut censet Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 8. neque enim Spiritus Sanctus columbam assumpsit in unitatem personae, neque si assumpsisset ad tempus, congruum erat, ut quod fuerat Numinis substratum, animantis corpus persisteret. De Patris voce dicimus, etiam a circumstantibus fuisse auditam; quum enim ea Christus declaratus sit filius Dei, ac pronomine demonstrativo, filius non adoptione, sed natura, filiusque unigenitus; non propter ipsum, sed propter eos, quibus erat manifestandus, vox illa personuit. Victor Antiochenus in

cap.

cap. 3. Matthaei recte animadvertit & columbam ſuper Chriſtum inſediſſe, & ad ipſum paternam vocem fuiſſe directam, ne a plebe Ioannes, cuius nomen erat percelebre, Meſsias crederetur; in quam opinationem propendebant Iudaeorum complures. Legite Ioan. cap. 1. 32 33.

XXX. Poſt ſuſceptum baptiſma raptus Chriſtus in deſertum a Spiritu ſervavit quadraginta dierum ieiunium, cumque poſtea eſuriiſſet, a Satana ſe tentari permiſit. Praenuntiaverat Ieiunium iſtud regius Propheta Pſ. 34. 78. & 108. ac de illo ſermonem inſtituit cap. 4. Matthaeus. Eſurit autem, aliaque humana paſsus eſt Deus homo, non neceſſitate naturae, ſed voluntatis arbitrio; quoniam aſſumpta humanitate in divinitatis conſortium, Dei Verbum perſonae poteſtate, ac iure, modo divina, modo operabatur humana. Atque hac ratione explicandum eſſe arbitror, quod torquere ſolet diſputantium ingenia, quomodo eſurire, triſtari, flere, ac mori poſſet, qui nil patiebatur invitus, & gaudio beatitudinis fruebatur. Sed oritur heic duplex quaeſtio, quare Chriſtus ieiunium ſpatio quadraginta dierum ſervaverit; & num hinc ſit repetenda quadrageſimalis ieiunii inſtitutio. Ac prima quaeſtio facillima eſt, & ſolvitur a Hieronymo in caput 3. Ionae, ab Auguſtino de Conſ. Evangeliſt. lib II. cap. 4. a Leone Magno Serm. 4. de Quadrag. aliisque Patribus. Quadraginta enim dierum numero peccatorum purgatio, quam Deus mortalitatem noſtram aſsumens effecit, praefigurata eſt in diebus Diluvii, in exploratione terrae promiſsionis, atque in quadraginta annis, quibus Iſraelitae in deſerto poenas luerunt; ac ſervarunt tot dierum ieiunium Moyſes in Monte Sina, Helias fugiens a Iezabel, & Niniviae ad praedicationem Ionae poenitentiam agentes.

XXX. *e Chriſti i- i. io*

XXXI. Altera quaeſtio difficilior eſt, & in Polemica Theologia exagitatur. Nam quadrageſimale ieiunium non eſſe a Chriſto inſtitutum, nec praeceptum, evincere videntur momenta, quae conſequuntur. I. Quia Dominus quidem ieiunii huiuſmodi exemplum nobis praebuit, ſed legem non tulit, et habet ieiunium ipſum *imitationem Dei converſationis*, non praeceptum, ut in Epiſt. ad Philipp. inquit Ignatius Martyr. II. Quia in Ieiunio Quadrageſimae frequentiſſime diſpenſant Romani Pontifices quoad delectum ciborum, & numerum refectionum, quae diſpenſationes in praeceptis a Chriſto datis fieri non ſolent. III. Quia ex Caſſiano Collat. xxi. cap. 3. obſervantia quadrageſimalis in Eccleſia primitiva non fuit; atque ex Chronico Euſebii ad an. 136. Telesphorus quadrageſimale ieiunium primus omnium inſtituit ac praecepit. IV. Apollonius ſcriptor Eccleſiaſticus apud eumdem Euſ. lib. v. H. E. cap. 28. inquit, primum omnium Quadrageſimam indixiſſe Montanum. Demum Aug. Epiſt. 86. ait, ſe non invenire aliquo praecepto Domini, vel Apoſtolorum, quibus diebus oporteat ieiunare. Verum ſententia Catholica ac veriſſima eſt, ieiunium, de quo eſt ſermo, ad Chriſti imitationem a temporibus A-

XXXI. *Num hinc quadrageſimale ieiunium habuerit initia?*

po-

poſtolorum fuiſſe indictum, atque inſtitutum; quod momentis inſtiusmodi ſuadetur. I. Iuxta Auguſtini regulam communiter receptam, *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*: ita Aug. lib. IV. de Baptiſ. contra Donat. cap. 24. At obſecro, in quo Concilio inſtiusmodi ieiunium primitus inſtitutum adinvenitur? Deinde Laodiceni Patres Can. 49. & Nicaeni Can. 5. huius ieiunii, tanquam rei notiſsimae & antiquiſſimae meminerunt. Praeterea Ambroſius Serm. 31. inquit: *Quadrageſimam nobis Dominus ſuo ieiunio conſecravit*. Hieron. in Isaiam cap. 58. *Dominus quadraginta diebus in ſolitudine ieiunavit, ut nobis ſolemnes ieiuniorum dies relinqueret*. S. P. Aug. Ep. 119. cap. 15. *Quadrageſimale ieiunium habet autoritatem & in veteribus libris ex ieiunio Moyſis & Eliae, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunavit*. Vide Baſil. Orat. de ieiunio, Leonem Magnum cit. Serm. 4. & 6. de Quadrag. &c. Ad ea vero, quae ſuperius obiiciebantur, facilis eſt reſponſio. Prims enim duo tantummodo evincunt, Ieiunium Quadrageſimale non fuiſſe a Chriſto inſtitutum; at non probant non fuiſſe inſtitutum ac praeceptum ab Apoſtolis ad Chriſti imitationem. Ad tertium dicimus, Caſſianum aſſerere, quod in primitiva Eccleſia nonnulli a lege huius ieiunii ab Apoſtolis praeſcripti deſciverint, ad illud tamen revocatos canonica Sacerdotum indictione: in Cap. autem, *Statuimus*, diſt. 4. ad Quadrageſimam dicitur addidiſſe Teleſphorus Quinquageſimam a Clericis duntaxat ſervandam, idque innuere voluit Euſebius in Chronico. Quartum diluitur reponendo ex Tertulliano contra Pſychicos cap. 1. & 15. & Hieronymo Ep. 57. ad Marcellam, Montanum alias duas Quadrageſimas invexiſſe, praeter eam, quam commendat Apoſtolorum traditio, *quaſi tres paſſi ſint Salvatores*, inquit Hieronymus, nobis ſignificans etiam in memoriam Paſſionis Dominicae hoc ſervandum eſſe ieiunium. Ad ultimum liquet Auguſtinum de praecepto ſacris litteris expreſſo, non de illo, quod traditione fulcitur, verba facere, quamquam & in novo, & in veteri Teſtamento nobis ieiunium quadrageſimale commendari, tradit S. Paulus aliis in locis. Atque haec obiter de Sacro Quadrageſimali Ieiunio.

XXXII. *De Chriſti triplici tentatione.*

XXXII. Poſt ieiunium voluit, aut permiſit potius Salvator tentari a Diabolo: idque admodum conveniena aſſeritur a D. Th. 3. p. q. 41. art. 1. Huius congruentiae prior cauſa petitur ex fine; liquidem id factum eſt, ut nobis ferret Dominus auxilium, ut cautelam praeberet, ut daret exemplum, ut elargiretur fiduciam. Deinde ea tentatione patefactae ſunt Daemonis fraudes & artes, qui primum Chriſti explorare divinitatem, deinceps cupiditatem allicere, poſtmodum ad Idololatriam ipſum inducere cogitabat; unde tentatione Chriſti commonefacti ſumus, ne miraculis Divinitatis arcana ſcrutari audeamus, ne Satanae promiſſis praeſtemus fidem, ne temere nos com-

mit-

mittamus animorum, corporumque periculis. Ad haec docuit nos veritatis Magister, quomodo tentationes sint repellendae, armando nos per ieiunium, sacras litteras subdolis ratiocinationibus opponendo, atque dum tentator scripturis utitur, divina commemorando praecepta. At ubi tentatus est Dominus? Primum in deserto, postea super pinnaculum templi, tandem super excelsum montem. Desertum Adrichomius situm ait inter Ierusalem, & Iericho, non procul a mare mortuo; *Quarantenam* recentiores appellant. Sunt, qui in desertum Sina Iesum ductum a Spiritu censeant. Hac prima tentatione, ut olim Adam, opinabatur Daemon Christum de cibo perdere, sed veritus eius divinitatem porrexit ei lapides miraculo vertendos in panes, quoniam nil pani magis oppositum lapide, ex Mat. 7. 9. Tentatio altera contigit super templi pinnas, scilicet in supremo angulo, cui ex Iosepho lib. xv. Antiq. cap. 14. subiecta vallis dehiscens, in quam constitutus in tecto densum ob nimiam profunditatem aspicere non valebat absque vertigine; locus propterea praecipitio satis idoneus. Huc asportatum Dominum, non corpore, sed imaginatione, scribit Auctor libri de Operib. Card. apud Cyprianum, inconveniens existimans, Diaboli humeris Dominum insedisse: sed refutatur a Baronio ad An. Christi 31 propterea quod in sublime raptus sola mentis cogitatione, ut se deorsum deiiciat, tentari non potest. Adde, credibile non esse quod vis Christi imaginatrix diabolicis illusionibus potuerit turbari. Vt corpus autem daemon transferret de loco in locum, poterat eadem ratione permitti, quemadmodum permissi sunt peccatores, & lictores Diaboli membra idem corpus attrectare, conspuere, crucifigere. Tertia tentatio fuit in excelso monte, unde divitias omnes, regnaque Mundi tentator ostendit & obtulit: non quod omnes Mundi plagas posset quispiam illinc videre, sed in latioii aeria spatio, veluti quadam in tabula fictis illustrium urbium, thesaurorum, diedematum, rerumque aliarum cupiditatem vellicantium, idolis atque imaginibus.

XXXIII. Daemonis superatis insidiis, coepit Iesus evangelizare, conversare cum hominibus, Discipulos sibi adsciscere, ac patrare miracula. Quantum ad eius conversationem attinet, quaeritur, I. Num pauperrimam vitam duxerit. II. Num mendicaverit. III. Num incesserit nudis pedibus. IV. Num unam habuerit tunicam. Prior quaestio solvitur afferendo, Dominum secutum fuisse communem vivendi rationem, nimiamque austeritatem vitasse aeque ac vitae cultum immoderatum. Etenim Matth. 11. legimus mollia vestimenta iis, qui incolunt regias domos, eiusdem Christi sententia, non sibi, suisque congruere: Lucae 8. pias mulieres ei ministrasse *de facultatibus suis*: Ioannis 13. habuisse loculos ad usum Discipulorum: idemque habetur in Cap. *Exiit*, de verb. signif. in 6. & in Extravaganti, *Quia quorumdam*, Ioan. xxii. Hinc diluitur quaestio altera; vere enim Dominus

XXXIII. *Conversatio Domini quaenam.*

non

non mendicavit, quamquam interdum hospitio reciperetur, & aliqua occasione, ex. gr. in triduo, quo duodennis aberat a parentibus, & dum in Sammaria, in Bethania, aliisque in locis extra patriam commorabatur, ea, quibus indigebat, exciperet, quod est quoddam genus mendicitatis, ut inquiunt Aug. in Ps. 108. Hieronym. in cap. 21. Matthaei, S. Thomas in Opusculo contra Impugn. Relig. cap. 7. S. Bonav. de Paupert. Christi, Sylvius, Suarezius, aliique Theologi in 3. p. q. 40. art. 3. Ad tertiam quaestionem dicimus probabilius esse Christum calceis usum: ita enim censet Ioan. Chrysost. Hom. 60. ad populum Antioch. & Hom. 9. in Epist. ad Philip. S. P. Aug. Serm. 101. cap. 6. & lib. XXII. contra Faustum cap. 77. Beda in cap. 6. Marci, atque Iansenius, Toletus, aliique complures apud Sylvium cit. q. 40 art. 2. Atque haec sententia probatur. I. Ex verbis Ioannis Baptistae, Ioan. 1. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*. II. Ex more omnium Palaestinorum, quos calceis usos constat ex cap. 25. Deut. & ex cap. 10. Isaiae. III. Ex quo Christus, ut se hominibus conformaret, communem vivendi rationem sequi deberet, ut diximus paullo supra. Contra haec tamen quaedam militant, ac primum auctoritas Hieronymi Epist. 22. cap. 8. deinde quod Magdalena non potuisset pedes ipsius recumbentis lavare, si calceatus incessisset: tum quod Discipulos ad praedicandum miserit absque calceamentorum & vestium onere; demum quod in crucem acto, milites, vestimentis forte divisis, caligas non habuerint. Ad quae respondemus, Hieronymum utique contrariae opinioni adhaesisse: ante convivia Iudaeos se lavasse, & calceos deposuisse, ut supra stratum lectumque ad mensam accumberent: in coena postrema Christum idem egisse, praesertim ob instituendum pedilavium; quo peracto forte humilior profecturus ad crucem, nudipes ad hortum perrexit: Apostolis denique prohibita calceamenta duplicia. Quaestio postrema ex commemorata pedum latione diluitur: quam describens Ioan. 13. inquit: *surgens a mensa posuit vestimenta sua*. Accedit quod praeter vestimenta, inter milites divisa, habuerit vestem inconsutilem, idest, reticulatim consectam, in quam sortem miserunt. Cur itaque Matth. 10. & Marci 6. Apostolis indictum, ne duabus tunicis uterentur? Id profecto de tunicis eiusdem generis, quarum modo unam, modo alteram induerent, accipiendum est; ut animadvertit Aug. lib. II. de Consensu Evangelist. cap. 30. Haec tantum de quatuor quaestionibus superius propositis.

XXXIV. *De tempore Dominicae praedicationis.*

XXXIV. Quum peracto ieiunio, ac Satana superato, Christus praedicationi animum applicuerit; operae pretium est, ut inquiramus quot annis munus istud expleverit. Igitur Clemens Alexandrinus I. Strom. Philastrius Hom. 106. aliique perpauci, tempus Dominicae praedicationis ad annum unum coarctarunt. Apollinarius Laodicenus apud Hieronymum in caput 9. Danielis, & Cyrillus Alexandrinus

in 61.

in 61. Iſaiae, duobus annis eamdem praedicationem completam dixere: at omnes huius aevi Chronologi tribus annis, ac totidem menſibus a Domino annuntiatum Evangelium exiſtimant. Quibus ob ea, quae ſequuntur, momenta adhaeremus. Primum momentum eſt, baptizatum Dominum anno V. C. 26. ſuffixum cruci anno 29. quorum unum ſupra tradidimus, aliud paullo poſt demonſtrabimus; inter utrumque autem annum interceſſiſſe triennium ſatis conſtat. Habentur & praedifiniti tres menſes, ſi baptismus VIII. Idus Ianuarias, paſſio autem VIII. Kalendas Apriles, ut fert vetus traditio, alligetur. Proximum, quoniam inter baptiſmum ac mortem Domini quatuor Paſcha ta invenimus celebrata. De primo Ioannis cap. 2. legitur: *Prope erat Paſcha Iudaeorum & adſcendit Ieſus Ieroſolymam*. De altero Ioannis 5. *Poſt haec erat dies feſtus Iudaeorum, & adſcendit Ieſus Ieroſolymam*: hunc autem diem feſtum fuiſſe Paſcha conſtat ex quo apud Ioannem *dies feſtus* abſolute prolatus Paſcha deſignet. De Paſchate tertio idem Evangeliſta cap. 6. ait: *Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudaeorum*. Quartum illud eſt, in cuius Solemnitate Dominum crucifixerunt, de quo Matth. 26. & Ioan. 18. Momentum tertium depromitur ex PP. traditione. Etenim Ignatius Martyr in Epiſtola ad Trallianos inquit: *Tribus annis* Dominus *praedicavit Evangelium*. Tertullianus lib. 1. adv. Marcionem baptizatum ac revelatum Dominum ait anno 12. Tiberii Caeſaris, paſſum an. 15. *Coſs. duobus Geminis*. Intellige Imperium Proconſulare, de quo ſupra. Chryſoſtomus in cap. 1. Matth. *Ieſus Tiberio imperante, cum annorum triginta eſſet, ſuam apud diſcipulos divinitatem declaravit, ac per tres deinceps annos praedicavit*. Theodoretus in Danielem, *Cum annos circiter tres cum dimidio praedicaſſet Dominus, ſuosque diſcipulos & doctrina, & miraculis confirmaſſet, paſſus eſt*. Suppeditat probationem quartam Hiſtoricorum conſenſus. Id enim tradunt Euſebius lib. 1. H. E. cap. 10. Nicephorus lib. 1. cap. 18 Auctor Chronici Alexandrini, Hippolytus Thebanus, atque ut alios antiquiores mittam, Vſſerius ad annum Per. Iul. 4744. Natalis Alex. Synopſ. 1. Saeculi, Emmanuel a Scheleſt. Diſſ. I. Graveſon. Diſſ. XV. Card. Gotti de rebus a Chriſto geſtis cap. 19. &c. Adverſus ſententiam noſtram opponi poteſt. I. Quod Iſaiae cap. 61. de Chriſto praenuntiatum fuerat, *Vt praedicarem annum placabilem Domino*. II. Quod videatur Chriſtus praedicationem ſuam protraxiſſe usque ad annum fere aetatis ſuae quinquageſimum; Iudaei enim Ioan. 8. dixere, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahaam vidiſti?* III. Quod D. Thomas lect. 1. in cap. 5. Ioan. cenſet, *diem feſtum*, de quo ibidem Evangeliſta, non Paſcha fuiſſe, ſed Pentecoſten. Facile tamen haec obiecta expediuntur. Atque ad primum reſpondemus *unum annum* apud Iſaiam accipi pro toto praedicationis tempore, ut explicat Irenaeus, ſive pro anno redemptionis, ut exponit Cyrillus. Ad alterum dicimus praedictorum

verborum hunc esse sensum, *Nondum Iubileum unum vixisti*; erat enim apud Iudaeos annus quinquagesimus propter Iubileum celeberrimus. Ad tertium reponimus, nec S. Thomam nobis adversari, utpote qui inter baptismum, & praedicationis initia, unum annum, quo Christus latuerit, fluxisse credidit: quod tamen falsum, aut saltim dubium putamus, cum paucis post baptismum diebus Andreas & Petrus Dominum secuti fuerint, ac paullo post in Cana Galilaeae, ubi primum signum patratum est, celebratae fuerint nuptiae ex cap. 1. & 2. Ioannis.

XXXV
De nuptiis in Cana Galilaeae celebratis.

XXXV. Miraculorum omnium, quibus praedicationem confirmavit suam, primum in Cana Galilaeae, ubi nuptiis interfuit, a Domino patratum fuit. Cana Galilaeae in tribu Zabulon, inter Carmelum & Ptolemaidem sita erat, ac vivente etiam Hieronymo eo loci persistebat huius nominis oppidum. Quaeri hic solet, quinam fuerit sponsus; cur Christus nuptiis interfuerit; quisnam fuerit architriclinus, qui aquam vinum factam ante alios gustavit. Sponsum quidam fuisse autumant Ioannem Evangelistam, atque hoc miraculo permotum, relicta coniuge secutum Christi vestigia: alii fuisse putant Simonem Cananeum, cui nomen Zelotes, alii Nathanaelem, alii quemdam alium ex Christi affinibus. Postremae opinioni adhaeremus, & Ioannem a nuptiis abhorruisse affirmamus; principio, quia ipse in Evangelio peculiari castitatis praerogativa, atque ob hanc pueri a Christo dilecti nomenclatura, Virginisque Deiparae filiali adoptione, & contubernio magnopere commendatur. Deinde Ioannem nunquam contraxisse nuptias docent Ignatius in Epist. ad Philadelphios, Epiphanius Hom. 52. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, Augustinus tract. ult. in Ioannem, aliique Patres laudati a Baronio ad An. Ch. 31. Denique Patres refellunt Manichaeos dammantes nuptias, ex quo Salvator iis praesentiam suam exhibuerit; at si Ioannes dirempto coniugio reliquisset uxorem, infirma, nullaque videretur praelaudata Patrum ratiocinatio, atque illinc potius Manichaei ansam arripuissent asserendi. nuptias Dominum solvisse & odisse. Haec tantum de quaestione priori. Nam alteram dirimit Augustinus tract. 9. in Ioan. scribens: *Quod Dominus invitatus venit ad nuptias etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, & dicentes quod malum essent nuptiae, & quod Diabolus eas feciſſet.* Hinc Theologorum plurimi censent, ea occasione matrimonium ad Sacramenti dignitatem fuisse evectum, & divina praesentia & benedictione sanctificatum, ut asserere videntur Epiphanius Hom. 67. & Cyrillus Alex. in Epist. ad Nestorium, confirmata a PP. Ephesinis Act. 1. cap. 26. Ad quaestionem tertiam haec sit responsio: Architriclinum Syrus, aliique interpretantur convivarum principem, Grotius convivii curatorem, nonnulli symposiarcham. Non tantum Gaudentius Brixiensis apud Baronium, verum etiam Lightfootius in Horis Hebraicis existimavit, illum fuisse

Sa-

Sacerdotem, qui in huiusmodi ſolemnioribus conviviis benedictionem pronuntiaverit. Vt ut ſit; ſex hydriae (ſitulae, ſive aquaria vaſa ab ὕδωρ appellatae) impletae aqua, ingenti miraculo, merum reddidere; in quo patrando miniſtrorum opera, & architriclini ſobrii hominis guſtu, & experimento uſus eſt Dominus, ut luculentius, certiusque appareret. De hoc primo ſigno Sedulius:

Implevit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus,
Quippe ferax qui vitis erat virtute colona
Omnia fructificans, cuius ſub tegmine blando
Mitis in occiduas enutrit pampinus uvas.

XXXVI. Cetera Chriſti miracula oratione proſequi non eſt animus, quum poſſint cuique ex Evangeliorum lectione innoteſcere. De his tamen univerſim acturi, principio de virtute, qua patrata fuerunt, poſtea de illorum veritate pertractabimus. Igitur quoad primum ſpectat; & divinitus fuerunt peracta, & Chriſti divinitatem comprobarunt. Enimvero nonniſi divina poteſtate fieri poſſunt, quae vim ſecundarum cauſarum excedunt. Quae de Elia, de Moſe, ceterisque Patribus enarrantur, veritatem hanc luculenter demonſtrant. Evangelii item veritatem *ſequentibus ſignis confirmatam* ait cap. ultimo S. Marcus Evangeliſta; atque Eccleſiae auctoritatem *miraculis incboatam fuiſſe* ſcribit Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti. His vero ex communi Theologorum aſſertione ſuppoſitis, Chriſti miraculis divinitatem ipſius comprobari evincimus verbis ipſius Chriſti, ita Patrem priusquam Lazarum ſuſcitaret allocuti Io. 11. *Vt credant quia tu me miſiſti*. Idem confirmatur hoc Theologico ratiocinio: Nequeunt a Deo vera miracula in falſae doctrinae conteſtationem patrari, quum Deus mentiri, & homines in errorem inducere nequeat: At miracula patravit, ut Chriſtum filium ſuum ac verum Deum demonſtraret: Id ergo manifeſtum, atque indubitatum eſt, iisdemque miraculis comprobatum. Si opponas: Annon legitur Marci 6. de Chriſto in patria ſua commorante, *non poterat ibi virtutem ullam facere?* Annon qui firmam habuerit fidem, ut legimus Ioan. 14. *maiora faciet*, quamquam divinitatis ſit expers? Si, inquam, id opponas: reſpondeo priori in loco ſignificari Dominum ob concivium ſuorum incredulitatem a miraculis in patria faciendis abhorruiſſe: alio autem in loco promittitur credentibus virtus & gratia miraculorum, quae aut praecipuis Chriſti ſignis aequiparentur, aut maiorem quoque excitent admirationem, ſed quae in Dei & Chriſti nomine peragantur, eiusque divinitati teſtimonium perhibeant.

XXXVI. *De aliis Chriſti miraculis.*

XXXVII. Nunc vero ipſorum miraculorum veritatem adverſus pervicaces & incredulos demonſtrabimus. Quam in rem producimus priori in loco teſtimonia Evangeliſtarum; quos neque Apoſtolicorum temporum adverſarii, neque poſteriores Athei, ac Gentiles, mendacii un-

XXXVII. *Eorumdem miraculorum veritas.*

quam revincere potuerunt. Neque enim ut captarent hominum gratiam fuerunt falſidici, quum adverſus idololatras, ac tyrrannos caedem, exſilium, omniaque poenarum genera intentantes, veritatem invicta animi conſtantia produxerint. Deinde iis fidem adhibuerunt viri ſapientiſſimi, quos incredibile eſt rumore vulgi fuiſſe deceptos, quum & doctrina fuerint imbuti, & aliarum religionum perſuaſione praeventi, ut Sergius Cypri praeſes, Dionyſius Areopagita, Iuſtinus Martyr, Athenagoras Philoſophus Athenienſis, aliique permulti. Praeterea de his miraculis praeclarum reddidit teſtimonium etiam Flavius Ioſephus, cuius de Chriſto hiſtoricam narrationem alibi vindicavimus. Iudaei item in libro *Thalmud* fatentur Chriſtum fuiſſe rerum mirabilium operatorem, ut probat Cl. Daniel Huetius Dem. Evang. prop. 9. cap. 2. Ethnici pariter eadem miracula probaſſe videntur. Tiberius Chriſtum inter deos referre cogitaverat, ut ſcribunt Tertullianus in Apologetico, & Euſebius lib. II. H. E. cap. 2. Adrianus erigendis Chriſto templis animum adieciſſe teſtatur Lampridius. Iulianus Apoſtata hoſtis Chriſtiani nominis infenſiſſimus, apud Cyrillum lib. VI. adverſus ipſum Iulianum, fatebatur claudos caecosque a Chriſto ſanatos, & liberatos quoque nonnullos correptos a daemone. Mahumetani & ipſi, licet ex libris apocryphis, Chriſto tamen multa tribuunt miracula in Alcorano cap. 2. Quid plura? Et daemon filiis Scevae principis Sacerdotum quosdam energumenos exorcizantibus Act. 19. Ieſum eiusque diſcipulos ſibi miraculorum gloria notos aſſeruit. Recte Tertullianus contra Iudaeos cap. 9. *Haec operatum Chriſtum nec vos diffitemini*. Ad haec miracula a Chriſto ſpectantibus omnibus fuerunt peracta: vertit, ut diximus, aquam in vinum convivis adſtantibus, nec minima copia, ſed metretis duodecim, quarum ſingulae, ut inquit Epiphanius, continebant ſextarios 72. ſive duodecim congios; hominem vexatum maligno ſpiritu & in medio iactatum ſanavit ſpectante univerſa Synagoga: caecum a nativitate omnibus notum illuminavit, fruſtra Phariſeis hoc miraculum obſcurare adnitentibus: paralyticum dimiſſum a tecto ſanitati reſtituit coram immenſa populi multitudine: infirmum ab annis 38. laborantem ad Probaticam, ubi maximus confluebat languentium & adſtantium numerus, curavit: magnam hominum turbam cunctis videntibus ac ſtupentibus, ſatiavit paucis piſciculis & quinque panibus hordeaceis; Lazarum denique, ne ſingula perſequar, coram ſororibus, & Phariſeis compluribus, aliisque ad monumentum concurrentibus, revocavit ad vitam. Igitur haec a viris probis enarrata, aſſerta ab omnium hominum genere, ab adverſariis quoque litteris tradita, necnon patrata in conſpectu tam credentium, quam non credentium, fidem derogare aut extremae dementiae eſt, aut incomparabilis pervicaciae.

XXXVIII. *De Lazari ſuſcitatione.*

XXXVIII. Chriſti autem miraculum poſtremo loco commemoratum peculiari indiget adnotatione, quum vel ipſum ſolum valeat ora perfidorum obtundere. Ac primum nequit in dubium revocari, ut dixi.

diximus paullo ſupra, quum Iudaei permulti, qui in Mariae ac Marthae domum convenerant, Io. 11. 31. teſtes adſuerint. Deinde fingi nequit Lazarum apparenter ſuſcitatum, quum abſente Domino tumulo fuerit conditus; ipſimet Iudaei admoverint lapidem; ubi e monumento prodiit manibus pedibusque ligatus, & a circumſtantibus fuerit ſolutus: facta deinceps coena, ipſe Lazarus unus fuerit e circumſtantibus. Legendi S. Cyrillus lib. VIII. in Ioannem, Chryſoſtomus hom. 63. & Auguſtinus Tract. 50. Ad haec nulla virtute naturali ſuſcitari poteſt mortuus quatriduanus: quamvis enim nonnulli correpti ſyncope, aut alio genere morbi, interdum iaceant ſenſu penitus deſtituti, vix horis viginti quatuor poſsunt ſic permanere iuxta Schenckium, Benivenium, Zachiam, ceterosque medicae artis peritiſſimos. At Lazarus nec huius generis infirmitate ſublatus eſt, quum antea aegrotus occubuerit, nec tam brevi horarum ſpatio rediit ad ſenſuum officia. Rurſus nemo dixerit hoc ſignum patratum fuiſſe *in nomine Beelzebub*, aut magico ſubmiſſoque ſuſſurro, quoniam Dominus & Patrem oravit, & coram omnibus ut ſe glorificaret obteſtatus eſt, atque magna voce clamavit, *Lazare, veni foras*. Poſtremo non tantum e ſepulcro Lazarus prodiit, ſed etiam prodiit pedibus ac manibus vinctis, & velata facie progreſſus eſt ante Dominum, quod *miraculum in miraculo* appellant Patres.

XXXIX. *Quae adverſus Chriſti miracula opponi ſolent.*

XXXIX. Ad oppugnanda edita a Chriſto miracula cum Iudaei, tum Pagani omnem moverunt lapidem. Principio aiunt, uſum praeſtigiis, & in Beelzebub, Daemonioque principe improborum ſpirituum maleficia ſolviſſe. Addunt exſcripto e Templi penetralibus tetragrammato Dei nomine, Ieſum mira patraſſe. Opponunt Veſpaſiani opera, quibus fertur caecum viſu reſtituto, aegrosque alios pulſis morbis ſanaſſe, atque Hadrianum, dum febrientem tetigit, incolumen illum reddidiſſe; Veſtalem quoque Virginem, quae cribro aquam detulit, in medium proferunt, recitantque Apollinis, aliorumque idolorum emiſſa e mutis ſimulacris oracula. Verum nequeunt haec Reparatoris noſtri divina ac mirabilia opera ullatenus elevare. Enimvero quantum ad primum attinet, depulit ipſe Dominus hanc calumniam firmiſſima hac ratiocinatione Matth. 2. *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur: ſi Satanas Satanam eiicit, igitur diviſus eſt. Si autem diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Qua ratiocinatione oſtendit, inſanum eſſe qui putat a daemone fieri, quae eius cultum evertunt, & idola peſſundant. Quod ſecundo loco obiicitur a Iudaeis, primum ſi gratis adſtruatur, probeturque, duntaxat oſtendit Dominum mira parraſſe in Dei nomine; deinde multi Rabbinorum cum Abrham Proſelyto lib. *Nitzachon* commenti ſunt, Chriſtum non vi divini nominis, ſed magica arte, quam in Aegypto didicerat, miracula perfeciſſe: quod poſtremum refellitur ex quo ex Aegypto redierit bimulus, & ſtatim ac obierat Herodes; ut mittam damnatas Evangelicis praeceptis

ptis magicas artes, harumque vim Chriſti virtute confractam, ut fatebatur quoque Porphyrius hoſtis infenſiſſimus Chriſtiani nominis, apud Euſebium lib. v. Praeparat. Evangelicae. At miracula Veſpaſiani, ſi vera fuiſſent, Deo tribuenda eſſent, qui illum elegerat illatae Chriſto mortis vindicem & ultorem. Tacitus tamen lib. Hiſt 4 narrat oblato ſibi caeco, aut potius tabe oculorum affecto, Veſpaſianum primum *irridere, aſpernari; deinde vocibus adulantium in ſpem induci*, medicos etiam affirmaſſe *non eſſe illi penitus exeſam vim luminis*: quae commonſtrant in iis, quae prodigia dicuntur, adulantium fraudes latitaſſe. De Hadriano inquit Spartianus cap. 25. *Marius Maximus haec per ſimulationem facta commemorat*. De Virgine Veſtali duo perſpicua ſunt, factum ſuperius enarratum non eſſe ſupra daemonum poteſtatem; ac ſi foret, in teſtimonium pudicitiae eveniſſe, non ad Veſtae, alteriusve profani Numinis comprobandam divinitatem. In ea denium, quae de Oraculis Idolorum dicuntur, haec animadvertimus: Primo idem Apollo ex oraculo pronuntiavit Chriſtianos ſibi impedimento eſſe, quominus vera praediceret. Legite Epiſtolam Conſtantini ad Provinciales apud Euſebium de Vit. Conſt. lib. II. cap. 50. & S. Ioan. Chryſoſtomi Orationem de Babyla Martyre. Praeterea iidem Gentiles idolorum oracula falſa exiſtimarunt. Adite Origenem lib. VII. contra Celſum, Euſeb. lib. IV. Demonſt. Evang. Caelium Rhodiginum lib. II. Lect. antiq. & Antonium Van-Dale de Oraculis. Rurſus ipſimet idololatrae Deorum vaticinationes contempſerunt, ut Alexander pugnaturus adverſus Perſas, Hector apud Homerum in Iliade, Annibal in Plutarcho. Ad haec Daemones plura a nobis diſſita enuntiare poſsunt, rerum experientia, acumine ſenſus, velocitate motus, atque ex Prophetarum vaticiniis, quae & ipſi norunt. Hoc aperte demonſtrant Tertullianus cap. 22. Apologetici, Athanaſius in Vita Antonii, & Auguſtinus in libro de Divinat. Daemonum. Poſtremo idolorum oracula inepta erat & flexiloqua, adeo ut ſors ipſa referenda eſſet ad ſortes, & interpres egeret interprete, uti Lib. II De Divinat. monuit Tullius: ſit in exemplo illud Apollinis,

Perdet Halyn Craeſus tranſgreſſus maxima regna;

& aliud,

Ait te Aiacida Romanos vincere poſſe.

His vero obiectio ultima invicte refellitur. At nos ad inſtitutum revocemus.

XL. *De Chriſti ad regem Abgarum litteris.*

XL. Miraculis a Chriſto patratis, Evangelii praedicatione, vitae ſanctimonia, Apoſtolorum, mulierum, aliorumque illi addictorum caſtigatiſſimis moribus, rebusque aliis ab eo geſtis, longe lateque ipſius Chriſti fama diffuſa eſt: adeo ut ſententia ſit plurimorum, ad eum dediſſe litteras, & viciſſim accepiſſe Abgarum regem Edeſſenorum: quarum litterarum exemplar e Syriaca lingua Graece redditum profert

lib.

lib. 1. H. E. cap. 13. Euſebius. Vtramque epiſtolam ſpuriam cenſent Canus lib. XI. cap. 6. Nat. Alex. Diſſ. III. Saec. 1. Grav. Diſſ. XIII. de Myſt. & Annis Chriſti, Card. Gotti de Lib. Novi Teſt. cap. 4. atque ex Acatholicis Caſaubonus Exercit. 33. Baſnagius ad An. Ch. 29. Clericus ibidem, aliique permulti. Contra pugnant pro iisdem epiſtolis Gretſerus de Imaginibus non manufactis cap. 3. Serrius Exercit. 46. Honoratus in Animadv. Criticis lib. IV. Diſſ. 6. & ex hsereticis Centuriat. lib. 1. cap. 2. Ric. Montacutius. Tom. 1. p. 2. Orig. Eccl. Cave de Script. Eccl. & Erneſtus Grabe in Spicilegio, ubi Nstalem Alexandrum exagitat. Prioris, & negantis ſententiae haec ſunt fulcra. Primo Gelaſius utramque epiſtolam an. 494. declaravit *apocryphum*. II. Auguſtinus lib. 1. de Conſensu Evang. cap. 7. & Hier. in cap. 45. Ezecch. affirmant Chriſtum nihil ſcripſiſſe. III. S. Thomss 3. p. q. 42. art. 4. demonſtrat ad Chriſti dignitatem ſpectsſſe, doctrinam cordibus imprimere, non autem litteris. IV. Si revera Chriſtus epiſtolam propria manu exaraſſet, nonne illius meminiſſent Evangeliſtse? V. Saltim divinsrum Scripturarum Canoni fuiſſet inſerta. VI. In Abgsri epiſtola expreſsius dicitur Chriſtus verus Deus, quam in Teſtamenti Novi Codicibus; id, quod ab Ethnico nondum fide imbuto aſſertum fuiſſe, videtur inveriſimile. VII. Si priſcis ſaeculis eaedem epiſtolae obtinuiſſent, Patres illarum auctoritate Arianos, ceterosque haereticos refutaſſent. VIII. In Actis Edeſſenis, ubi continetur, dicitur Chriſtus Thaddaeum miſiſſe ad Abgarum anno Edeſſenorum 430. quo anno Chriſtus nondum praedicationem inchoaverat. Haec adverſus commemoratas epiſtolas. Pro iisdem vero militant quae ſequuntur: I. Eruit has litteras, ut diximus, ex Edeſſenis Archiviis Euſebius vir accuratiſſimus ac doctiſſimus. II. Illarum meminerunt Hieronymus lib. in Matth. Evangrius lib. IV. H. E. cap. 27. Procopius apud Photium Cod. 63. Cedrenus lib. II. Hiſt. Eccl. III. S. Ephrem, qui Eccleſiae Edeſſenae ignorsre non poterat trsditionem, easdem concelebrat. IV. Laudarunt epiſtolas ipſas Darius Comes in epiſt. 263. ad Aug. Theodorus Studita in epiſt. ad Paſchslem Romanum Pontificem, & Ioannes Dsmsſcenus lib. IV. de Fide Orthod. cap. 17. Neque Auguſtinus Darium, neque Paſchalis Theodorum, neque quiſpiam S. Ioannem Damaſcenum erroris redarguit. V. Servstas easdem literas, atque ab omnibus habitas genuinas usque ad an. Ch. 1035. teſtantur Zonaras, Cedrenus, Nicetas, alii. VI. Vt genuinss laudavit Gregorius II. an. 726. in epiſt. ad Leonem Iſauricum. Hsec ſunt brevi ſtilo contracta utriusque ſententiae munimenta. Quae arridet magis, esm quisque ſeligat.

XLI. *Definitur annus Paſſionis Dominicae.*

XLI. Ad Chriſti paſſionem, omiſſis quae minus neceſſaria videntur, anguſtiis temporum coacti progredimur: atque paſſum Dominum affirmamus an. Aer. Vulg. 29. *Coſs. duobus Geminis*, anno 18. Impetii Proconſ. Tib. Caeſ. & 15. Imperii Auguſtalis. Huius ſen-

ſententiae haec ſunt munimenta. Primum diximus baptizatum Dominum anno Aer. Vulg. 26. & poſt baptismum quatuor Paſchata celebraſſe, ideoque cruci anno eiusdem Aerae 29. ſuffixus fuit. Deinde Tertullianus adverſus Iudaeos cap. 8. inquit: *Quae paſſio huius exterminii intra tempora 70. hebdomadarum perfecta eſt ſub Tib. Caeſare Coſs. Rubellio Gemino & Rufio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchae, VIII. Kalendarum Aprilium.* Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 54. *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Coſs. VIII. Kal. Aprilis.* Similia Victor Aquitanus in Chronico Paſchali edito an. 457. & vetuſtiſsimus Catalogus Romanorum Pontificum, incipiens ab hiſce verbis: *Imperante Tiberio Caeſare paſſus eſt D. Ieſus Chriſtus, duobus Geminis Coſs. VIII. Kal. Aprilis.* Praeterea idem eruitur ex quo Chriſtus paſſus fuerit anno aetatis ſuae 33. ut Martyr Ignatius, Chryſoſtomus, Leontius Byzantinus, aliique Patres affirmant. Vlterius idem evincitur ex Notis Chronologicis; quarum prima petitur ex excidio Ieroſolymitano, quod veteres concordiſsime conſignant anno 42. a Chriſti paſſione, certum eſt autem eveniſſe anno Aerae Vulg. 70. Altera depromitur a martyrio Apoſtolorum Petri & Pauli, quod ex Hieronymo de Script. Eccl. figendum eſt anno 37. poſt paſſionem Domini; compertum eſt autem contigiſſe anno 65. Aerae Vulg. & Neronis 12. Tertia colligitur ex quo a Chriſti morte usque ad Conſulatum Valentiniani & Valentis Iunioris, ſive usque ad an. Ch. 378. fluxerint, ex Chronico Heronymi, anni 349. & usque ad Conſulatum Stiliconis, qui Conſul prodiit anno Chriſti 400. ex Severo Sulpitio exacti fuerint anni 371. Si enim ab anno Aerae Vulg. 70. detrahantur anni 41. erit annus eiusdem Aerae 29. idem reſiduus erit annus, ſi detrahantur anni 36. ab anno 65. idem ſi ab anno 378. anni 349. & ab anno 400. anni 371. fuerint detracti. Chriſtum itaque paſſum anno Aerae Vulg. 29. ex definita baptiſmatis Epocha, ex anno aetatis ſuae 33. quo crucem ſubiit, ex nota Conſulatus duorum Geminorum, ex traditione veterum Patrum, atque ex Chronologicis ſupputationibus demonſtratum eſt hactenus.

XLII. *Expenduntur contraria momenta, & agitur de die Dominicae Crucifixionis.*

XLII. Modo expendenda ſunt praecipua illorum momenta, qui Dominum ſuffixum cruci exiſtimant an. Aer. Vulg. 33. aetatis ſuae 37. Principio aiunt hanc eſſe poſt Vſſerium communem recentiorum opinionem, & argumentis a Natali Alexandro productis valide praemunita. Sed reponimus ſententiam Patrum non eſſe temere abiiciendam, maxime quod eam propugnarunt ex recentioribus Antonius Capellus, Henſchenius, Noriſius, Pagius, Graveſonius, Blanchinius, Clericus, ita ut nec infirmior evaderet, ſi numero auctorum duntaxat pugnandum foret. Inquiunt, Chriſtum fuiſſe paſſum in medio hebdomadis 70. iuxta vaticinium Danielis cap. 9. ideſt, anno 487. ab hebdomadarum initio, qui annus concurrit cum anno 33. Aerae

rie Dionyſianae ; cum hebdomadae illae ſupputandae ſint ab anno 20. Artaxerſis Longimani, ſive ab anno ante eamdem Aeram 454. Verum nos prolixa diſſertatione oſtendimus praedictas hebdomadas ab anno ante Aeram Vulg. 457. ſupputari oportere ; ideoque hac argumentatione ſententia noſtra non quatitur, ſed fulcitur. Inſtant, apertum eſſe Dominicae Paſſionis characterem, eclypſim ab Evangeliſtis commemoratam, & a Phlegonte antiquiſſimo Olympiadum ſcriptore relatam ad an. 4. Olymp. 202. qui eſt 33. Aerae Ch. At reſpondemus, non in annum 4. ſed in annum 2. praedictae Olympiadis conſignatam fuiſſe a Phlegonte memorandam illam eclypſim, licet Euſebius in Chronico ſcripſerit, *anno* 4. Videatur teſtimonium Phlegontis apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, & apud ipſumet Euſebium lib. VIII. Demonſtrat. Evang. pag. 558. Cum vero Iulius Africanus, qui omnium primus Phlegontem produxit, communem Aeram Olympiadum biennio fere anteverterit, ut demonſtrat Pagius ad ann. Ch. 32. ſequitur memoratam eclypſim contigiſſe an. 1. Olymp. 202. ideſt, an. Aerae Vulg. 29. Opponunt & diſſonantiam Patrum; quorum aliqui anno 15. Tiberii, aliqui anno 18. Dei hominis mortem conſignarunt. At haec quoque oppoſitio evaneſcit, ſi Proconſulare, & Auguſtaeum diſtinguantur Imperia. Demum ad Tabulas Chronologicas, & Aſtronomorum calculos confugientes aiunt, primam azymorum diem, qua certum eſt Dominum crucifixum, die tantum tertia Aprilis, vertente anno Vulg. Aerae 33. incidiſſe in ſextam feriam. At enim iſtud quoque momentum, tametſi praecedentibus gravius ac difficilius, multiplici ratione eliditur: ac primo quoniam ſaepe ſaepius Aſtronomorum tabulae emendatae fuerunt, nec modo conſtat, num aliqua morula aſtrorum motus intuitum, rationesque calculantium effugerit. Deinde quia ſi ad unum annum retrahantur Conſulatus; in diem 15. menſis *Niſan*, ſcilicet in plenilunium, etiam iuxta calculos Aſtronomicos incidit *ſub Geminis* ſexta feria, qua paſſus eſt Dominus. Rurſus, quia ab Herode & Soſio expugnatis Ieroſolymis, recepta in uſum Periodo Romano-Iudaea, perturbatae fuerunt lunares phaſes, atque ut demonſtrat Samuel *Petit* in Eclogis Chronologicis, Lunaris dies quintusdecimus *Niſan* fuit e propria ſede divulſus. Poſtremo, quia Dominum paſſum die 25. Martii tradiderunt praelaudati Patres Tertullianus & Auguſtinus, quibus accedunt Hyppolytus Portuenſis in tabula marmorea, adhuc aſſervata in Bibliotheca Vaticana, & antiqua Martyrologia Adonis, Vſuardi, Hieronymi, necnon viginti antiquiſſima MSS. quae laudat Henſchenius, aliaque innumera monumenta. At Chriſtum mortuum die 3. Aprilis, ante ſaeculum tertiumdecimum nemo unus aſſeruit. Abſolvamus itaque hanc chronologicam poſitionem verbis Auguſtini in IV. de Trinit. cap. 5. *Octavo enim Kalendas Aprilis* (Chriſtus) *conceptus creditur, quo & paſſus.*

XLIII. *De poſtremo Paſchate quod a Chriſto celebratum fuit quae praecipuae*

XLIII. Pridie, quam pateretur, Dominus Paſcha cum Apoſtolis celebravit, de quo Paſchate plura occurrunt examinanda; ac primum, num die decimaquarta, an decimaquinta menſis *Niſan* Phaſe a Iudaeis fuerit immolatum; ſecundum, num tempore Paſſionis Dominicae Iudaei ſinguli eamdem Neomeniam ſervantes Paſcha una eademque die manducaverint; tertium, an Chriſtus legale Paſcha revera cum diſcipulis celebraverit; quartum, num celebraverit eadem die, qua celebrarunt Iudaei; quintum, an ſaltim Iudaeorum aliqui Paſcha diſtulerint in diem proximum; ſextum, quibus ceremoniis hoc feſtum fuerit a Chriſto peractum; poſtremum, qua ratione inſtitutum fuerit in ipſo Paſchate Euchariſtiae Sacramentum. A priori itaque quaeſtione Diſſertationem aggrediamur: Phaſe igitur Iudaicum Paſcha immolandum fuiſſe Luna decimaquarta exeunte, ideſt, horis pomeridianis diei 14. menſis *Niſan*, adverſus Scaligerum, Oleaſtrum, Didacum Stellam, Baſilium Poncium, & Aloyſium Legionenſem, aperte demonſtratur ex cap. 12. Exodi, ubi de agno in Paſchate mactando praecipitur, ut aſſervetur usque ad diem 14. *Niſan*; ac tum additur: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*, ſive, ut habent Hebraicus, Samaritanus, & Arabicus Codex, *inter duas veſperas*, unam videlicet praefatae diei 14. quando Sol incipit declinare, alteram poſt Solis occaſum, quando inchoatur dies 15. ſive ſolemnitas azymorum. Praeterea habetur Deut. 16. *Immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Aegypto*. Iudaei autem nocte praecedente diem 15. fugam arripuerunt, quum hoc die profecti fuerint de Rameſſe, ut legimus Numer. cap. 33. Vlterius prima dies azymorum incipiebat Luna 14. menſis primi, & dies proxima decimaquinta erat azymorum Solemnitas, ut conſtat ex Levitici cap. 23. At Phaſe primo die azymorum immolabatur, ut legimus Marci 14. & Lucae 22. *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant*. Litem tandem dirimunt Iudaeorum antiquiſſimi ac doctiſſimi, qui gentis ſuae ignorare non poterant conſuetudinem: inter quos Ioſephus lib. vi. de Bello Iud. cap. 9. ait Paſchales victimas mactari die 14. poſt meridiem, & poſt iuge ſacrificium ab hora nona usque ad undecimam. Idem ſcribit Rab. Maimonides in *Korban Peſach*. Recte Hieronymus in cap. 26. Matthaei ait agnum immolatum abiecto fermento, & quando Luna pleniſſima eſt, ideſt, die 14. deſinente, & Solemnitate Azymorum iam iam inchoata. Quod autem movebat viros doctos, inveriſimile eſſe inter agni Paſchalis immolationem, exitumque Hebraici populi de Aegypto, unam tantum noctem interceſſiſſe, propterea quod tam brevi ſpatio congregatum populum diſperſum in terra Geſſen, petita, & acceptа ab Aegyptiis vaſa aurea & argentea, mota Iſraelitarum caſtra, commotum Pharaonem, aliaque plura eveniſſe, res incredibilis videatur; facile diluitur dicendo plura ex his praeceſſiſſe, Hebraeosque feſtinantes &

ad

ad iter accinctos, immolato agno & Paſchate celebrato, Luna decimaquinta ex Aegypto profectos, ut fuſe narrat lib. II. Antiq. cap. 14. Ioſephus Flavius.

XLIV. Exeunte itaque Luna 14. Iudaei Phaſe mactarunt, neque ita diviſi ſunt, ut duplici utentes calculo quidam praefata die, quidam vero die altera Paſcha peregerint. Id adverſus Peſeronium, Harduinum, & Bucherium aſſerimus proximis innixi argumentationibus. Sit prima: Immolabatur Phaſe ab univerſa multitudine filiorum Iſrael, ut legimus Exodi 12., ideſt, ab omni coetu Synagogae in unum confluentis, ut explicant Targum Ieroſolymitanum, & Textus Sammaritanus. At non fuiſſet immolatum in coetu univerſae Synagogae, ſi Galilaei una die, Ieroſolymitani die altera id perfeciſſent. Deinde inducta ea diſtinctione non fuiſſet ſublatum prima die azymorum ex omnibus Hebraeorum domibus fermentum, contra Domini mandatum Levitici 23. atque ignotum fuiſſet, qua die offerendus eſt ſpicarum manipulus, qua itidem die Feſtum Pentecoſtes agendum. Accedit tertia argumentatio: Neomeniam, ex qua ſemel definita fixa erat Luna Paſchalis, deſignabatur a Synhedrio, non ex Aſtronomorum cyclis, ſed ex prima ſenſibili Lunae apparitione; ut docent Philo Iudaeus in libro de Septenario, Rab. Maimonides de Feſt. cap. 1. §. 5. Scaliger lib. II. de Emendat. temp. ac Petavius in Notis ad Epiphanium. Indicebatur etiam Neomenia per tibicines, ut animadvertit Ioan. Lorinus in Pſalmum 80. Commentitia eſt itaque duplex illa Neomenia ex variis cyclis inducta. Tandem initiitur opinio hactenus exagitata regulae Rabbinicae *Lo Badu*, quam certum eſt fuiſſe commentum longe poſt Chriſti tempora excogitatum, teſtante *Rab. Abenezra* in cap. 23. Levit. & *Thalmud* ipſo in *Miſna*, etiam in *Badu*, ideſt, ſecunda, quarta, & ſexta feria Paſcha mactari.

XLIV. *Diluitur quaeſtio altera.*

XLV. Proxima quaeſtio tertia ita dirimitur. Etiam Salvator crucem ſequenti die ſubiturus legale Paſcha peregit, quidquid in contrarium aut aſſertive, aut opinative tradiderint praeclari, doctique viri, Bernardus Lamy, Toynardus, Auguſtinus Calmet, ac Tourmeminus, etiam a nobis prolixiori Diſſertatione refutati. Nam Matthaeus cap. 26. Marcus cap. 14. & Lucas cap. 22. aiunt Diſcipulos Dominum prima die azymorum interrogaſſe, ubi parare debuiſſent Paſchalem Coenam; profectos in civitatem Ieruſalem inveniſſe coenaculum ſtratum, ſcilicet, ad eam rem pro hoſpitibus illuc advenientibus iam inſtructum; atque facto veſpere ibi cum diſcipulis diſcumbentem Paſcha Dominum manducaſſe, prout ſummopere deſideraverat. Quis autem ignorat, Paſcha prima die azymorum & ad veſperam celebrandum, illud quod Paſchatis utrique & diſcipuli & cives Ieroſolymitani, & Iudaei omnes intelligebant, illud quoque, cuius gratia ampliora ſternebantur coenacula, fuiſſe Paſcha legale, in veteri

XLV. *Expeditur quaeſtio tertia.*

Teſtamento praeſcriptum, atque a coetu filiorum Iſrael, cunctisque familiis ſimul iunctis concelebratum? Vlterius aſſertio noſtra eſt Tridentinae Synodi ſeſs. 22. cap. 1. haec habentis: Nam celebrato veteri Paſchate, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum inſtituit Paſcha. Similia Cetech. Rom. p. 2. cap. 4. ſimilia Eccleſia in hymnis, quos canimus in Corporis Chriſti Solemniis: ſimilia Iureconſulti omnes in cap. *Accipite*, de Conſecr. diſt. 2. Similia Chryſoſtomus Hom. 81. in Mat. Ambroſius epiſt. 23. ad Epiſcopos Aemiliae, atque, ut ceteros omittam, Hieronymus in cap. 26. Matthaei. Demum ſententia oppoſita excogitata fuit a Marcionitis, eamque plane haereticam cenſet Franc. Suarez in 3. p. diſp. 40. Harduinus in Diſſ. de ſupremo Chriſti Paſchate, a qua tamen cenſura nos abſtinemus.

XLVI. *Quarta poſitio ſtatuitur.*

XLVI. At praevenit ne Salvator diem Paſchatis, an uno eodemque die cum Iudaeis agnum typicum manducavit, quae eſt propoſita theſis quarta? Non praevenit, manducavitque Dominus myſticum phaſe eadem cum Iudaico populo veſpera; id, quod ſacillime adverſus Graecorum nonnullos autumantium inſtitutam a Chriſto Euchariſtiam nondum ſublato a domibus Iudaeorum fermento, hac ratiocinatione ſuadetur. Teſtantur Evangeliſtae ſuperius laudati, Diſcipulos ad Dominum priusquam Paſcha pararent acceſſiſſe prima die azymorum quando Paſcha immolabant, in qua neceſſe erat occidi Paſcha; ita enim expreſſis verbis loquuntur. Haec vero aperte innuunt & azymorum tempus, & communem conſuetudinem, & veterem inſtitutionem; ideoque haec omnia Salvator in Paſchate poſtremo ſervavit. Ad haec Chriſtus, quamvis legi minime ſubiectus, illam tamen implevit: fregiſſet autem, ſi ante ſtatutam diem Paſcha manducaſſet, atque id egiſſet nondum a multitudine filiorum Iſrael agno mactato. Deinde cur Apoſtoli adeo ad parandum Paſcha ſoliciti, ſi nondum publica & celebris inſtabat ſolemnitas? Quem in uſum ſtrata iam, ac parata coenacula, advenisque ianuae Ieroſolymitarum apertae? Tandem, niſi Chriſtus una cum ceteris manducaſſet legale Paſcha, Phariſaei adverſus illum falſa crimina obtendentes, hanc publicam Moſaicae Legis tranſgreſſionem illi obiecisſent: neque enim & ipſi, aut omnes, aut pars, Paſcha in proximum diem diſtulere, ut mox oſtendam.

XLVII. *Statuitur quinta poſitio.*

XLVII. Commentitia ac falſa cenſenda eſt opinio aſſerentium anno Dominicae Paſſionis Iudaeorum aliquos Paſcha ad diem Sabbati proximum, ſive ad Lunam 15. exeuntem diſtuliſſe; tametſi Paulus Burgenſis, Carolus Sigonius, Gerardus Voſſius, & Chriſtianus Lupus acerrime opinionem illam propugnent. Et quidem eadem opinio duplici nititur fulcimento, videlicet regulae *Badi*, & Ioannis Evangeliſtae aſſerentis in die Chriſti emortuali nondum Iudaeos Paſcha manducaſſe. At regula illa paullo ſupra explosa fuit: Ioannis

nis autem verba commodiorem interpretationem, ut infra dicam, expoſtulant. Deinde ex ipſo Ioanne cap. 18. Iudaei feria ſexta Pareſceve, qua Dominum crucifixerunt, ſolemnitatem agebant; dixerunt enim Pilato, *Nobis non licet occidere quemquam*. Cur autem id eis non licebat? aut propter ius ſanguinis ipſis a Praeſide denegatum, aut propter ſolemnitatem diei feſti, quam inchoaſſent. Sane primum dici nequit, eo quod ius illud eis ultro Pilatus largiebatur, dicens: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum*. Igitur *intelligendum eſt eos dixiſſe non ſibi licere interficere quemquam propter diei feſti ſanctitatem, quam celebrare iam coeperant*, inquit Aug. tract. 114. in Ioan. num. 2.

XLVIII. *Ioannis teſtimonia, quae dictis videntur oppoſita, explicantur, & expenduntur.*

XLVIII. Quoniam vero opinationes ſuperius exagitatae originem habuerunt a difficillimis quibusdam Ioannis Evang. verbis, quae ſpecietenus videntur aliis Evangeliſtis contraria; perſpicua erit ſtatuta hactenus veritas, ac diluta adverſariorum momenta, ubi eadem Ioannis verba fuerint breviter explanata. Itaque Ioannes cap. 13. ait Chriſtum ſupremam coenam inſtituiſſe *ante diem feſtum Paſchae*: quomodo ergo, inquiunt, eam peregit nocte Lunam decimamquintam praecedente, quando iam inceperat azymorum ſolemnitas? Reſpondemus complures viros doctiſſimos in ea verſari ſententia, quod coena cap. 13. Ioannis commemorata non fuerit ſuprema, ſed quae facta fuit in Bethania, poſtquam Iudas adiit Sacerdotes, & tradendi Magiſtrum pactum iniit: ſed dato, fuiſſe coenam Paſchalem, & ultimam, dicimus feſtum Paſchatis incepiſſe a media nocte, etſi aliae feſtivitates Iudaeorum inciperent a veſpera, quoniam in noctis medio percuſſit Dominus primogenitos Aegypti, ac ſtatim Hebraei iter arripuerunt, quare ante dimidium noctis coena peracta, recte dicitur a Ioan. *Ante diem feſtum Paſchae*. Niſi haec arrideat reſponſio, nodum ſolvit dierum legalium, & naturalium diſcrimen; legatur tamen Bibl. Rab. tom. II. pag. 756. Ait praeterea Ioannes cap. 18. de Iudaeis: *Ipſi non introiverunt Praetorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Haec die 15. ante horam ſextam evenerunt: qua itaque ratione Paſcha die tranſacto comederant? Reſponſio in promptu eſt: Paſchatis nomine non ſolum deſignari agnum typicum Luna 14. immolandum, ſed etiam victimas ovium, & bovum proximis azymorum diebus oblatas, & in conviviis abſumptas: nam Deut. 16. habetur: *Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*, & 2. Paralip. cap. 35. *Dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boves quingentos*. Ob easdem victimas omnes dies azymorum Paſcha appellatos colligitur ex Act. Apoſt. cap. 12. verſ. 3. & 4. Vlterius Ioannes cap. 19. diem, qua crucifixus eſt Dominus, appellat Pareſceven *Paſchae*. Paraſceve idem eſt, ac praeparatio, dixeris ſolemnitatis vigiliam. Proxima igitur dies erat Paſchatis feſtum ſanctiſſimum & celeberrimum. Verum & huic difficultati occur-

occurrimus reponendo, a Ioanne revera significari Paraſcevem Sabbati, ac dici Paſchae, quoniam erat dies Paſchatis: nam Marcus cap. 16. inquit, *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum*. Denique aiunt: Ioannes eo loci eumdem Sabbatum, diem ſcilicet, quae ſubſecuta eſt mortem Domini, diem magnum appellat; *Erat enim* (inquit) *magnus dies ille Sabbati*. Cur *magnus*, niſi quia Sabbati & Paſchatis dies ſimul celebrabantur? Reſponſum teneto. Secunda die azymorum populus templum adibat cum victimis pacificis, ut colligitur ex cap. 12. Exodi; eademque die offerebatur ſolemni ritu ſpicarum manipulus, ut praecipitur cap. 13. Levitici. Harum ceremoniarum acceſſione dies ad paſſionem Domini proximus *dies magnus* appellari promeruit. His vero etſi non omnia, praecipua tamen obiecta diluimus: nam cetera obvia ſunt, & lib. xxxiii. Theolog. Diſc. cap. 2. pluribus expedita. Quamobrem ad ceremonias a Chriſto in ultima coena ſervatas convertenda eſt oratio.

XLIX. *Ritus olim in Paſchatis celebratione ſervati.*

XLIX. Hic autem celebrandi Paſchatis erat uſus; I. Rector familiae cum domeſticis ad eſum agni conveniebat, & ſi pauci eſſent numero, vicinos adſumebat, nequid reſiduum foret, ex cap. 12. Exodi v. 4. Id Chriſtus ſervavit totam familiam ſuam, ideſt, duodecim Apoſtolos coadunans. II. Inſtituebatur convivium nocte, parabantur, coenacula, coquebantur cibi; neque id a Domino praetermiſſum. III. Licet in Aegypto Iudaei Paſcha manducaverint ſtantes, & accincti renibus, tanquam ſervi, & ad fugam parati: in terra tamen promiſſionis, tanquam domini, atque ſuamet in patria, agnum decumbentes edebant: quod & Chriſtus fecit diſcumbens cum ſuis cubitu ſuffulto capite, & pectore ad latus obverſo, ita ut prope gremium ac pectus, permanens eo corporis ſitu haberet diſcipulum, quem diligebat, Ioannem ſcilicet. IV. Vt referunt Maimonides, aliique pertractantes de Iudaeorum ritibus, panem benedicebat & diſtribuebat diſcumbentibus: quod & Dominus praeſtitit Euchariſtiam inſtituens premiſſa benedictione ac fractione. V. Ex communi Hebraeorum traditione poſt coenam Paterfamilias peculiarem calicem benedicebat, eique admixta aqua, illum tradebat convivarum proximo, atque is alteri; quare S. Lucas cap. 22. recte ad hunc calicem refert Euchariſtiam ſub vini ſpecie inſtitutam, dices: *Similiter & calicem, poſtquam coenavit, &c.* VI. Poſt coenam legalem, cuius apparatus erat agnus aſſus, panis azymus cum lactucis, ideſt, intybo, cichoreo, & marrubio, quae potius ad ſignificationem myſterii, quam ad refectionem parabantur; omnes ſurgebant e coena, atque iterum manus, pedesque lavabant, uti etiam Scaliger, Lightfootius, ac Baſnagius fatentur: atque id & Salvator perfecit, dum ſurgens a coena, & veſtimenta deponens in ſignum dilectionis, & in exemplum humilitatis lavit pedes Apoſtolorum. VII. Poſt pedum ablutionem rurſus diſcumbentes alteram perage bant coenam, qua placentae fruſtula in embammate, ſive condimento

ad

ad id parato intingebant, de qua comiſſatione plura Maimoniles, R. Eliezer, R. Salomon, omnesque libri Hebraeorum rituales: quae omnia Chriſtum ſervaſſe colligitur ex cap. 13. Ioannis, ubi legimus, coena facta ſurrexiſſe, linteoque praecinctum lavaſſe pedes diſcipulorum, deinde recubuiſſe iterum, ac panem intinctum dediſſe Iudae Iscariotae. VIII. Facta coena recitabant Iudaei hymnum magnum, ſive Pſalmum 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, addentes alios iuſta Hebraeorum Ritualia, & veterum Rabbinorum traditiones uſque ad Pſalmum 137. quamquam alii alia ſcribunt: de hoc hymno, ſive gratiarum actione Mat. cap. 26. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Ex his vero plura notationibus digna eruuntur; videlicet, Chriſtum Paſcha more Iudaeorum celebraſſe; miram eſſe inter Evangeliſtas cohaerentiam; Euchariſtiam inſtitutam in azymo poſt eſum agni in priori coena; poſt hanc, non antea, factam pedum lotionem a Ioanne deſcriptam; duos calices diſtinguendos; conſecratam vini ſpeciem in altero poſt coenam porrecto, ut loquitur S. Lucas; iure aquam in ſacra ſynaxi vino admiſceri, & Iudam Euchariſtiam percepiſſe, ſecus ac viſum fuerit nonnullis, bucellam tamen intinctam illi a Domino datam in altera cona, poſt pedum ablutionem, & cum Dominus recubuiſſet; ideoque hanc panis intincti bucellam non fuiſſe Euchariſtiae Sacramentum. Quamobrem non prorſus inutilis fuit haec veterum Iudaicorum rituum narratio.

L. *Nonnullae circa Euchariſtiam quaeſtiones exſpediuntur.*

L. De Euchariſtiae inſtitutione nonnulla addentes, a graviſſima ea quaeſtione abſtinemus, num in illa ſub panis & vini ſpeciebus verum Chriſti corpus contineatur, an ſignum & figura tantummodo; de qua plura apud Polemicae Theologiae tractatores: atque nonnullas tantum quaeſtiones hiſtoricas, quae dirimendae remanent, breviter attingemus. Igitur ſi petas I. qua in domo Chriſtus Sacramentum illud inſtituerit? Reſpondeo ab Evangeliſtis dici Patrem familias, & hominem quemdam, nemine prorſus expreſſo; Nicephorum lib. 1. H. E. cap. 18. Cedrenum in Comp. aſſerere, fuiſſe domum Ioannis Evangeliſtae: nobis neque huius, neque alterius Apoſtoli videri, cum omnes domum, omniaque Chriſtum ſequentes reliquerint: probabiliorem eſſe ſententiam aſſerentium, fuiſſe domum Ioannis cognomento Marci, & conſobrini Barnabae, ut demonſtrare nituntur Serrius Exercit. LI. Baronius ad Ao. 34. num. 22. Sandinus in Hiſt. Apoſtolica, & de Chriſto cap. 12. aliique complures. II. Si ulterius quaeras, num & Salvator Euchariſtiam perceperit? Reſpondeo affirmative cum S. Thoma 3. p. q. 81. art. 1. Ratio petitur ex Evangelio Lucae 22. ubi Dominus dixiſſe fertur, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*; quae verba Tertullianus lib. IV. contra Marc. & Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. acceperunt de Paſchate novo, ſcilicet de Euchariſtiae Sacramento, & qui accipienda dixere de Paſchate legali, novum minime excludendum putarunt. In eamdem ſententiam abiit S. Hieronymus ſcribens Epiſt. 150.

150. ad Hedibiam : *Dominus Ieſus ipſe conviva & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur.* Haud ſecus Gloſſa in cap. 87. diſt. 2. de Conſecr. ubi afferuntur hi verſus:

Rex ſedet in coena turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

Ratio item ſuffragatur ab Angelico Doctore producta, quoniam id, quod ab aliis fieri volebat, & ipſe ſervavit. Adde rationem alteram. In ultima coena Chriſtus factus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech obtulit Sacrificium, igitur & oblatam Hoſtiam abſumpſit. III. Si vero inquiratur, cuiusnam generis fuerit calix adhibitus in ſacroſancto myſterio; hanc tradimus reſponſionem. Catinum vili aeſtimandum pretio ad Euchariſticum cibum, & calicem item non argenteum, ſed vilioris materiae, puta luteum, aut vitreum, ad potum fuiſſe adhibitum ſcribit lib. II. Pedagogi cap. 3. S. Clemens Alexandrinus. At Beda de Locis Sanctis cap. 2. calicem fuiſſe argenteum, duas habentem anſulas, & capientem ſextarii menſuram, aſſetvatumque aetate ſua, & oſculari ſolitum per foramen operculi: quae probat ad An. Chriſt. 34. num. 63. Caeſar Cardinalis Baronius. Prior ſententia videtur paupertati Chriſti & Apoſtolorum, & etiam Patribus, praeſertim Chryſoſtomo Homilia 60. ad populum Antiochenum conformior: altera Paſchali Solemnitati, coenaculo, eiusque amplitudini, & liberalitati civium, qui advenis ac pauperibus aedes, & vaſa commodabant, quadrat magis. Certe Clemens Alexandrinus eo loci ſacram coenam peractam ait ſuper herbam, quod falſum eſt, nec indiget refutatione. IV. Si pulſet animum quaeſtio, cur ad imitationem Domini Euchariſtiam non percipiamus poſt coenam; reſpondendum eſſe arbitramur, hanc olim conſuetudinem in nonnullis Eccleſiis viguiſſe: id enim de Alexandrina teſtatur Sozomenus lib. VII. H. E. cap. 19. de Africana Cyprianus Ep. 63. ad Caecilium, & Epiſt. 118. ad Ianuarium Auguſtinus. Sed haec conſuetudo penitus abrogata fuit: primo, quia Euchariſtia nonniſi a ieiunis, etiam primis Eccleſiae ſaeculis ſumebatur, ut tradunt Tertul. lib. II. ad Vxorem cap. 5. & Cyprianus & Auguſtinus citatis in locis. Secundo, quia olim Marcionis gregarii, deinde Huſſitae dogmatizare auſi ſunt non niſi poſt coenam, ſolutoque ieiunio eſſe communicandum, vetuſtam conſuetudinem reprobantes. Tertio, quia decet in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intrare, quam ceteri cibi, inquit Aug. citata epiſt. ad Ianuarium, ubi & obiicientibus Chriſti imitationem ad hunc modum reſpondet: *Neque enim, quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut coenati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Salvator,*

ctor, quò vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, uſtimum hoc voluit inſigere cordibus, & memoriae diſcipulorum, a quibus ad Paſſionem digreſſurus erat. Quod hic nonnulli pertractant de Inſtitutione Feſti Corporis Chriſti, ad poſteriora tempora eſt referendum. Vide tamen, ſi lubet, lib. xxxii. Theolog. Diſcipl. cap. 12. theſ. 3.

LI. De his modo, qui fuerunt Dominicae Paſſionis auctores, atque adminiſtri, dicere inſtituamus; ac primo de Iuda Iſcariote, ac de pretio, quo Chriſtum Dominum vendidit. Iudae patria nondum ſatis comperta eſt. Nonnulli ex tribu Iſſachar ortum dixerunt, quidam ex urbe Carioth; ſed quoniam huius nominis duplex extitit civitas, una in tribu Iuda, Heſron alias appellata, de qua Ioſue cap. 15. alia in tribu Ephraim, de qua Ieremias cap. 48. incertum ex qua Carioth Iudas fuerit oriundus. Cenſeo non Carioth urbem, ſed Scarioth vicum in eadem tribu Ephraim proditori fuiſſe patriam: primo, quia id affirmat S. Hieronymus in cap. 28. Iſaiae: deinde quia Carioth ſcribitur cum litera ה. Iſcariothes autem cum litera ס. Verba S. Hieronymi in illud Iſaiae, *Pedibus conculcabatur corona ſuperbiae ebriorum Ephraim*, haec ſunt: *Appellantur & mercenarii Ephraim propter Iudam, qui de tribu Ephraim, & de vico eiuidem tribus Iſcarioth Dominum precio vendidit.* Pretium ſacrilegae proditionis fuit argenteorum triginta; ſed quanti pendant iidem argentei, definire arduum eſt. Permulti argenteos intelligunt ſiclos, ſed non conveniunt an ſacri fuerint, an profani, & quidam aiunt 30. argenteos idem eſſe, ac 30. alii 60. Romanos Iulios; nonnulli vero 150. Aliique cenſent argenteos fuiſſe nummos aureos, ſive argenti libras, quorum ſingulorum numerus valor fuerit decem coronatorum, adeout Chriſtus venditus fuerit coronatis 300. quale pretium, inquiunt Baronius ad An. 34. Eſtius in cap. 26. Matthaei & Camerarius de Re nummaria, ſat erat ad emendum agrum figuli, a pretio Sanguinis dictum *Hacel-Dama*. Quidam argenteum intelligunt denarium decem conſtantem obolis. Ego dico venditum Dominum denariis aut Iuliis 120. ſive Romanis ſcutis 12. Etenim Hebraeorum ſiclus, qui & ſtater dicitur Matth. 17. nummus erat argenteus habens drachmarum quatuor valorem. Rabb. *Kimchi* in 1. Samuelis inquit: Argenteus continet quatuor ſuſas. Susa eſt drachma Attica, ſive denarius *Romanus*; & Salom. *Iarchi*, Siclus pendet quatuor *drachmis*: quibus conſentit Evangeliſta ſcribens tributum ſolvendum Caeſari, quod erat dimidium ſicli, aut ſiclus minor, pendens Iuliis Romanis duobus, fuiſſe *Didrachma*; & expreſſius Hieronymus 4. Exech: Siclus, ſeu ſtater habet drachmas quatuor. Cum igitur drachma, ideſt, octava unciae pars idem habeat pondus ac nummus, quem Iulium dicimus; Iudas 120. Iuliis Dominum vendidit, quanti Exodi 21. aeſtimabatur caput ſervi. Hoc

LI. De Iuda ... d. ere.

vero pretium fat erat ad emendum agrum illum ad Auſtralem plagam montis Sion, cui a ſanguine nomen *Aceldama*, & quem petroſum quoque, ſterilemque fuiſſe, nec quinquaginta pedibus longiorem ſcribunt qui de Locis Sanctis accurate pertractant. Proditorem ſuſpendio ſeipſum necaſſe legimus cap. 1. Act. Apoſt. idemque tradunt Ignatius in epiſt. ad Philipp. Oecumenius in Act. Apoſt. Beda de Locis Sanctis cap. 4. aliique complures. In arbore nomine *Tramarice* ſuſpenſum putat Scaliger: in ficu V. Beda; idemque tradit Iuvencus lib. IV. Hiſt. Evang. his verbis,

Exorſusque ſuas laqueo ſibi ſumere poenas,
Infamem rapuit ficus de vertice mortem.

LII. *De Anna & Caipha.*

LII. Facta Iudae mentione, de aliis, qui in Hiſtoria Dominicae Paſſionis commemorantur, dicam nonnulla; ac primum de duobus Pontificibus maximis, Anna & Caipha. Movere enim aliquem poteſt, cur duo fungerentur Pontificatu, quod Legi adverſabatur Moſaicae, Baronius ad An. Chriſti 31. cenſet utrosque ſimul Principes Sacerdotum fuiſſe, Annam vero praefuiſſe Synhedrio, Caipham Sanctuario, ita ut ille Moſis, iſte Aaronis gereret vicem. Quamquam enim Synhedrii princeps foret de domo David, ideoque de tribu Iuda, tamen Herodes, ut inquit Philo in lib. de Temporibus, occiſis principibus de tribu Iuda, Annalenum quemdam praefuit Synhedrio. Hunc Annalenum eumdem fuiſſe ac Annam cenſet Cl. Annalium Parens. Verum ad Baronium nequaquam accedo; ſiquidem eo loci ait Philo, Annalenum fuiſſe cum aliis in Synhedrium ab Herode cooptatis proſelytum. Lucas itidem tam Annam, quam Caipham principes Sacerdotum appellat; ac praeterea Annam Caiphae praefert. Vlterius ipſe Anna Act. 4. 6. appellatur Pontifex Maximus. Arbitror itaque ruente ad exitium Iudaeorum Republica, immutatam veterem diſciplinam, & a Iudaeae praefectis ad libitum mutatos Pontifices, annuentibus principibus ex ſtirpe Herodis. Nam id affirmat Ioſeph Antiq. lib. XIX. atque Evangelium, ubi ait Chriſtum in horto comprehenſum ductum ad Annam Pontificem, additque Caipham fuiſſe Pontificem anni illius, haud obſcure indicat primo Annam ſocerum, deinde Caipham generum, etſi Anna adhc viveret, ad Pontificatus apicem fuiſſe evectum. Conferre opus eſt quae leguntur Matth. 16. verſu 3. & 57. & quae habentur Ioan. cap. 18. verſu 13. & 14.

LIII. *De Pontio Pilato.*

LIII. Dicamus & de Pilato nonnulla. Patriam ipſius ignotam adhuc putamus. Alii Lugdunenſem faciunt, alii Romanum, alii Samnitem. Quidam a familia, quidam vero ab inſula Pontia ante Iudaeam adminiſtrata, Pontium appellatum exiſtimant. Feſtiva ſunt quae leguntur apud Franciſcum Petrarcham in Apologia contra Galli calumniss, ſcilicet: *Ego quidem ex Evangelio mirabar, quomodo in paſſione Ieſu Chriſti Pontius Pilatus tam prompte manus laviſſet, quaſi*

quaſi innocens a ſanguine iuſti illius. Numquam facere hoc ſciviſſet, niſi fuiſſet Gallus. Gens argutula, promptula, facetula: miror quod non etiam lotis manibus ſimel bibit, ut innocentior videretur. Quae referimus ſolummodo, non probamus. Haec vero Pilati Epocha: Praeſes in Iudaeam miſſus eſt poſt Valerium Gratum anno 25. Aerae Vulg. ex Ioſepho lib. XVIII. Antiq. cap. 3. & de Bello Iud. lib. II. cap. 13. Anno 28. occidit Galilaeos in Templo ex Evangelio Lucae cap. 13. In anno ſeq. 29. Chriſtum tradidit voluntati Iudaeorum: nec ullatenus excuſari poteſt, quamvis illorum comparatione multo fuerit innocentior: nam triplici praeſertim in cauſa culpandus; primum quia non obſtitit improbis mortem iuſto ſuclamantibus, tum quia virum innoxium addixit cruci, ſupplicio nempe teterrimo, ac ſtatuto, ut inquit Philo in lib. de Specialibus Legibus, ſolis graſſatoribus & homicidis; rurſus quia Romanorum iure cavebatur, ut mortis damnatio prorogaretur in diem decimum, ut inquiunt Dio lib. XV. Hiſt. Rom. & Suetonius in Tiberio. Anno Aer. Vulg. 35. aut 36. exactis in Procuratione Iudaeae annis 10. praefectura privatus fuit, & Romam adire coactus. Demum Viennam Galliae urbem relegatus, anno Chriſti 39. propria ſe manu interfecit ex Chronico Hieronymi. Circumferuntur Acta Pilati, quae ſpuria & conficta putant Fabricius, Clericus, Baſnagius: ſed laudant Iuſtinus in altera Apologia, Tertul. in Apologetico cap. 5. Ioan. Chryſoſt. hom. 26. in 2. ad Corinth. Euſeb. lib. II. H. E. cap. 2. aliique innumeri. Sed de iisdem Pilati Actis alibi.

LIV. *De Centurione, Longino, Latronibus, & Chriſti crucifixoribus.*

LIV. Sunt quidam alii, de quibus in Hiſt. Paſſionis Dominicae multi multa fabulantur; Centurionem, qui ad tenebras, telluriſque concuſſionem, Chriſtum agnovit ut Deum, Flavius Dexter in Chronico Hiſpanum fuiſſe putat; ſed auctor iſte nimium credulus, fideique ſubleſtae. Duntaxat militare munus Centurionis audivimus, centum nimirum pedites ſub vexillo, aut potius vite, regentis. Longinum,

Qui Salvatoris latus in cruce cuſpide fixit,

& cuius exuviae Romae, Mantuae, & prope Lugdunum aſſervari dicuntur, a λόγχη, *lancea* nomen traxiſſe opinantur permulti. Longini tamen Romanis, quorum ſequebatur legiones, nec ignotum, nec peregrinum eſt nomen. Pium Latronem quidam Matham, quidam Dimum, quidam Geſtam vocarunt; alterum Diſmam appellaverunt; extantque Leonini verſus,

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis,
Diſmas & Geſtas, in medio eſt divina poteſtas;
Diſmas damnatur, Geſtas ſuper aſtra levatur.

Verum omnia haec nomina antiquis ignota. Eius, qui reſipuit,

& cui, ut inquit Cyrillus Hieroſolymit. catech. 13. *Finis vitae principium fuit recti facti, & traditio animae acceptio ſalutis*: Eccleſia memoriam agit die 25. Martii. Videte Rom. Martyr. Id Chronologiae quadrat noſtrae. Crucifixores fuiſſe Brutios, aut Calabros quidam pugnacitet aſſerunt, ea inducti ratione, quod Brutii a Romanis rebellantes in poenam taſſi fuerint lictorum carnificumque munus obire, ut inquit Gellius lib. x. cap. 3. Verum a militibus crucifixum Dominum arbitror. Primo, quia id colligitur ex cap. 19. Ioannis, ubi legimus inter milites, qui Dominum crucifixerunt, eius veſtimenta fuiſſe diviſa; quem in locum milites illos quatuor fuiſſe ſcribit Tract. 118. Auguſtinus. Secundo, quia cum Auguſtino idem tradidit Tertull. de Corona militum cap. 11. Tertio, quia & legionarios milites extremum ſupplicium reis intuliſſe pluribus teſtimoniis evincit Gretſerus de Cruce lib. 1. cap. 25. Sane in Catoniano fragmento apud Gellium non Brutios legimus, ſed Brutianos. Hos non Calabros fuiſſe putamus, ſed milites legionis, cui nomen a Bruto. Id veritas, non Brutiorum gratia a nobis extorſit. Scimus adverſus Serrium gentis ſuae calumniam propulſaſſe Perrimezzium, Polydorum, Acetium. Vide quae ſcripſimus lib. xxix. Th. Diſc. cap. ult. §. 7.

LV. *De praecipuis Domini cruciatibus.*

LV. Dixi de perſonis; nunc de poenarum generibus. Offert autem ſeſe primo ſudor ſanguineus in Horto Gethſemanis ad radices montis Olivarum, a quarum virentibus, ſpiſſisque foliis proximo torrenti nomen Cedron, quaſi *nigreſcens*. Ibi Dominum orantem, & factum in agoniam emiſiſſe ſudorem ſanguineum teſtatur S. Lucas Evangeliſta cap. 22. Inſititium tamen hunc locum quidam dixerunt; quos refellit Graecorum, Latinorumque Codicum auctoritas: refellit PP. traditio, Irenaei lib. III. adv. Haer. cap. 32. Epiphanii in Anchorato num. 31. Chryſoſt. Haer. 84. in Matth. Hieronymi lib. II. Dialogi adv. Pelagianos, & Auguſt. in Pſalm. 190. refellit non prorſus inuſitati eventus probabilitas exemplis firmata, quorum multa profert Stephanus Clotzius in libro de Sudore Chriſti Sanguineo, Calmet Diſſ. in Lucam, Thuanus lib. XI. Hiſtor. Secundo ſequuntur opprobria, quibus affectus eſt in domo Principis Sacerdotum, ideſt, Annae, quo eum duxere *duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus caeſum, ſputis oblitum, clamoribus praedamnatum*, ut Serm. 57. inquit Leo Magnus. Ibi alapa Chriſto impacta, quam mimis ad riſum ſolitam infligi ſcribit Tertullianus de Spectac. cap. 23. ſervulis, hominibusque viliſſimis, aiunt Spartianus in Hadriano, & Gellius in Noctib. Attic. lib. xx. cap. 1. Ibi quoque veſtimenta ſua dirupit Pontifex, quod Levit. vetitum fuerat. Factum id ad luctus, & blaſphemiae, de qua Dominum increpaverant, demonſtrandam acerbitatem; atque ita Iacob ad tunicae filii ſui Ioſeph aſpectum, Ezechias ad minas Rabſacis, Ionathas

thaa ad militum defectionem veſtes ſciderunt. Sacerdotium Leviticum, regnumque Iudaicum conſcindendum illa veſtium ſciſſione demonſtratum fuiſſe, obſervarunt Origenes, & Hieronymus in cap. 26. Matthaei. Tertio, poſt ludibria quamplurima Domino apud Herodem & Pilatum illata, flagellis immaniſſime caeſus eſt. Flagella ex funiculis lorisque intexta erant, concortis taeniis, ac multinodis fimbriata, pecuinis oſſibus, & taxillis inſerta, atque horribiliori etiam artificio compacta. De plagarum autem numero altum apud antiquiores ſilentium. S. Vincentius Ferrerius 5000. Ioannes Eckius 5375. Ludulphus Carthuſianus 5475. Lanſpergius 5460. quidam 6666. enumerarunt. Qui vero ex cap. 25. Deut. & ex Ep. 2. ad Corinth. cap. 11. inferunt inflictos Domino ictus undequadraginta, falſo ſupponunt legem Iudaeorum fuiſſe in Chriſti flagellatione ſervatam. De Columna paullo infra. Quarto, Flagellationi addiderunt milites Coronam Spineam, & coccineam clamydem, quia Rex Iudaeorum fuerat appellatus. Coronam illam e iuncia mariois textam exiſtimant plurimi, Suarez, Graveſon, Serrius, Sandinus. Innituntur duplici rationi, ideſt, quia marini iunci ſunt aculei, oblongi, ſpinisque duriores, & quia ex illis contexta videtur Corona Pariſiis ſervata, & a S. Ludovico IX. ingenti redempta aere. Plexam tamen ego puto ex illo ſpinarum genere, quod rhamnum appellant, asperrimo & acutiſſimo. I. Quia a nullo ſcriptore marini iunci dicuntur ἄκανθοι, Spinae. II. Quia in Verſione Syriaca dicitur Corona rhamnorum. III. Quia haec eſt ſententia Tertull. de Coron. cap. 14. Chryſ. Hom. 88. in Matth. Auguſt. Tract. 116. in Ioan. IV. Quia huic ſententiae Viri Cl. adhaeſerunt, Baronius, Boſius, Mallonius, Voſſius, Natalis Alexander. Tandem quia in agro Hieroſolymitano rhamni aculeos habent parum iuncis mariois abſimiles, ut affirmat ocularis teſtis Petrus Belloniua lib. II. Obſervat. pag. 344. Id vero duo, quae obiiciebantur, enervat. Quaedam proximo §. ſubiiciam. Quinto, tandem Dominus ductus in Golgotham, cruci cum duobus Latronibus affixus fuit. Golgothae nomen eſt a *Gilgal*, cranium, calvaria; ac ſitua erat extra portam Iudiciariam, cui nomen Iebus, ad Septentrionalem plagam montis Sion. Ita Dominus ſuffixus Cruci Occidentem ſpectaſſe animadvertit Auct. Conſt. Apoſtolic. lib. II. S. Leo M. Serm. 7. Damaſc. lib. 4. cap. 13. & Sedulius his verſibus,

Occiduo ſacrae lambuntur ſidere plantae,
Arctos dextra tenet, medium laeva erigit axem.

VI. Demum a ſexta ad nonam horam tenebris ſuper univerſam terram diffuſis, circa tertiam poſt meridiem horam tradidit ſpiritum. De hiſce tenebris Phlegon ſuperius laudatus num. 41. & Tallus Gentilis apud Iulium Africanum; ideoque relatas in Gentilium Archivis affirmant Tertullianus cap. 21. Apologetici, & Lucianus Mar-

Martyr apud Rufinum lib. IX. Hiſt. Euſeb. cap. 6. Eapropter ii, qui ex ſilentio ſcriptorum inferre auſi ſunt tenebris illis ſolam Iudaeam fuiſſe occupatam, facillime refelluntur. Vide Melch. Canum lib. XI. cap. 2. Scheleſtratium Diſſ. I. cap. 4. Danielem Huetium Demonſtr. Ev. prop. 3. num. 8. & Tillemontium not. 35. in Ieſ. Ch. Recte Theophylactus in Evang. *Sunt tenebrae in toto Mundo, non in parte Mundi, ut monſtretur quod lugeat in paſſione Conditoris creatura, & Iudaei petentes ſignum de Coelo nunc videant Solem obtenebrari.*

LVI. *Quid de Dominicae Paſſionis inſtrumentis?*

LVI. Nonnulla Dominicae Paſſionis inſtrumenta ſuperius attigimus, de quibus, ſicuti & de ceteris, quantum temporis patiuntur anguſtiae, agendum eſt in praeſentia. Inſtrumenta autem illa appello, columnam, flagella, coronam ſpineam, crucem, clavos, lanceam, ac ſpongiam. Columnam fuiſſe unam ex iis, quae porticum in atrio Pilati ſuſtentabant, ſcribit Hieronymus in Epitaph. Paulae, ſive epiſt. 27. Hieronymo aſſentitur Prudentius in Enchiridio, & Gregorius Turon. de Gloria Martyrum, quadratque horum teſtimonio columna Romae in parvo S. Salvatoris templo aſſervata, quae dicitur eiusdem fuiſſe altitudinis cum illa, ad quam Chriſtus flagellis caeſus fuit. At in templo S. Praxedis colitur columna altera Ieroſolymis in urbem translata a Ioanne Cardin. Columna an. 1223. ſedente Honorio III. ut narrant Panvinius, Volaterranus, Iacobus Bloſius. Haec Columna, cum habeat trium tantum palmorum & dodrantis altitudinem, a praecedenti diverſa eſt. Nonnulli propterea hanc ex illa ſectam exiſtimant: ſed falluntur, integra eſt enim, & in ſuperiori parte habens ferratum anulum, ad vinciendas reorum manus percommodum. Itaque dicendum eſt ad hanc revera columnam Dominum flagellis fuiſſe caeſum, ad illam vero ante ac poſt dirum horribilemque verberationem adſtrictum. II. Spineam coronam ad inſtar regii diadematis contextam aiunt, adeo ut ad frontis medietatem deſcenderit, undique ſacro capite lancinato. In Regia Pariſienſi Capella aſſervari dictum ſupra, ſpineis tamen aculeis permultis illinc decerptis, qui diverſis in locis cuſtodiuntur. Septuaginta duobus ſacratiſſimum caput perforatum, vulneratumque tradit Serm. de Paraſceve S. Vincentius Ferrerius. Verum ſua ſtet illi fides: nam de numero ſpinarum nil apud veterea; recentiorum vero diverſae, ideoque incertae ſententiae. Quasdam virtute divina revireſcere, ſcribit Gregorius Turonenſis apud Balleſterium. Vna ex iis in urbe Andria aſſervata, quotieſcumque Paraſceve incidit in diem 25. Martii, cruenta, gutisque ſanguineis tota apparet conſperſa; idque authenticis Notariorum actibus comprobari docet in Epiſt. Eccleſiaſticis Pompeius Epiſcopus Vigilienſis. Valet id plurimum ad ſententiam noſtram de die crucifixionis Dominicae corroborandam. III. Cruces variae, earumque figuram exhibent

bent maiuſculae Latinorum literae I. X. Y. T. L. Adde Graecam Π. Quarta Crucem Domini repraeſentat conſtantem duobus lignis, arrectario, ac tranſverſo, ideſt, non decuſſatam, ſed rectis compactam angulis: unde Tertull. lib. IV. contra Marcionem cap. 22. inquit: *Ipſa eſt littera Graecorum Tau, noſtra autem* T. *ſpecies Crucis.* Adiectus ſtipiti arrectario in ſummitate titulus, ideſt, tabula ceruſſata, quam rei ad ſupplicium deferebant cum patrati criminis expreſſione, unde & *Cauſam* vocarunt. Titulus Dominicae Crucis Romae in Baſilica S. C. in Ieruſalem etiamnum cuſtoditur, repertus ſub Innoc. VIII. an. 1492. muro lateritio interclusus. Ex quatuor lignorum generibus fabricatam fuiſſe Crucem, ſcribunt permulti. Habentur apud Gloſſam in primam Clementinam haec verba,

Ligna Crucis ſunt Palma, Cedrus, Cypreſſus, Oliva.

Sed unicus generis lignum in Cruce fuiſſe, & quidem ex Quercu, arbore apud Palaeſtinos crebra & frequenti, contendunt Iuſtus Lipſius lib. III. de Cruce cap. 13. Angelus Rocca in Diſs. de S. Crucis particula, Serrius Exercit. LIV. Graveſon Diſs. XX. aliique permulti. IV. De clavis autem hoc ſtatuo. Patres cruci adfuiſſe cenſent ſuppedaneum, ſive prominentem baſim, cui pedes iuxta ſe mutuo poſiti affigerentur; ita Irenaeus lib. II. cap. 42. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. lib. III. contra Marcionem cap. 18. & adv. Iudaeos cap. 10. & Innocentius III. Serm. 1. de Martyribus. Pugnant pro hoc ſuppedaneo Feuardentius, Grabius, Lipſius, Salmaſius, Fullerus, Cornelius Curtius, & Honoratus. Si admittendum eſt, conſtat Dominum quatuor clavis fuiſſe ſuffixum. Huic proinde ſententiae de numero clavorum adhaerent Boſius, Rocca, Fontaninus, Graveſon, Serrius, Sandinus, & alii recentiores; illamque firmant magis perantiquae Crucifixi imagines, Baſilicae S. Petri, Sacrarii Apoſtolici, Lucae, Siroli, Civitatis Burgenſis, &c. Inventos una cum Cruce ab Imperatrice Helena, & delatos ad filium, ex quibus fraenos compoſuit, & galeam armavit, narrant in H. E. lib. I. Rufinus & Theodoretus, necnon in Orat. de obitu Theodoſii S. Ambroſius. Viginti-quinque Domini clavos variis in locis religioſe aſſervatos enumerat Iuſtus Fontaninus in Diſſert. de Corona Ferrea Langobardorum cap. 13. quorum duos tenet Etruria, apud Senenſes unum, alterum apud Collenſes. Nolumus inveteratas opiniones, piamque credulitatem reſellere, ac lubenter aſſentimur clavos Dominicis conſimiles, iſtorumque ſcobe aliqua, aut ſaltem contactu conſecratos, pro veris fuiſſe exceptos, aut forte ut Domini creditos, qui Martyrum ſuppliciis deſervierunt. V. Lancea incluſa Cruci ligneae ſervabatur aetate Bedae in Ieroſolymitana Eccleſia S. Sepulchri, & illius haſtile in duas partes interciſum ab omnibus colebatur. Antiochiam primum, deinde Conſtantinopolim ea lancea translata fuit: cuſpidem Balduinus II. com-

compulsus inopia Veneris oppignoravit, illamque redemit S. Ludovicus IX. Rex Francorum. Reliquum ferri Baiazetes anno 1492. dono misit Innocentio VIII. Pontifici Maximo, a quo fuit in Vaticana Aede reconditum. VI. Spongia, quam hyssopo circumpositam, & madefactam aceto ori admoverunt Redemptoris, diu Hierosolymis in calice fuit religiose asservata: nunc Romae in Lateranensi Basilica summo habetur honore. Ad feralem saevitiam, & ad sistendum simul fluentem sanguinem adhibitam censet Baronius ad An. 34. num. 126. adnotatque retinere adhuc ruborem, quem semel imbiberat. Fuit itaque primum sanguine madida, tum pressa, ac postea aceto superinfusa, & ori sacratissimo admota.

LVII. *De Domini Sepultura.*

LVII. E Cruce Christus depositus, ac syndone involutus in monumento novo reconditus est, funus curantibus Iosepho de Arimathaea, & Nicodemo. Praecessit sepulturae pollinctura, idest, demortui corporis lotio, & inunctio. Condire aromatibus corpora defunctorum, vetus erat Iudaeorum consuetudo, nec Romanarum Historiarum Scriptori Cornelio Tacito ignota. Sepulcrum in petra, sive in rupe horti excavatum erat, circa 50. passus distans a loco supplicii, Speluncam appellant Eusebius lib. III. de Vita Const. cap. 26. Cyril. Hier. Catech. 14. Beda, Brocardus, & alii. In rupis itaque spelunca monumentum excisum fuerat, longitudinis septem pedum, atque a pavimento altius eminens trium mensura palmorum, inquit Auctor de Locis Sanctis apud Bedam cap. 2. Locus capitis editior aliquantulum. Facile hinc intelligimus; quomodo mulieres monumentum fuerint ingressae, ibique Angelos, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi Christi Corpus iacuerat, sedentes invenerint: nempe speluncam introiverunt, ubi loculus excisus in petra excavatus. Nullum ibi tumulatum antea cadaver. Excisio monumenti in petra, lapis loculo superpositus, adiecta iussu Pilati sigilla fidem adstruunt miraculo Resurrectionis paullo post vindicando. In eodem sepulcro latuit Salvator triginta sex duntaxat horis, tot enim fluxerunt *a Vespere sepulturae usque ad diluculum resurrectionis*, ut lib. IV. de Trinit. cap. 6. inquit Augustinus. At enim quomodo, si ita res est, tribus diebus in sepulcro iacuit, quomodo ille, ut Ionas in ventre ceti fuit tribus diebus ac tribus noctibus, quomodo adimpletum est, quod ipse Dominus de templo corporis sui praenuntiaverat, *In tribus diebus reaedificabo illud*, & quod expressius ait, *Post tres dies resurgam?* Hunc nodum nequaquam solvemus ut quidam imperite ausi sunt, vel anticipata Domini sepultura, vel procrastinata Domini resurrectione: enimvero illam in Psrasceve Sabbati hanc in prima Sabbatorum contigisse apertissime Evangelium testatur. Solvemus itaque expedita Augustini eodem in loco responsione: *Ipsum autem triduum non totum, & plenum fuisse, Scriptura testis est; sed dies primus a parte extrema totus annumeratus est; dies vero tertius a parte prima,*

me-

medius autem inter eos, ideſt, ſecundus dies abſolute totus viginti quatuor horis ſuis, duodecim nocturnis, & duodecim diurnis.

LVIII. Itaque die Solis, tertio a teterrima morte, illuceſcente aurora Salvator rediit ad vitam. De hac reſurrectione, quae Fidei noſtrae fundamentum eſt, breviter pertractantes, illius veritatem huiſce momentis evincimus. Primo hanc praenuntiarunt David Pſal. 3. 6. & Pſal. 48. 16. Oſeas 6. 3. & Sophonias 3. 8. quod ſaltim ad Iudaeos revincendos plurimum valet. Secundo, Rab. *Iehuda Haccadoſch* inter Iudaeos vetuſtiſſimus & celeberrimus in libro inſcripto, *Revelans Arcana*, inquit: *Poſt triduum vero anima Meſſiae ad locum ſuum revertetur, & exibit de illo lapide, in quo erit ſepultus.* Tertio Flavius Ioſephus lib. xviii. Antiq. cap. 4. ait: *Poſt triduum redivivus apparuit, cum divini Prophetae haec aliaque innumera prodigia de eo nuntiaſſent.* Quarto refutantur Iudaei nube teſtium ab Apoſtolo, qui I. ad Corinth. cap. 15. provocat ad quingentos. Quinto pluribus excutitur mendacium aſſerentium corpus Domini a diſcipulis, dum cuſtodes dormirent, furto fuiſſe ſublatum. Enimvero, cum Salvator ſuum ad vitam futurum reditum praedixiſſet, Iudaei autem ad fraudem omnem praecavendam monumentum obſignaverint, & appoſuerint cuſtodes, cum ille revixerit, nullam de dolo actionem, vel exceptionem habere poſſunt. Deinde non latenter Ieſus iſto e tumulo erupit, ſed magno apparatu triumphus peractus eſt: terra ingenti terraemotu concuſſa, exterritis cuſtodibus, Angelo e coelis deſcendente. Ad haec Diſcipuli, cum & ipſi aliquando fuerint increduli, donec vulnera Nazareni palpaſſent, dici nequeunt rem falſam ob ſimplicitatem credidiſſe: cum diſperſi ac timidi fugam arripuerint, & ad ancillarum, plebisque voces trepidaverint, atque inſuper abhorruerint a faſtu, & nominis gloria, exiſtimandi non ſunt Domini corpus, revoluto lapide, fractis ſigillis, corruptis cuſtodibus ſubripuiſſe. Praeterea ſatis ſuperque Iudaeorum apparuit pervicacia, atque invidentia, dum militibus certam pecuniam dederunt, ut aſſererent ſublatum fuiſſe cadaver, cum gravati ſomno dormirent: quis enim, ut Auguſtinus inquit in Pſ. 63. *Dormientes teſtes adhibet?* Tandem ſi Diſcipuli ad Chriſti exuvias aſportandas temere audacterque veniſſent; proculdubio cadaver ſindone obvolutum & colligatum, ut iacebat, abſtuliſſent; nec moram, quae furtis contraria dicitur, in monumento linteamina, ſudarium, & ſindonem explicantes egiſſent, ut ſecum nudum inunctumque cadaver deferrent: omnia quippe linteamina in ſepulcro fuere adinventa. Appoſite, eleganterque Sedulius:

LVIII. *De Domini glorioſa Reſurrectione.*

Anne beati
Corporis ablator, velocius eſſe putavit
Solvere contectum, quam devectare ligatum,
Cum mora ſit furtis contraria?

Legite S. Ioannem Chryſoſtomum in elegantiſsima Oratione, *Quod Chriſtus ſit Deus*, Huetium Demonſtr. Evang. prop. 9. cap. 142. necnon Hugonem Grotium de Verit. Relig. Chriſt. cap. 5.

LIX. *De Chriſti in Coelum Aſcenſu.*

LIX. Poſteaquam Dominus variis apparitionibus veritatem Reſurrectionis ſuae confirmavit, ac praeter eas, quae in Evangelica Hiſtoria narrantur, etiam Sanctiſſimae Matri ſuae ſe redivivum oſtendit, quod non ſolum traditione veterum, ſed etiam ratione multiplici ſuadetur a praeſtantiſſimo Theologo Guilelmo Eſtio in cap. 16. Marci, traditis Eccleſiae inſtitutionibus, iis praeſertim, quae diſciplina arcani priſcis ſaeculis cuſtodiebantur, ad Coelos cunctis diſcipulis intuentibus rediit. Locum, diem, ſignaque relicta breviter adnotabo. In Coelum elevatus eſt mortis & inferorum glorioſiſſimus triumphator, ex monte Olivarum a Ieruſalem, ut legimus Act. 1. 12. Sabbati habens iter. Iter Sabbati S. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam ad bis mille pedes coarctat, Suidas ad bis mille cubitos, Epiphanius haereſ. 66. ad ſex ſtadia; ſtadium vero Plinius lib. II. cap. 23. ad pedes 125. Ioſephus tamen lib. XX. Antiq. cap. 6. Montem Oliveti a Hieroſolymis diſſitum ait ſtadiis quinque. Quantum ad diem ſpectat, fuit proculdubio quadrageſimus a die Reſurrectionis, & ſi fides habenda eſt Chronico Alexandrino, III. Nonas Maias: quod definito a nobis diei emortuali congruit quammaxime. Auguſtinus in Pſalmum 54. inquit: *Veſpere Dominus in Cruce, mane in Reſurrectione, meridie in Aſcenſione*. In monte, unde ſuis benedicens, ac manus ad aſtra tendens aſcendit Dominus ad Patris dexteram, impreſſa illius ſacroſancta veſtigia, eſt vetus Patrum traditio. Teſtes huius traditionis ſunt Severus Sulpitius lib. II. Hiſt. cap. 33. Auguſtinus tract. 47. in Ioan. S. Paulinus Nolanus epiſt. 31. ad Severum, Auctor Operis de Locis Hebraicis Hieronymo adſcripti, & de Locis Sanctis inter Opera Ven. Bedae, aliique apud Baronium ad An. 34. num. 232. Hanc proinde traditionem nec Caſaubonus Exercit. 16. in Baronium, prope finem, nec Serrius Exercit. 61. num. 8. nec Natalis Alexander H. E. Saec. I. in dubium revocant. Solus, quem legerim, Basnagius ad an. 33. num. 166. illam reiicit, quod eius Socrates, Sozomenus, Theodoritus, ac Nicephorus non meminerint; ſed huius negantis argumenti infirmitatem nemo non videt. Hanc de rebus a Chriſto geſtis, dum inter mortales vitam egit, Diſſertationem abſolvimus Piſis anno Vulg. Aerae 1749. Kalendis Aprilis.

F I N I S.

DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAE IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR

RERVMQVE NOTABILIVM

QVAE IN EISDEM DISSERTATIONIBVS PERTRACTANTVR

INDEX.

DISSERTATIO I. De Epocha Herodiana. pag. 3.

I. *Eorum, quae diſcutienda ſunt, propoſitio.* pag. 3.

II. *Diverſae de Herodis genere opiniones.* 4.

III. *Herodem fuiſſe alienigenam, demonſtratur.* ibid.

IV. *Patrum aliquorum idem aſſerentium teſtimonia.* 5.

V. *Quaedam ex dictis emergentes oppoſitiones.* ibid.

VI. *Diluitur prior oppoſitio.* ibid.

VII *Ad ſecundam oppoſitionem reſponſio.* 6.

VIII. *Quae poſtremo loco obiiciebantur, diluuntur.* ibid.

IX. *Quomodo Herodes Iudaeorum Regnum ſit conſecutus.* 7.

X. *Deſinitur annus, quo Antipater veneno interiit.* ibid.

XI. *De anno, quo Herodes a Romanis regnum accepit.* 8.

XII. *Superior Herodis Epocha confirmatur.* ibid.

XIII *Proponitur Epocha altera Herodis aliquantulum difficilior.* 9.

XIV. *Haud recte Dionem & Ioſephum ab Vſſerio conciliari.* ibid.

XV. *Praeponitur ſententia Ioſephi.* 10.

XVI. *Confirmantur ſuperius dicta ex tempore mortis Antigoni.* 11.

XVII. *Proponitur Cardinalis Noriſii, & Ioannis Harduini ſententia.* 12.

XVIII. *Sententiae Noriſianae occurritur.* ibid.

XIX. *Inquiritur de quo menſe loquatur Fl. Ioſephus, dum recenſet Hieroſolymorum expugnationem.* ibid.

XX. *Deteguntur ex dictis aliquorum Chronologorum errores.* 13.

XXI. *Ioannes Harduinus perſtringitur.* 14.

XXII. *Alter eiusdem Harduini error detegitur.* ibid.

XXIII. *Diluitur inſulſa Ioannis Harduini obiectatio.* 15.

XXIV. *Referuntur ſententiae praeſtantiſſimorum virorum de tempore, quo Herodes deceſſit.* ibid.

XXV. *Annus Herodis emortualis demonſtratur.* 16.

XXVI. *Proponitur adverſus dicta argumentum praecipuum Baronii.* 18.

XXVII. *Solvitur praecedens obiectio.* ibid.

XXVIII. *Quo menſe contigerit mors Herodis.* ibid.

XXIX. *Praedicta ſententia demonſtratur.* 19.
XXX. *De duplici eclipſi, quam putant nonnulli praenuntiaſſe mortem Herodis.* 20.
XXXI. *Fundamentum eorum, qui putant deceſſiſſe Herodem die 25. Novembris.* ibid.
XXXII. *Qualis auctoritatis cenſendum ſit praedictum Ieiunii volumen.* 21.
XXXIII. *Eorum, quae dicta ſunt, ſynopſis.* ibid.

DISSERTATIO II. DE EPOCHIS HERODIADVM. pag. 22.

I. *Statuitur initium Regni Archelai.* pag. 22.
II. *De Teſtamento Herodis, quod confirmatum fuit ab Auguſto.* ibid.
III. *Definitur annus, quo Archelaus regno privatus eſt, & relegatus in Galliam.* 23.
IV. *Quae obiiciantur adverſus Epocham praecedentem.* ibid.
V. *Praedicta obiecta ſolvuntur.* 24.
VI. *Herodis familia deſcribitur.* 25.
VII. *Principatus Antipae, eiusque initia, & extenſio.* 26.
VIII. *Herodis Antipae ſcelera, ac tempus decollationis S. Ioannis Baptiſtae.* 27.
IX. *De Herodis Antipae exilio, ac fine principatus.* 28.
X. *De Philippo Tetrarcha variae quorumdam opiniones.* 29.
XI. *Sententia noſtra, de qua num. VI. corroboratur.* 29.
XII. *Deſcribitur Philippi Tetrarchia.* 30.
XIII. *Quo anno Herodias a Philippo ad Herodem Antipam migraverit.* 31.
XIV. *De Philippi probitate, ac de anno, quo ipſe deceſſit.* ibid.
XV. *Agrippa num idem, ac Antipas. Harduini commentatio.* 32.
XVI. *Defenditur adverſus Harduinum vetus communisque de Agrippa rege ſententia.* 33.
XVII. *Solvitur Harduini cavillula.* 34.
XVIII. *Agrippam fuiſſe proſelytum, demonſtratur.* 35.
XIX. *Quae Agrippae evenerunt antequam regnum conſequeretur.* 36.
XX. *Agrippae a Caio, ſeu Caligula, collatum regnum.* ibid.
XXI. *Quando inceperit Chriſtianorum appellatio.* 37.
XXII. *Anni quadrageſimi enarrantur eventus.* ibid.
XXIII. *Quid Claudius Agrippae contulerit, ac poſtea geſſerit idem Agrippa.* 38.
XXIV. *Interitus Agrippae.* ibid.
XXV. *Quos ſuperſtites reliquerit Agrippa Rex filius Ariſtobuli.* 39.
XXVI. *Agitur de Herode Agrippae ſenioris germano fratre.* ibid.
XXVII. *Ex dictis quaedam conſecturia eruuntur.* 40.
XXVIII. *Chalcidis, non Iudaeae regnum collatum Agrippae.* 41.
XXIX. *Summatim ad Agrippam ſpectantia attinguntur.* ibid.
XXX. *De fine regni Agrippae.* 42.
XXXI. *Ioſephi Ben Gorionidis de exceſſu Agrippae ſententia.* 43.

XXXII. *Pearſonii & Dodwelli opinio de morte Agrippae reiicitur.* ibid.
XXXIII. *Iisdem momentis evertitur praemiſſa Gorionidis aſſertio.* 44.
XXXIV. *Samuelis Baſnagii de tempore obitus Agrippae coniectura profertur.* ibid.
XXXV. *Producitur & defenditur ſententia Scaligeri.* 45.

DISSERTATIO III. DE EPOCHA C. AVGVSTI. pag. 47.

I. *Supputandi annos V. C. multiplex ratio.* pag. 47.
II. *Sententia M. Varronis.* ibid.
III. *Eadem Varronis ſententia approbatur.* ibid.
IV. *De Annis Romae Capitolinis & Frontinianis.* 48.
V. *Pro annis Capitolinis momenta quaedam.* 49.
VI. *De ſententia Fabii Pictoris.* ibid.
VII. *Ad ea, quae dicta ſunt, reſponſio.* 50.
VIII. *Qua die Roma condita ſit.* ibid.
IX. *Tres eiusdem diei coniecturae.* 51.
X. *Conciliantur Faſtorum Catalogi.* 52.
XI. *Sententia, quae ante Romuli aetatem ſtatuit primordia Vrbis.* ibid.
XII. *Praecedens ſententia refellitur.* 53.
XIII. *Altera Virgilii fabula reiicitur.* ibid.
XIV. *Fabulae aliae exploduntur.* 54.
XV. *Tempus ab Vrbe Condita ad Conſulatum initia.* 55.
XVI. *Vnde nam Faſti Conſulares exordiantur.* ibid.
XVII. *Cur poſt Reges eiectos inſtituti fuerint Conſulatus.* 56.
XVIII. *Primi omnium Conſules quinam fuerint.* 57.
XIX. *De Faſtis Idacianis.* ibid.
XX. *Quaedam aliae Faſtorum Conſularium Collectiones.* 58.
XXI. *De Faſtis Caſſiodori.* ibid.
XXII. *De Onuphrio Panvinio.* 59.
XXIII. *De Baronio quid ſentiendum.* ibid.
XXIV. *Num Faſti apud Petavium emendatiſſimi? Item de Faſtis apud Cointium.* ibid.
XXV. *De Henrico S. R. E. Cardinali Noriſio, & de Viro Cl. Antonio Pagio.* 60.
XXVI. *De Emmanuele a Scheſtrate; & Franc. Blanchinio.* 61.
XXVII. *Quaedam Conſulum paria ſingillatim notanda.* ibid.
XXVIII. *Iulii Caeſarum primi familia.* ibid.
XXIX. *Quando Iulius Caeſar arripuerit imperium.* 62.
XXX. *De anno Confuſionis, & emendatione a Iulio Caeſare facta.* 63.
XXXI. *De Iulii Caeſaris nece.* 64.
XXXII *Num interfectores Caeſaris laudandi?* ibid.
XXXIII. *De Iulii Caeſaris Apotheoſi.* 65.
XXXIV. *Caeſar inter Deos relatus ob apparitionem Cometae.* ibid.
XXXV. *Quare veteres in ſtellis, cometisque Heroum animos latere putaverint.* 66.
XXXVI. *Eccur in cometam Caeſar crederetur tranſmutatus?* 67.

XXXVII. *Perſtringitur Idololatrarum inſania.* 67.
XXXVIII. *Aliorum quorumdam errores.* 68.
XXXIX. *Quo anno natus C. Auguſtus?* 69.
XL. *De C. Auguſti genere.* 70.
XLI. *Prodigia, quae de Auguſto narrat Dio Caſſius.* ibid.
XLII. *Quanti oſtenta huiusmodi ſint exſtimanda.* 71.
XLIII. *Serpens Aeſculapii ſymbolum.* 72.
XLIV *Serpentes cur permulti adoraverint* ibid.
XLV. *Auguſti prudentia, & prior Epocha ab interitu avunculi ſubducenda.* 73.
XLVI. *Variae de hac prima Auguſti Epocha opiniones.* ibid.
XLVII. *Argumentum I. Baronii, & illi adhaerentium.* 74.
XLVIII. *Baronii argumentum ſecundum.* ibid.
XLIX. *Tertium Baronii argumentum, etiam Pagio probatum.* 75.
L. *Argumenta Petavii, & Baſnagii.* 76.
LI. *Quid momenta illa habeant ponderis.* ibid.
LII. *Epocha II. C. Auguſti Hiſtoricorum auctoritate firmatur.* 77.
LIII. *Eadem Epocha uſurpatur a Patribus.* ibid.
LIV. *Bellum Mutinenſe hoc anno adminiſtratum.* 78.
LV. *Initus ab Octavio Conſulatus.* ibid.
LVI. *De Triumviratu.* 79.
LVII. *Triumvirorum ſaevitia, & mors Ciceronis.* 80.
LVIII. *Actiacae Pugnae incentiva.* ibid.
LIX. *Eiusdem Pugnae apparatus.* 81.
LX. *Tempus praedictae pugnae.* 82.
LXI. *Dies Actiaci conflictus.* 83.
LXII. *Decreti ab Auguſto Ludi Actiaci.* ibid.
LXIII. *Antonii, & Cleopatrae obitus.* ibid.
LXIV. *Tempus, quo Virgilius ſcripſit, abſolvitque Georgica.* 84.
LXV. *Mors Caeſaris Auguſti, & praecedentium ſynopſis.* ibid.
LXVI. *Quando ab Auguſto Alexandria capta fuerit.* 85.
LXVII. *Eorum, quae ſuperiori N. dicta ſunt, conſectaria.* ibid.
LXVIII. *Quando Octavianus appellatus fuerit Auguſtus.* 86.
LXIX. *Diei inveſtigatio.* 87.
LXX. *Ratio nominis Auguſti Octaviano impoſiti,* ibid.
LXXI. *Per idem temporis inſtaurata Via Flaminia, & Pons Ariminenſis erectus.* 88.
LXXII. *Num utilis Reipublicae Monarchia.* 89.
LXXIII. *Agrippae contra Monarchiam diſputatio.* ibid.
LXXIV. *Maecenatis pro Monarchia diſſertatio.* 91.
LXXV. *Agrippae, & Maecenatis laudes.* 93.
LXXVI. *Anni C. Auguſti confirmantur ex Agrippae, & Maecenatis hiſtoria.* ibid.
LXXVII. *Ex Conſulatu III. Agrippae firmatur Epocha Auguſtorum.* 94.
LXXVIII. *Pantheon quando ab Agrippa conditum.* 95.
LXXIX. *Quando Auguſtus clauſerit Iani templum.* 96.

LXXX. *Ianum quo anno a Caesare fuerit tertio occluſum.* 97.
LXXXI. *Probabilius fores Iani clauſas anno V. C.* 749. 98.
LXXXII. *Aliae ſententiae refutantur.* 99.
LXXXIII. *Quaedam dubia circa ea, quae eodem tempore evenerunt.* 100.

DISSERTATIO IV. DE VERO CHRISTI NATALI ET DE AERA DIONYSIANA. pag. 102.

I. *Proponitur Diſſertationis huius argumentum.* pag. 102.
II. *Diverſae de Natali Chriſti recitantur opiniones.* ibid.
III. *Natus eſt Dominus poſt annum V. C.* 747. 104.
IV. *Natale Chriſti poſt annum V. C.* 751. *nequit differri.* 106.
V. *Peculiaris ratio de anno Vrb.* 751. *producitur.* ibid.
VI. *Anno proximo* 752. *Bellum Parthicum irrupiſſe.* 107.
VII. *Ad annos inſequentes Natale Domini protrahi non poſſe.* 109.
VIII. *Conſignandam Nativitatis Dominicae Aeram anno V. C.* 749. *Viri praeſtantiſſimi exiſtimarunt.* ibid.
IX. *Praedictae ſententiae Evang. Hiſtoriam congruere.* 110.
X. *Sententiam noſtram aliis munimentis fulciri.* ibid.
XI. *Pro ſententia Pagii argumentum producitur.* 112.
XII. *Non a Saturnino, ſed a Cyrino, factam deſcriptionem illam, cuius tempore natus eſt Dominus.* 113.
XIII. *Tertullianus explicatur.* 114.
XIV. *Aera Antiochena Auguſtana eadem ſupputanda?* 115.
XV. *In Cenſus ab Auguſto indictos inquiritur.* 116.
XVI. *Quo tempore Quirinus fuerit Praeſes Syriae.* 117.
XVII. *Oppoſitio prima diluitur.* ibid.
XVIII. *Alia oppoſitio dirimitur.* 118.
XIX. *Ad argumenta Bernardi Lamy reſponſio.* 119.
XX. *Praedictae obiectioni occurritur.* 120.
XXI. *Caeſ. Card. Baronii momenta producuntur.* ibid.
XXII. *Solvuntur praemiſſa Baronii argumenta.* 121.
XXIII. *Aliorum rationes breviſſime refutantur.* 122.
XXIV. *Chriſtianam Aeram, quis primus omnium invexerit?* 123.
XXV. *De Paudoro, Dionyſio, ac Beda, Communis Epochae inſtauratoribus.* 124.
XXVI *Quomodo Aera Dionyſiana fuerit in uſu recepta.* 125.
XXVII. *De Aera Dionyſiana opiniones contrariae recitantur.* 126.
XXVIII. *Aera Dionyſiana ab anno Iuliano* 46. *inchoatur.* 127.
XXIX. *Diocletiani Aera explicatur.* ibid.
XXX. *Quae in Chronologia Baronii corrigenda ſunt, ut recte Vulgaris Aera procedat.* 130.
XXXI. *Conſulatus ab Eminentiſſimo Baronio praetermiſſi.* ibid.
XXXII. *De recta annorum Probi Imperatoris ſupputatione.* 132.

XXXIII.

XXXIII. *Philippo Augusto Seniori quot attribuendi sint anni.* ibid.
XXXIV. *C. Cesaris Consulatum non esse suppositum.* 133.
XXXV. *De Chronologia Panvinii, atque de Probi, & Paulini Consulatu.* ibid.
XXXVI. *De Aera Christiana, ut in Fastis Anonymi praenotatur.* 134.
XXXVII. *Pauli Episcopi Forosempronienſis Commentum, ac somnium.* 136.
XXXVIII. *Praecedentium consectaria.* ibid.
XXXIX. *Florentini, ac Pisani, cur annos ab Incarnatione Domini enumerent.* 137.
XL. *De Pisanorum consuetudine Viri praeclarissimi opinio.* 138.
XLI. *Pisanorum ratio explicatur.* 139.
XLII. *Superius dicta testimoniis doctissimorum Virorum firmantur.* 140
XLIII. *Infertur ex dictis Pisanae Aerae congruentia, licet recte nobis praescriptum sit, ut stilo utamur communi.* ibid.
XLIV. *Recisantur, ac proponuntur diversae de Christi die natali sententiae.* 141.
XLV. *Vindicatur Romanae Ecclesiae Traditio, iuxta quam Christus natus est* VIII. *Kal. Ianuarias.* 142.
XLVI. *Eadem traditio patrum testimoniis corroboratur.* 143.
XLVII. *Infertur tempus Dominicae Nativitatis ex tempore Conceptionis.* 144.
XLVIII. *Eadem ratio quomodo nonnullis producta sit.* 145.
XLIX. *Quid in ea ratione certum sit, quid ambiguum.* 146.
L. *Praecedens ratiocinatio concluditur, & ingeniosa Augustini adnotatione corroboratur.* ibid.
LI. *Coniecturae quaedam attinguntur.* 147.
LII. *Solvuntur quae videntur praecedenti sententiae opposita, ac primum expenduntur verba S. Clemensis Alexandrini.* 148.
LIII. *Samuelis Basnagii peculiare argumentum.* 149.
LIV. *Basnagii argumentum diluitur.* ibid.
LV. *Obiter pertractatur de tempore, quo Deus adspectabilem Mundum condidit.* 150.
LVI. *Ecclesiarum Orientalium de Natalis Dominici die sententia profertur.* 151.
LVII. *Epiphaniae nomine praecedens sententia a Casaubono corroboratur.* 152.
LVIII. *Apud Graecos traditionem, de qua N. LII. constantem non fuisse demonstratur.*
LIX. *Apud Graecos traditionem, de qua LII. constantem non fuisse demonstratur.* 153.
LX. *Cuinam Solemnitati vocabulum Epiphaniae proprius conveniat?* 154.
LXI. *Proponitur difficilis Iosephi Scaligeri argumentatio.* 155.
LXII. *Ostendisur argumentum Scaligeri non esse prorsus invictum.* 156.
LXIII. *Scaligeri computus sententiam nostram corroborat.* 157.
LXIV. *Demonstratur non rendere Latinorum Sententiam ab opinione de Pontificatu Zachariae.* 158.
LXV. *Quinam scripserint, Zachariam fuisse Pontificem.* ibid.

LXVI. *Afferuntur pro eadem ſententia rationes nonnullae.* 159.
LXVII. *Quibus argumentis evincere ſtudeant permulti Zachariam fuiſſe ſimplicem Sacerdotem.* 161.
LXVIII. *Ad ea, quae obiiciebantur reſponſio.* ibid.
LXIX. *Sententia noſtra profertur.* 163.
LXX. *Harduini argumentum producitur.* ibid.
LXXI. *Praedicta argumentatio expenditur atque eliditur.* 164.
LXXII. *Sequitur, magisque illuſtratur praecedens reſponſio.* 165.
LXXIII. *Altera Harduini ratiocinatio.* 166.
LXXIV. *Reſponſio ad ea, quae ſuperiori numero continentur.* ibid.
LXXV. *Ultima oppoſitio producitur, ac diluitur.* 167.

DISSERTATIO V. EPOCHARVM CETERARVM CVM DIONYSIANA CONNEXIO. pag. 169.

I. *Huius Diſſertationis argumentum.* pag. 169.
II. *Productio Mundi auctoritate firmatur.* ibid.
III. *Idem ratione ſuadetur.* 170.
IV. *Quid ſentiendum de Atheis.* ibid.
V. *Mundi in tempore protreatio.* 171.
VI. *De tempore quo contigit Natale Mundi.* ibid.
VII. *Supputatio Hebraeorum, Graecorumque diverſa.* 172.
VIII. *Praeferendam eſſe ſupputationem Hebraicam.* 173.
IX. *Corroboratur praecedens aſſertio.* ibid.
X. *Aliae eiusdem aſſertionis confirmationes.* 174.
XI. *Inter eos, qui Hebraicum ſequuntur Computum, diſcrimen eſt maximum.* 175.
XII. *Natale Chriſti anno Mundi* 4000. *conſignandum.* ibid.
XIII. *Problema quoddam ex dictis infertur.* 176.
XIV. *Eorumdem Annorum a Creatione Mundi uſque ad Chriſtum partitio.* ibid.
XV. *Chronologicum Problema alterum.* 177.
XVI. *Graecae* LXX. *Interpretum Chronologiae fulcimenta praecipua.* ibid.
XVII. *Quae ad obiecta praecedentis numeri poſſunt reponi.* 178.
XVIII. *Quot anni ab Orbe condito modo ſupputentur iuxta varias Graecorum Epochas.* 180.
XIX. *Aegyptiorum, aliorumque portentoſa mendacia.* ibid.
XX. *Exploditur Aegyptiorum Chronologia.* 181.
XXI. *Origo Aegyptiacae ſupputationis.* 182.
XXII. *Aſſyriorum nativitas, & tempora.* ibid.
XXIII. *De Perſis.* 183.
XXIV. *Chronologia Sinenſium.* ibid.
XXV. *Nabonaſſarem, ſeu Nabonaſſarum non fuiſſe Nabuchodonoſorem.* ibid.
XXVI. *Nabonaſſar idem ac Baladan.* 184.

XXVII. *Initium Aerae Nabonaſſaris.* ibid.
XXVIII. *Praecedentium Corollarium.* 185.
XXIX. *De Seleuco, a quo Epocha Seleucidarum.* ibid.
XXX. *Aera Seleucidarum explicatur.* 186.
XXXI. *Olympias quid?* 187.
XXXII. *Quis Olympiadum ſit auctor?* 188.
XXXIII. *Vnde Aera Olympiadum ſit inchoanda.* ibid.
XXXIV. *Vſus Olympiadum ſerius obtinuit.* 189.
XXXV. *Hiſtoria ante Olympiades incerta & fallax.* ibid.
XXXVI. *Eorum, quae dicta ſunt, conſectaria.* ibid.
XXXVII. *Pertractatur de Periodo Iuliana.* 190.
XXXVIII. *Agitur de Indictione.* ibid.
XXXIX. *Variae de origine Indictionum ſententiae.* 191.
XL. *Demonſtratur initium Indictionum conſtituendum eſſe in anno Aer. Vulg.* 312. 192.
XLI. *De menſe ac die, unde inchoandae ſunt Indictiones.* ibid.
XLII. *Quomodo cuiusque anni inveniatur Indictio.* 193.
XLIII. *De duobus Cyclis Solari, & Lunari.* ibid.
XLIV. *De Periodo Victoriana.* 194.
XLV. *Qua ratione ex memoratis Cyclis coaluerit Periodus Iuliana.* ibid.
XLVI. *Aptatur Periodus Iuliana Aerae Dionyſianae.* ibid.
XLVII. *Canon Chronologicus alter.* 195.
XLVIII. *Pertractatur de Aera Hiſpanica.* ibid.
XLIX. *De Epocha Paſſionis Dominicae.* 196.
L. *De Aera Diocletiani ſubrogata Actiacae.* 197.
LI. *Explanatur Hegira, ſive Epocha Turcarum.* ibid.
LII. *Novi Imperii, ſive Caroli Magni Epocha exponitur.* ibid.
LIII. *De gravi hinc exorta quaeſtione.* 198.
LIV. *Abſolvitur Diſſertatio quibusdam aliis Epochis praenotatis.* 199.

DISSERTATIO VI. ISAGOGICA DE IESV CHRISTO VNIVERSI HVMANI GENERIS REDEMPTORE. pag. 202.

I. *Quo tempore Dominus conceptus fuerit.* pag. 202.
II. *Annus Dominicae Nativitatis.* ibid.
III. *Cur Chriſtus natus in Bethlehem.* 203.
IV. *De Chriſti Circumciſione.* 204.
V. *Nomen Ieſu.* ibid.
VI. *Quid de Praeputio Domini ſentiendum?* ibid.
VII. *Magi ad Praeſepe venerunt.* 205.
VIII. *Quando Magis ſtella apparuerit.* ibid.
IX. *Quaenam fuerit ea Stella?* 206.
X. *Magi quinam fuerint?* 207.
XI. *Fuerint ne Reges?* ibid.
XII. *Magorum nomina quae?* 208.
XIII. *Magorum regio.* ibid.

XIV.

XIV. Qualis Magorum adoratio? 209.
XV. De puerorum nece iubente Herode patrata. ibid.
XVI. De puerorum istorum numero. 210.
XVII. Num inter hos pueruloſ Ioannes Baptiſta ab Herode ad necem quaeſitus? ibid.
XVIII. Quisnam fuerit Zacharias, de quo Matthaeus cap. 23. 211.
XIX. Sint ne Innocentes colendi ut Martyres? 212.
XX. De Chriſti fuga in Aegyptum. ibid.
XXI. An Chriſtus in Aegypto miracula perpetraverit? 213.
XXII. Chriſti in Aegypto mora. 214.
XXIII. Ieſus ex Aegypto reverſus habitavit in Nazareth. ibid.
XXIV. De domo Virginis Nazarethana. 215.
XXV. Quaeſtiones variae ſolvuntur. 216.
XXVI. Quando S. Ioan. Baptiſta baptizare, & praedicare inceperit. 217.
XXVII. Baptismi Ioannis a baptismo Chriſti diſcrimina. ibid.
XXVIII. De anno, de die, & de loco Baptiſmi Chriſti. 218.
XXIX. Miracula a Domino baptizato patrata. 220.
XXX. De Chriſti ieiunio. 221.
XXXI. Num hinc quadrageſimale ieiunium habuerit initia? ibid.
XXXII. De Chriſti triplici tentatione. 222.
XXXIII. Converſatio Domini quaenam. 223.
XXXIV. De tempore Dominicae Praedicationis. 224.
XXXV. De nuptiis in Cana Galilaeae celebratis. 226.
XXXVI. De aliis Chriſti miraculis. 227.
XXXVII. Eorumdem miraculorum veritas. ibid.
XXXVIII. De Lazari ſuſcitatione. 228.
XXXIX. Quae adverſus Chriſti miracula opponi ſolent. 229.
XL. De Chriſti ad regem Abgarum litteris. 230.
XLI. Definitur annus Paſſionis Dominicae. 231.
XLII. Expenduntur contraria momenta, & agitur de die Dominicae Crucifixionis. 232.
XLIII. De poſtremo Paſchate, quod a Chriſto celebratum fuit, quaeſtiones praecipuae. 234.
XLIV. Diluitur quaeſtio altera. 235.
XLV. Expeditur quaeſtio tertia. ibid.
XLVI. Quarta poſitio ſtatuitur. 236.
XLVII. Statuitur quinta poſitio. ibid.
XLVIII. Ioannis teſtimonia, quae dictis videntur oppoſita, explicantur, & expenduntur. 237.
XLIX. Ritus olim in Paſchatis celebratione ſervati. 238.
L. Nonnullae circa Euchariſtiam quaeſtiones expediuntur. 239.
LI. De Iuda proditore. 241.
LII. De Anna & Caipha. 242.
LIII. De Pontio Pilato. ibid.
LIV. De Centurione, Longino, Latronibus, & Chriſti Crucifixoribus. 243.

LV. *De praecipuis Domini cruciatibus.* 244.
LVI. *Quid de Dominicae Passionis instrumentis?* 246.
LVII. *De Domini Sepultura.* 248.
LVIII. *De Domini gloriosa Resurrectione.* 249.
LIX. *De Christi in Coelum Ascensu.* 250.

FINIS.

MG 2005151